Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Elzevier
Mottaley. 1265.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

3 ls.

~~Elzevier~~
~~C. 78~~

KW 224
F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

BENEVOLO LECTORI.

S.

Benevole lector, ſi ſeria & priſco Catone digna lectitare amas, nihil tibi in hac arena negotii. Quæ frontem caperant, quæ ſupercilium attollunt, quæ moroſæ dictionis plena ſunt, alibi quæras oportet. Aliter hic libellus noſter, aliter Sibyllæ loqui amant. Non hic Principum de regni rebus conſilia, non vitæ gerundæ rationes, non Academiarum ſpinoſæ quæſtiones, non Iuriſconſultorum aut Medicorum ancipites caſus gravi oratione explanantur. Ludicræ ſunt, jocoſæ ſunt & doctæ feſtivitatis authoramento gratæ diſſertationes, quas offero. Scripſere illas viri eruditiores, quos à gravioribus occupationibus & curis ad has ſucciſivarum horarum commentationes ſua ſubinde avocavit voluptas, ſive ut ipſi levamentum aliquod negotiorum inde peterent, ac temporis partem eruditis iſtjuſmodi nugis fallerent; ſive ut doctrinæ ſuæ, ingenii ac induſtriæ aliquod documentum in pertractandis rebus frivolis ac omnium judicio contemptiſſimis publico darent. Amat enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

iſtjuſmodi vices & jocandi intervalla humana ratio. Ita orbi univerſo præeſt Titan, modo ſerenum, modo nubilum adſpicimus. Ita terræ quaſſator Neptunus, modo malaciam amat & placidus ventis ſtat, modo fluctus ac tempeſtates ciet. Nec ſemper Homero ſerius eſt ipſe Iuppiter pater hominumque Deumque, aut de Græcorum, ac Trojanorum bellis delıberat, ſed Vulcanum loripedem ſuum ſubinde ridet, & aut domi convivia cœlicolis ſuis parat, aut ad Aethiophas commeſſatum abit. Doctorum quoque animi tempora curarum remiſſionumque diviſa habent, & cœleſtes mentis igniculi jucundiſſimarum meditationum flabello excitandi ſæpenumero. Teſtatur hoc de ſocero ſuo Iulio Agricola Tacitus. Nec aliter vivimus ipſi. Puerorum crepundia & cunas adſpectare ſubinde volupe nobis eſt. Ne tamen jocos ſolum & nugas pretio diſtrahere videar, ita ſtatuas velim, ſub nugarum involucro ſerios ſæpiſſime ſenſus occultari, & aut vitæ melioris momenta, aut naturæ myſteria, aut philoſophorum placita explicari. Silenos Alcibiadis quis contemperit? quanquam enim prima fronte viles eſſent nec aſſe æſtimandi, tamen aperti neſcio quod numen oſtentabant, ut artificioſam ſculptoris manum gratiorem faceret jocoſus error. Principum & nobilium matronarum elegantiores vultus apud noſtrates tegunt, aut flammea, aut exemptiles oculi. Nec tamen propterea eas deſpexerint formarum

marum

marum arbitri ac cenſores rigidi. Quare & nos cum Iocoſeria damus, aliquod huic opuſculo pretium deberi, aliquam nobis gratiam arbitramur. Nullum enim vitæ tempus vel ſtudiorum genus eſt, quod non inſignem ex hujus libelli lectione utilitatem capere poſſit. Si adoleſcens es, ſi mare fluvioſque conſcendere amas, Artem natandi *conſule. Docebit ea manuum pedumque artificioſos jactus, & oborto forte naufragio, aut de puppi depulſum à Palinuri ſorte vindicabit. Si ſenex es, aut nodoſa &* Podagra *infeſtat, aut tenebroſa* Cæcitas; *ſi, cujuſcunque ætatis, tremula* Febris: *horum malorum laudes ac commoda præſens libellus enarrabit. Si vires, & dignitati maſculini ſexus præjudicium creari credas, quod è Luto re vilſſima originem ducas, ecce, quanta ſit* Luti *ipſius præſtantia & utilitas docebit Majoragius. Si Phyſicus naturam ſcrutari amas, de animalium quorundam, pulicis, formicæ, anſeris cuſtodis quondam capitolii, Aſini, picæ, pediculi, elephantis, ac muſcæ varia indole differentes audi viros clariſſimos, Cœlium Calcagninum, Melanchtonem, Scaligerum, Paſſeratium, Heinſium, Lipſium, Scribanium. Si Aſtrologiæ ſtudioſus,* Vmbræ *originem, mutationes varias, nobilitatem, ingenium, virtutes, honores ingenioſe ac erudite expediet magnum quondam magni patris incrementum filius Douſa. Si Grammaticus, horum ſtudiorum tædia & tetricas inſtitu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Laus Podagræ { Bilibaldi Pirkheimeri. 1
{ * Hieron. Cardani. 43

Encomium pulicis, Cælii Calcagnini. 71

De arte natandi, per Nicolaum VVijnman. 85

Laus Formicæ, Philippi Melanthonis. 190

Encomium Luti, M. Ant. Majoragii. 209

Laus Anſeris, Iul. Cæſaris Scaligeri. 255

Encomium Aſini, Ioan. Paſſeratii. 259

Laus Vmbræ, Iani Douſæ F. 270

In Obitum Picæ, Italo quodã auctore. 301

De Ente Rationis, Caſparis Barlæi. 304

Nuptiæ Peripateticæ, Ejuſdem. 335

* *Allocutio Nuptialis*, Marci Zuerii Boxhornii. 371

Laus Pediculi, Danielis Heinſii. 385

Bellum Grammaticale, Andreæ Salernitani. 400

Laus Elephantis, Iuſti Lipſii. 449

Encomium Febris quartanæ, Guil. Menapi. 475

Encomium Cæcitatis, Iacobi Gutherii. 571

Muſcæ Principatus, Franciſci Scribanii. 557

Democritus ſeu de Riſu, Erycii Puteani. 581

* *Encomium Ovi*, Erycii Puteani. 597

* *Encomium Cycni*, Vlyſſis Aldrovandi. 656

Quæ huic novæ Editioni acceſſerunt Steriſculo notatæ ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Viri Illuſtris

BILIBALDI PIRCKHEIMERI,

Eq. aurati & Conſil. Cæſſ.

APOLOGIA

Sive

LAVS PODAGRAE,

Opuſculum inprimis jucundum lectu, ac feſtivum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Cunradus Ritterſhuſius, I. C.

In Comentario Vitæ Pirckheimerianæ.

INter propriæ quidem inventionis opuſcula Bilibaldi in primis jucundum lectu ac feſtivum eſt illud, quo Podagræ apologiam quandam attribuit, qua ſe à judicio capitis liberaret; quod ſcriptum Iacobo de Banniſſis Decano Tridentino, S. Cæſ. Maj. Secretario dedicat. Nam cum inter cæteras vitæ moleſtias hanc quoque Bilibaldus experiri cogeretur, ut delicatæ iſtius Reginæ aulicus fieret, cui ſervitia ſua diu præſtaret, deſcriptionem ipſius laudum aggredi voluit, ſi fortè hanc dominam eâ ratione placatam erga ſe clementiorem reddere poſſet: Aut certè, ut ſibi ipſi levamentum inde peteret, ac tempus eruditis ejuſmodi nugis falleret. Erat enim vir ille non ſolum, ubi opus erat, gravis & ſeverus, verum etiam in loco & oportunè jucundus, comis, hilaris & jocoſus, duaſque res, quæ haud facile concurrere aut miſceri ſolent, etiam Nazianzeno teſte, ſic aptè temperavit, ut ſimul & perquam amabilis & graviſſimus eſſet: ſive, ut Nazianzenus loquitur, ὥστε ὁ αὐτὸς ἐρασμιώτατός τε ἅμα γενέσθαι καὶ κοσμιώτατος. ὃ χαλεπὸν ἀμφότερα συνδραμεῖν. Quod de ſocero ſuo Iulio Agricola ſcribit Tacitus: Eum tempora curarum remiſſionumque diviſa habuiſſe; ubi conventus ac judicia poſcerent, gravem, intentum, ſeverum, & ſæpius miſericordem; ubi officio ſatisfactum, nullâ ultra ſenatoris perſonâ, triſtitiam & arrogantiam & avaritiam exuiſſe: nec illi (quod eſt rariſſimum) aut facilitatem diminuiſſe auctoritatem, aut ſeveritatem amorem. Idem de Bilibaldo quoque veriſſimi dici, ex aliquot documentis cognovimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Reverendo Domino

IACOBO BANISSIO,

Decano Tridentino digniſſimo,

BILIBALDVS PIRCKHEIMER,

S. D.

DVo mihi longe diverſa accidere ſolent, Banniſsi præſtantiſsime. Amici enim quotidie mihi ſcripta, & convitiis quidem extorquere nituntur, turpe eſſe contendentes, cum docti pariter & indocti hac tempeſtate ſcribant, me ſolum perituræ parcere chartæ. At æmuli nunquam non mihi vitio vertunt, quod homo, ut vocant, Laicus, me litteris & negotiis, minus ad me pertinentibus, immiſcere audeam. Vt igitur amicis morem gererem, non tamen offenderem æmulorum aures delicatiores, materiam ſumpſi, nemini præterquam podagricis moleſtam; quorum tamen indignatio, ob pedum tarditatem minus mihi timenda erit. Chiragra vero egregie me etiam ab manibus illorum defendet, ita ut undique tutus videar. Nec inſuave fuit vetera repetere ſtudia, ac ea refricare, in ludicris, quæ olim etiam invitus tractare cogebar. nam & veteranus aliquando arma deſueta, & navita rudentes attrectare gaudet depoſitos: &, ni fallor, ineptiendo ſenſi, me non inconcinno nugari, & ſi frontem perfricare vellem, longe argutius mentiri poſſe, quam pleroſque qui nimis inſulſe etiam in ſeriis nugantur, nemini tamen unquam perſuadent. Sed & exemplum habeo, cum quidam Tyrannidem, alius Febrem, ille Calvitiem, hic vero Stultitiam lauda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

verit. Cur igitur mihi ſoli non liceret, quod nemini prohibitum eſſe cernimus? Tibi vero, Banniſsi optime, non ob communem calamitatem, aut ideo has nugas mitto, ut tu illas aliquid eſſe cenſeas, ſed ut veterem noſtram & nunquam intermorituram refricem amicitiam. Proinde, ſi potes, conſolationem aliquam expiſcare: nam tantum abeſt, quo ego ullum Podagræ beneficium agnoſcam, ut illam quotidie ſentiam moleſtiorem, niſi inter ſecunda, & non potius ridenda putes collocandum, quod ſtultus ego, à ſtultis perſuaſus medicis, perpetuum ſeptennium fruſtra ab omni vini abſtinuerim uſu, idque inter peregrinationes multiplices, & legationes ferme aſsiduas, cum Divum noſtrum Cæſarem Maximilianum, nonnunquam per eas regiones ſequi cogerer, ubi aquæ potus quoque peſtilens eſſet: ſed tandem reſipui. Tu vero, ni irrideri velis, ne in ſimilem aliquando errorem incidas cave, & me ut ſemper feciſti amantem ama. Nurembergæ, Kalend. Octobris, anno Salutis M. D. XXI.

BILI-

BILIBALDI PIRCKHEIMERI

APOLOGIA PODAGRAE.

NON ſum ignara, Iudices æquiſſimi, quam ſit res difficilis, ac odii plena, opinionem ſemel conceptam, ac jam diu inveteratam ex hominum delere mentibus, maxime inconditi & imperiti vulgi, quod non tam prudentia ad judicandum duci, quam omni quodam impetu & furore rapi ſolet. Nec mirum, cum delectu careat, ſi etiam abſque diſcrimine ſententiam ferat. Quo pacto enim recte judicari poſſet, ubi ſtoliditas prudentiam, temeritas rationem, conſilium animi ſuperavit impotentia? Proinde ſummopere lætor, tempus mihi aliquando oblatum, ac facultatem conceſſam eſſe, ut tandem inimicorum maledictis reſpondere, & inſani vulgi objecta diluere valeam, ne ſemper male audire cogar, & nunquam mihi libere loqui per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

mittatur. Quamvis non tam mea, Iudices, quam veſtra intereſſe rear, ne quis accuſatus tantum, minime vero auditus ſeu convictus pereat, quo non optimus quiſque à peſſimis hominibus temere inſimuletur, inſimulatus condemnetur, condemnatus ultimo afficiatur ſupplicio. Non injuria igitur conſpectus hic veſter, clementiæ ac manſuetudinis index, vehementer me recreat, ac conſeſſus celeberrimus ita reficit, ut omnem timorem, omnemque ſuſpicionem, penitus ex animo rejeciſſe videar. Cur enim timerem? cum ea vos ſapientia, eâ integritate & innocentia præditos ſciam, ut non ſolum nil mali ſuſpicari, ſed cuncta ſperare debeam, quæ apud homines ſancta, juſta, pia, & plane exiſtimatione veſtra digna habeantur.

Verum antequam de cauſa dicere incipio, vos, Iudices clementiſſimi, oro & obteſtor, ut attente, & cum bona venia, verba mea ad finem uſque audiatis, & me meum dicendi ordinem ſervare patiamini, ac interim donec à me peroratum fuerit, ſententiam veſtram ſuſpenſam teneatis. Deinde, ſi quam contra me concepiſtis iracundiam, exuatis, odium ſeponatis, indignationem abjiciatis, potiuſque rem ac cauſam ipſam, quam adverſario-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

rum dicta aut perſonam meam, conſideretis. Tum autem ne ægre feratis, ſi opinionem aliquam ſiniſtram, ac temere contra me confictam, ſermo convellat, ratio labefactet, veritas denique extorqueat. Id ſi fiet, plus hodie apud vos veritatem & juſtitiam valituram ſpero, quam nequitiam, invidiam, aut omnes omnium criminationes & calumnias. Plane enim me oſtenſuram confido, tot ac tanta, quæ mihi objiciuntur mala, ut-plurimum, non tam mea, quam adverſariorum culpa accidere. Inde ſi quæ ſunt, non tam gravia, ſed longe eſſe leviora, quam illi velint aut cenſeant. Demum me etiam multorum bonorum cauſam eſſe, ac maxima & innumera ſæpius afferre commoda. Nolite, Iudices, nolite perturbari, ſed quieti, ut cœpiſtis, me quæſo audite. niſi enim cuncta quæ promitto, & plane quidem oſtendero, in arbitrium veſtrum poſitum erit, me etiam poſt cauſam auditam condemnare: ac ita fiet, ut voſmet ipſi ab omni ſuſpicione liberi & à culpa alieni eſſe videamini, nec ego, ſi convicta fuero, ullam pœnam recuſare auſim. Sin vero omnia quæ polliceor prę̨ſtitero, rogo, ut non tam mihi favere, quam officii veſtri memores eſſe velitis, quo ea quæ fas & jura permittunt, ſententiis etiam conſequi poſſim æquiſſimis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Ceterum priuſquam adverſariorum objecta diluere aggrediar, ante omnia mihi neceſſarium arbitror, ad populi rumorem & famæ malum reſpondere. Nam ſi bona (inquiunt adverſarii) & tam multorum commodorum es cauſa, quare omnes tam impenſe te oderunt, execrantur, ac deteſtantur? Nam etſi fama ſæpius, non tamen ſemper errare conſuevit, præcipue cum inveteravit tam diu, ac paſſim & ubique increbuit. At ego egregios illos accuſatores meos viciſſim interrogavero, cur & pueri magiſtros ſuos, etiam ſapientiſſimos, odere? cur improbi etiam leges optimas vituperant? Ideo nempe, quia præceptores diſcipulos bonis imbuunt artibus, ac meliores reddunt: leges vero malis impedimento ſunt, ne cuncta, quæ volunt ac cupiunt, patrare audeant. Verum non ideo magiſtri mali, quoniam à pueris odio habentur; nec leges iniquæ, quoniam à peſſimis hominibus vituperantur: ſed potius judicio pueri carent, ac quemadmodum febricitantes de potu, ita illi de inſtitutione male judicant: Flagitioſi vero cum ſceleribus cunctis ſint inquinati, vellent, rejectis legibus, omnia, quæ luberent, potius licere, quam mala eorum facinora frœnis quibuſdam coërceri. Non igitur confeſtim malus erit,

qui à multis, ſed qui juſte & à bonis vituperatur hominibus: quemadmodum nec ille bonus, qui multorum, ſed qui proborum tollitur præconiis.

Cum enim ſemper & ubique malorum ſuperet numerus, nemo bonus illorum judicio bonus eſſet, cum neminem niſi ſui ſimilem laudare conſueverint. At tantum abeſt, ut inertis vulgi judicium, præcipue apud bonos, alicujus ſit momenti, ut quam ſæpiſſime, qui male à malis audiunt, optimi cenſeantur viri: quemadmodum é converſo peſſimi & nullius frugis ſunt homines, qui populari aura in cœlum uſque feruntur. Vnde & divinus ille Plato recte cenſebat, Quicquid vulgo placeret, vel ſolum ideo ſuſpicione dignum eſſe, etiamſi virtutis ſpecimen quoddam præ ſe ferre videretur. Deſinant igitur adverſarii mei & mihi quoque rumores objicere inſanos, ac potius ſibi ipſis incommoda, dolores, & diros, quos nonnunquam patiuntur, cruciatus, acceptos referant.

Ita enim vivunt, imo ita bibunt, ita luxu & deliciis cunctis diffluunt, ut etiam me invitam ſæpiuſque reluctantem, in ſuum contubernium pertrahant, ac feſtinare compellant. Raro enim, imo vero nunquam ſponte, ſed ſemper coacte, ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

illos accedere ſoleo. Quod ſi peſtis, ut ipſi volunt, univerſi humani generis ſorem, non ſolum quibuſdam, ſed omnibus moleſta eſſem: nunc vero tantum abeſt, ut cunctis nocere valeam, ut etiam à multis quam lubentiſſime declinem. Non enim duris illis & agreſtibus oblector hominibus, qui nunquam quieſcunt, ſed aſſidue corpus labore exercent, nunquam vel raro genio indulgent, famem tolerant, ac ſimplici ſatiantur cibo, ſitim aquæ potu ſedant, male veſtiuntur, pejus cubant, & qui ita ſunt animati, ut voluptatibus cunctis renuntiarint.

At præclari illi accuſatores mei, dum die noctuque pergræcantur, otio marcent, labores uti peſtem execrantur, voluptatibus cunctis, maxime Venereis, enervantur, cibos terra marique conquirunt pretioſos, gulam aſſidue condimentis omnifariis irritant, bibendi modum non neceſſitate, ſed libidine metiuntur, ac ſitim minime vino extinguunt provinciali, ſed exotico irritant, ſuper plumis volvuntur molliſſimis, ac non ſuperbe tantum, verum monſtroſe quoque veſtiuntur, & omnibus deliciis, quas humana adinvenit nequitia, abutuntur, ita ut animum pariter & corpus enervent, mihique ſæpius, quamvis ſim delicatiſſima, oblu-

ob luxus nimios nauſeam concitent: omnem tamen culpam in me unam conferre ſolent, penitus immemores, vitam ſuam corruptiſſimam, ac peſſimis vitiis contaminatam tot malorum cauſam eſſe: cumque ipſi tota errent vita, me tamen, ſi Diis placet, nunquam accuſare & traducere deſinunt, nihilo juſtius, quam ſi quis violenter ſeipſum in ignem aut mare præcipitaret, obiterque flammas, ſeu undas incuſaret, tanquam periculi ſui cauſa eſſent præcipua, & non potius ipſemet ſponte ſe perditum iret. Sed ita natura comparatum humana, ut unuſquiſque culpam propriam lubens in alium rejiciat, ut dum illum incuſat, ipſe innocens eſſe videatur, etiamſi ſolus totius mali cauſa exiſtat. Sane non hoc exigo, ut verbis meis ſolis fides adhibeatur, ipſos accuſatores precor intueamini, Iudices; ipſorum inſpicite corpora, facies, cutim, ora, colorem, aſpectum, inceſſum: & niſi hæc omnia extremæ luxuriæ ſigna eſſe invenietis, nihil moror, quin ultimum ſubeam diſcrimen. Non igitur tam ego noxia; ſed ipſi ſunt, qui me deliciis ſuis ineſcarunt; ipſi ſunt, qui me invitam retinent; ipſi ſunt, qui omnia pervertunt, ac inde totam in me culpam convertunt. Adſum, abeſſe me volunt: abſum, vitiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſuis revocant: in morbo ſanitatem, in ſanitate morbum quærunt, ſalutem propriam negligunt, ac illum à me non deſinunt repetere: ſibi ipſis malefaciunt, ac à me beneficentiam exigere juſtum putant; turpiter volunt vivere, inde mihi nequiter maledicere. Conſiderate igitur, Iudices, quid eos impetrare conveniat, quos vita propria arguit, quos corporis habitudo prodit, quos conſuetudo inveterata reprehendit. Non cogitant eos bibere ac eſſe oportere, ut vivant, & non ideo vivere, ut edant & bibant. Non perpendunt, tantum lurcones & ventri deditos mihi infeſtos eſſe. Nemo enim, nemo, inquam, tam impenſe me accuſat, niſi luxurioſi; nemo me crudelitatis arguit, niſi luxurioſi: nemo me inauditam eſſe damnatam clamitat, niſi luxurioſi. Hæc cum ita ſe habeant, Iudices, audentne adverſarii mei contra hiſcere? audentne in conſpectum veſtrum prodire? audentne pœnam, quam mihi innocenti irrogare contendunt, deprecari? Sed ego illis infenſa, & inimica ſum. Cupiunt igitur inimicam ulciſci, ut ipſi plane inimiciſſimi eſſe inveniantur. Equidem ſi mihi tam odioſæ nullam concedendam eſſe putant veniam, cur totis viribus contendunt, ut ad eos veniam? Cur non talem vivendi modum inſti-

inſtituunt, ut nil mihi in eos nec liceat nec lubeat? Etenim ſi effervefcentem ſuam aliquando frœnarent libidinem, & non tam procaciter omnibus abuterentur voluptatibus, forſitan & me quoque aliquando mitiorem experirentur, ſin minus; tum ſaltem juſtam indignandi haberent occaſionem. Sed difficile eſt, eum eſſe abſtemium, qui nil niſi luxuriari novit; difficile eſt hominem frugi eſſe, qui in tota vita nil niſi potare conſuevit. Ferant igitur quod evitare nolunt, & ita valeant ut vivere conſueverunt. Etenim ita exiſtimo, qui nil habent in vita jucundius, quam ut vitam turpiſſimis vitiis inquinent, vita, eos ac ſanitate penitus eſſe indignos. Nam vehementer errant, qui in tantis voluptatibus ſanitatem quærunt, quemadmodum ſapientes agunt, qui ſanitatis tempore, cupiditates coërcent, aſſidueque de incolumitate cogitant. Porro cum me multis ineſcarunt modis & annis, ac vix tot deliciis obſequentem reddidere, inde repente rejicere, & omnem culpam in me unam vertere conantur. Quid mirum, ſi ego obnitar, vindictamque aliquando condignam ab eis exigam, & me durius quam vellent, ob acceptas ulciſcor injurias? Proinde multos enumerare poſſem, qui, cum invi-

ti, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ti,& ultima coacti pauperie, in quam ob luxum inciderant nimium, à lautiori cibo & potu abſtinuiſſent, priſtinam receperint ſanitatem, quod minime evenire potuiſſet, niſi ipſi potius, quam ego, in culpa fuiſſent. Atqui cum laboribus cedam, nec penitus ſobrietate eluctet, plane liquet, an ego iniqua ſim, vel potius egregii accuſatores mei delinquant. Quæ vero ad perſonam meam attinent, adeo vilipendo, ut etiam inde gloriari ſoleam. Etenim qualiſcunque ſum, omnibus tamen æqualem me eſſe ſcio; Regibus, Pontificibus, Principibus, opulentis, tenuioribus, nobilibus & ignobilibus. Nulla enim apud me perſonarum eſt electio, nullum diſcrimen; niſi quod apud molles & delicatos potius, quam ſobrios & abſtemios eſſe cogor: non ſolum qui ita me ſuis blanditiis ſollicitent, ſed qui vi, & duris aliquando vinculis coerceant. Ceterum objiciet aliquis, non ſolum nepotes à me infeſtari, ſed etiam temperatiſſimos quandoque homines, & qui mirum in modum à deliciis & luxu abſtinent, male affici: verum ſi id aliquando, raro tamen accidere ſolet, ac ideo haud juſte in exemplum trahi debet, aut poteſt. Atqui nec tum ego quidem potius, quam illorum parentes, ſum accuſanda. Quid

mirum enim, cum majores cujuſpiam valetudinarii exiſtant, ſimiles ſibi quoque procerent liberos? Nihil enim convenientius, quam à ſimili generari ſimile. Quopacto igitur, quod illis à natura ingeneratum eſt; aut parentum vitio evenit, juſte mihi objici poterit? cum nec majorum ſtemmata, nec opum ſplendores, mihi referantur accepti. Deſinant igitur mihi alienum vitium tanquam proprium imponere; &, ſi maiorum dignitate & divitiis gaudere juſtum putant, non indignentur, ſi etiam in morbis & ægritudinibus ſuccedant hæreditariis. Qui ſi illi quoque modeſte vivunt, & à ſuperfluis temperant deliciis, longe mitius cum eis ago, quam aut parentum merita aut naturæ exigat perverſitas. Neque enim, utcunque de me ſentiant homines, tam improba ſum, ut pari pœna, noxios juxta & innoxios affligam. Nec etiam tam immanis & fera, ut nunquam acerbitatem remittam: quemadmodum multi alii facere ſolent morbi, qui perpetuo cruciatu miſeros affligere ſolent homines, veluti mentagra, phthiriaſis, lepra, & reliquæ id genus infirmitates innumeræ, quæ præterquam quod omnem curam reſpuant, ad ultimam mortales perducunt deſperationem. Etenim ab inſidia infeſtationum

ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

aliquando interquieſco, & ſubditis meis ſæpius longa dolorum concedo intervalla. Non ſecus ac quiſpiam agricola, qui feſſos boves ſuo tempore ab aratro ſolvit, & optata quiete refocillat. Porro quod non tam noxia ſim, ut me quidam inſimulant, vel inde liquet, quod raro quis moleſte ferre conſuevit, cum primum amicum aliquem à me correptum audiverit, ſed potius in riſum ſolvitur, accurrit, jocatur, & ferme congratulari videtur. Quod profecto nunquam eveniret, ſi ego tam noxia aut moleſta, ut ipſi prætendunt, exiſterem. Vnuſquiſque enim cum amicum ſuum morbo aliquo inſanabili corripi audit, haud ridere vel exultare, ſed flere, aut ſaltem dolere conſuevit. Quo pacto enim amicus eſſet, ſi ob amici calamitatem rideret? Cum vero ridet, non me adeo malam & humani generis perniciem eſſe demonſtrat. Etenim ſæpius videres totum amicorum agmen, ad aliquem, à me correptum, advolare, non inſuavibus cavillis laceſſere, & totos dies lætos ducere, quod nunquam, ſi ego tantæ lætitiæ & jucunditatis conciliatrix abeſſem, evenire poſſet. Ex quibus plane conſtare arbitror, neminem tam obtuſæ mentis eſſe, quin plane videat, adverſarios meos non tam me injuſte accuſare,

quam

quam ſeipſos præcipuam mali ſui cauſam oſtendere, & ſi qua in me culpa deprehenditur, longe eſſe leviorem, quam illi arbitrentur, aut forſitan vellent.

Nunc verò ſi potero, edocere pergam, quæ commoda, qualiaque ſæpius affero hominibus bona. Vos tantum, Iudices, oro, ut mihi, ſicut hucuſque feciſtis, aures atque animos benigne præbeatis. Sane haud nego, me pleriſque & admodum moleſtam eſſe. Verum ſi recte conſiderare voluerint, invenient profecto, multa eis evenire bona, quibus penitus carerent, ni illa meo provenirent beneficio. Quot enim mei gratia honorantur, cui nemo alias à via cederet? Nam quamprimum me homines alicui comitem eſſe cernunt, illi locum dant, ſecedunt, & ob me ſolam honore afficiunt, etiamſi longe, vel ætate, fortuna, aut conditione præſtent ſeu ſuperent. Multos curru ſublimes, aut equis phaleratis vehi, ſellave geſtari cernitis, qui niſi meo uterentur beneficio, pedibus iter facere cogerentur. Quibuſdam, cunctis aliis ſtantibus, & inter Reges & Magnates, ſedere licet, quin non deſunt principes ipſi, qui id jubeant & hortentur, cum interim clientes pulvinaria & ſcabella ſedilia afferant, ac eos omni demereantur officio, & cuncta,

quæ

quæ illis grata eſſe putant, ſubminiſtrent, cum alioqui & citra meum favorem vix illos alloquio dignos ducerent. Conſiderate, Iudices, num hæc ſint vilia, & non potius votis etiam expetenda. Quin non ſolum in conventibus, ſed & in conviviis præ cæteris honorantur. Nam ut plurimum in ſuperiori accumbunt loco, & quamvis lautiſſima apponatur menſa, & quæ cibo ac potu, & tunc fieri ſolet, illuſtriſſima ſit, mei tamen cauſa ſemper aliquid accedit, aut cibus delicatior, aut vinum ſuavius. Quinimo cunctis aliis tacentibus, & præſenti contentis abundantia ſolummodo meis conceſſum eſt, quidquid lubet poſtulare, imo illos hoſpites ultro hortari ac rogare ſolent, ut rejecto pudore libere poſtulent, quidquid appetant. Id enim beneficii loco acceptare conſueverunt. Sed dicet quiſpiam moroſior, non tam honoris, quam calamitatis gratia hæc accidere. Ego vero non tam conſiderandam arbitror, cur aliquid fiat, quam quid boni inde eveniat, ac ſatis eſſe tibi ſoli permitti, quod alias nemini conceditur. Nam nec egenus quiſpiam, cur, aut unde accipiat, tanti facere ſolet, quanti, ut habeat, acceptiſque jucunde frui poſſit. Quid dico de egenis? nonne Reges ipſos quotidie cernimus integra

occu-

occupare regna, nec interim curare, ſi juſte id fiat, aut injuſte, dummodo illa poſſidere, & ſuæ poſſint ſubjicere cupiditati? Nec dubito, quin innumeros reperire poſſis inopes, qui ſe fœliciſſimos putarent, ſi tali calamitate frui, & interim à labore, & dura pauperie interquieſcere poſſent. Quid enim divitibus illis delicatius? quid ornatu eorum cultius? quid habitaculis elegantius? ad quorum ædes ſi acceſſeris, minime ut aliorum hominum ſitu ſquallent, aut neglectæ jacent, ſed omnia rident, omnia fulgent, non ſecus ac in nundinis inſtitutorum tabernæ, aut feſtis diebus Deorum templa ſplendent; ita ut multos invenias, qui in tanta abundantia ægrotare mallent, quam in ultima illa paupertate recte valere. Adde quod huc defertur, quicquid egregii, aut elegantis in urbe eſt, quod vel viſum oblectare, aut guſtum recreare, ſive auditum demulcere poteſt. Hic egregia artificum conſpicuuntur opera, huc fructuum apportantur primitiæ, & ſi quid novi annua producit temperies. Hic demum cernere eſt, quicquid inter homines varium & delectabile habetur. Nec deſunt interim, qui aſſidue rumores afferant novos, & identidem fabulis ſuaviſſimis aures meorum impleant, ita ut & Impera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

torum, Regum, gentium, ac cunctorum hominum, ſive pacis ſive belli negotia præclare ibi expediantur, nec quempiam latere poſſit, quid apud Thraces, quid apud Seres, quid etiam apud ultimos geratur Indos. Hæc omnia mea proveniunt opera & ſedulitate, etiamſi interim homines ignorent, quid in propria agatur domuncula. Porro dum mortales negotiis meis detineo, ſæpius à variis graviſſimiſque periculorum conſervo caſibus. Quam diu enim mihi ſunt obnoxii, nec mari ſe credunt furenti, non venando rabidis ſe objiciunt feris, non rixas ſuſcitant, non cædes committunt nefandas, non capiti ob tegularum caſum timere coguntur; ſed extra teli jactum poſiti aliorum pericula ocioſi ipſi recenſere audiunt pleroſque à rerum publicarum adminiſtratione, nec non à moleſtiſſimis Tyrannorum & Aulæ liberos negotiis, qui citra favorem meum, curis indefinentibus & perpetuis ſubjacerent ærumnis. Atqui nec interim rei deſum domeſticæ, ſed ſtrenue meos ad hanc augendam hortor, & impello. Quod eo eſt facilius, quo minus ob deambulandi impediuntur negotium. Non enim quia pedes aliquando ſuum negant officium, ideo & illi à ſellulariis & quæſtuariis arcentur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

artibus, ſed tanto ad eos ſunt aptiores, quanto ad ambulandum impotentiores. Igitur ſedendo longe majores aliquando conquirunt opes, quam unquam currendo, aut etiam ſaltando cogere poſſent, quibus penitus carerent, ſi vagabundi hinc inde diſcurrere, & plena libertate poſſent frui. Non ſunt hæc contemnenda, Iudices. Sed longe majora audietis. Etenim dum corporis gero curam, minime interim animum negligo, præcipue vero ingenium excolo. Etenim nulli veſtrum dubium eſt, literarum ac bonarum artium ſcientiam longe honoribus & multis anteſtare divitiis. Atqui ego illas egregie doceo, ac plurimos enumerare poſſem, qui meo beneficio ad linguarum cognitionem & doctrinam pervenerunt ſummam. Dum enim non habent quod agant, literis bonis non deſinunt incumbere: & ne fruſtra tempus labatur, quotidie eruditiores evadere contendunt. Sed quid dico de linguis & literis, cum etiam meos egregie in diſciplinis liberalibus, & univerſa circulari ſcientia inſtituere conſueverim? Potiſſimum vero lepidiſſima illa Muſica, cujus harmonia & concentu, identidem curas pellere, & aures modulaminibus oblectare valeant ſuaviſſimis. Præterea & perbelle rhetoriſſare doceo: nam me

artis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

artis ejuſque non penitus ignaram eſſe, vel jam puto intellexiſtis. Quam primum enim invado quempiam, pariter, & excuſationis materiam etiam ex penitiſſimis Rhetorum locis ſubminiſtro, ita ut hic talum intorſiſſe, ille pedem ad lapidem offendiſſe, alius ab alto cecidiſſe, aut aliud quid reticuli prætendat & inveniat, quo hominum oculos præſtringere, & cauſam ſuam quam vaferrime defendere queat, idque non ſolum Rhetorum more verſibiliter, aut perſuaſive, ſed ad Dialecticorum conſuetudinem neceſſario & verè, addito etiam juramento, ubi fides defecerit, aut ita negotium exigere videtur. Sed ut obmittamus ſcientias humanas, nonne etiam cœleſtibus meos imbuere ſoleo? veluti Aſtrologia illa, arte vere divina & antiquiſſima, cujus laudes etiamſi vellem, minime tamen explicare poſſem. Nam & propter excellentiam ſingularem, Deos inventores habere meruit, ac in tanto olim fuit honore, ut ſolum Regibus & prudentiſſimis cognita eſſet hominibus. Hanc ego præcipue meis trado, ac ita eorum corporibus infundo, ut eam circa calculos, & numerandi artem pernoſcant. Tam qui Arithmeticam ignorant, quam, ut audiſtis, qui rei pecuniariæ ſtudent, vel præcipue

meo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

meo tenent beneficio: ſed ut res miraculo ſimilis videatur, & vis mea ſingularis & iuduſtria ab omnibus cognoſci valeat. Non igitur ob motum cognoſcendum cœleſtem, tabulis quibuſdam, aut inſtrumentis indigent aſtronomicis, ſed priuſquam Phœbus Cinthiam ad ſuum admiſit complexum, aut per diametrum claro implevit lumine, efficio, ut affectiones illorum non tam mente intelligere, quam corpore, & re ipſa ſentire queant. Nec ſolum id luminariis ſplendidioribus, ſed etiam in aſtris præſto errantibus, ita, ut nunquam eos, ſive frigidi Saturni, aut rabidi Martis, infauſtus latere poſſit aſpectus, ſive invicem oblique intueantur, ſeu horoſcopum ipſum, aut corporis gubernatricem lunam, vi ſua infecerint. Nullus igitur vates ſolis aut lunæ deliquium, verius, quam mei, diſcernere; nullus tempeſtate nives, grandines, aut imbres certius prædicere poteſt; ita, ut prius quam aeris mutatio aliqua accidat, illi antea, toto etiam triduo, ita eventurum, certiſſime præſagiant. Nonne hæc ingentia, Iudices? nonne admirationis plena? Cæterum non minore præconio, & laude dignum, quod inſignem medicandi artem & qua vix aliud præſtantius Dei hominibus conceſſere, meis etiam invitis iucul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

care ſoleo, ita, ut etiam aliquando medicis ipſis exactius herbarum, florum, plantarum, ſeminum, radicum, arborum, foliorum, fructuum, lachrymarum, metallorum vim intelligant & pernoſcant; ut interim de animalium ſanguine, pelle, adipe, lacte, felle, oſſibus, nervis, &c. egregie ſileam: quid frigidum, quid calidum, quid aridum, quid humidum, quid repulſivum, quid apertivum, quid attractivum, quid reſolutivum, quid inſtaurativum, quid primæ, quid ſecundæ, quid tertiæ ſit virtututis, egregie informo, nec intellectus cognitione ſolum, ſed etiam ad actum (ut vocant) practicum deduco; quemadmodum & meis, in cunctis reliquis tribuere ſoleo, ut non minus in rebus agendis quam cognoſcendis & dijudicandis excellant. Nec mirum; cum & dono meo cunctarum gentium hiſtorias, omnium Poëtarum fabulas legant & cognoſcant; &, quod præcipue generoſi animi eſt indicium, cum omnes homines ad quæſtum ſuum reſpiciunt, ſola ego hæc cuncta gratis, & abſque mercede doceo, Hæc igitur cum ita ſe habeant, & mea, ut arbitror, Iudices æquiſſimi, in accuſatores beneficia cognoſcitis, & quemadmodum mihi gratiam referre ſtudeant videtis. Verum enim vero quid jam diu parturiant

turiant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

turiant, & contra hæc noſtra intendant objicere, perbelle novi, nempe hæc omnia non tam beneficii, quam ſummæ calamitatis eſſe indicia, ac me potius humani generis luem & perniciem, quam fautricem aut benefactricem eſſe, utpote quæ formæ ſtatum immutem, ſanguinem exhauriam, colorem invertam, vires atteram, ſomnos adimam, lumina hebetem, alacritatem demam, lætitiam auferam, lepores, riſus, jocos pellam, manus, digitos, articulos, humeros, genua, talos, totum denique corpus incurvem, frangam, debilitem: atqui dum talia mihi objicere contendunt, illis accidit, quod cunctis evenire ſolet, qui animi potius morbo, quam ratione certa dijudicant: Ignorant enim homines inepti, & vere ignorant plus ſe mihi accuſatione ſua laudis tribuere, quam objicere turpitudinis, aut vitii. Etenim dum corpus debilito, animum ſano; dum carnem affligo, ſpiritum corroboro; dum terrenum expurgo, quod cœleſte eſt introduco; dum temporarium adimo, quod immortale eſt confero. Proinde nemo veſtrum, Iudices æquiſſimi, tam eſt inſulſus, qui ignoret corpus animæ eſſe contagionem, quæ nunquam florere queat, ni illud defloreſcat: ſemper enim craſſa hæc moles impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dimento eſt, quo minus homines ad cœleſtia valeant eniti. Siquidem innumera corpus impedimenta objicit, ac tanquam nebulas quaſdam offundit, quibus mentis habetetur acies & obfuſcetur, quo minus verum cernere, aut ſequi valeat. Qantis etiam ærumnis homines agitantur, ut ſolum mortali huic corpori, quæ ad vitæ uſum ſpectant, poſſint ſuppeditare? Non dico de ſuperfluis, ſed etiam ſumme neceſſariis, tametſi pauciſſimis natura ſit contenta. Sequuntur animi ægritudines, nempe voluptates, opiniones, timores, conturbationes, cupiditates, amores, odia, & reliqua id genus vitia, quæ raro aut nunquam animum quieſcere permittunt, ſed ſemper exagitant, non ſecus ac ignis vis quædam violenta, quæ ſubinde aquam ferveſcentem ebullire cogit. Bella vero, ſeditiones, pugnas, injurias, cædes, rapinas, incendia, quid aliud concitat, quam corpus & immenſa ejus libido habendi ac nunquam exſatiata cupido? Omnia enim pecuniæ gratia fieri cernimus. At illam, corporis cauſa, & ejus uſui quærere cogimur; ac ita fit, dum corpori indulgemus, quam longiſſime ab animo diſtrahamur. Sunt enim corporis ſenſus, tanquam equi quadrigæ ſine ulla ratione currentes, animus vero inſtar aurigæ cun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

rentium fræna retinet, ac ideo, quemadmodum equi abſque rectore præcipites ruunt, ita corpus ſine ratione & animi imperio, in ſuum fertur interitum. Vnde ſapiens quiſque quam longiſſime à corporis ſe commercio ſegregat, ut animum ad Supremum tollere, & recte juxta illum vivere poſſit. Quantum enim ſe à corpore avertit, tantum ſe ad animum convertit, à corporalibuſque deſideriis abſtinet, voluptatibus dominatur cunctis, honores, fortunam, divitias, nobilitatem, famam, & quicquid apud homines beatum ducitur, flocci pendit, ſpernit, contemnit. Non ignominiam, non paupertatem, non afflictionem, non mortem denique ipſam formidat; at omnia, quæ corpori ſunt contraria, deſiderat. At qui corporis obſequitur ſenſibus, præterquam quod ei à virtutibus excidere neceſſe ſit, nunquam quod deſiderat conſequitur. nam falſis impeditus, quæ vere bona ſunt, perſpicere nequit. Et quemadmodum corpus è terra ortum ſumpſit, ita animi origo de cœlo manat, ac is de mente divina eſt decerptus, ut non inepte dictum ſit,

Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce,

Et alibi: Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur: alterum nobis cum diis, alterum commune eſt cum belluis. Nil igi-

tur animo præſtantius, nil divinum magis; tantumque corpori præſtet, quantum dominus ſervo, aut vivens mortuo: ac quemadmodum corpus nil niſi terrena curat, ita animus liber & rectus, nil niſi cœleſtia cogitat. Videtis ergo, Iudices optimi, quanto res ſit præſtantior animus corpore. At nunc ſi potero oſtendam, quam egregia ſim mentis excultrix, ac quantum cœleſtem animum efferam, dum corporis vitia extinguo; quamvis nec corpori ipſi ſemper nocere, ſed plerunque prodeſſe ſoleam. Nam & pinguedinem ſuperfluam ac ſuperabundantem attenuo, exſicco, humoreſque ob intemperantiam aſſidue redundantes conſumo; ac ni id facerem, ſæpius in molem immenſam ſurgeret, & ob nimiam obeſitatem haud parvum incurreret periculum. Deinde & vitam, ut medicorum norunt pueri, prolongo, niſi enim noxiam ac furentem materiam illam ad membrorum articulos impellerem, abſque dubio in cerebrum, cor, hepar aut ſtomachum impetum faceret, ac perquam facile ſpiritum extingueret vitalem. Cæterum omiſſis iis quæ carnis ſunt, ad hominum deveniamus vitia, quæ ego præ cunctis egregie curare novi: ita ut nemini hac arte cedam, ſive ille ſit Philoſophus, ſive ſit Theologus. Non ſolum enim impedimento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

mento ſum, ne mei præcipites in ſcelera ruant, ſed etiam mala, quæ jam diu inolevere, deleo, ac ſæpius penitus expello, obiterque, ne impune peccaſſe videantur, diligenter annitor, & ni hæc cuncta præſtarem, plerique nunquam à vitiis deſiſterent, ſed aſſidue cumularent malum malo. Sub initium igitur, parentem ferme omnium malorum, ſuperbiam, & ambitionem, domito, ac quam nihil ſit humana arrogantia viribus meis demonſtro, quam evanidum formæ bonum, quam facile corporis pereat robur, quam fluxi ſint honores, quam opes labiles, quam generis nobilitas nihil, quam inanis ſit omnis omnium mortalium gloria; ac ita efficio, ut homines, ſe homines eſſe, meminerint, nec diis ſe cenſeant æquales. Præterea dum illis humanas oſtendo ærumnas; invidentiam, æmulationem, obtrectationem, ac plane rerum alienarum curam impertinentem extinguo, quo pacto enim curioſe de alienis cogitarent, qui nequirent ſatagere in propriis? Omnem igitur malevolentiam adimo, ita, ut mei ne ullas calumnias, fraudes, aut dolos nectere cogitent, non diſcordias, non rixas concitent ullas, ſed ſatis ſuperque rebus ſuis negotioſi exiſtant. Nam quantum pertinet ad odium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

invidiamque, efficio, ut nec ipſi invid[i] eſſe poſſint, minus vero inviſi, ſed potiu[s] conſolatione & omni miſericordia dign[i] videantur. Non ſunt hæc levia, Iudices, ſed præſtantiora audietis. Tria ſunt, quæ potiſſimum meis ſunt infeſta, licet ſemper accepta, mihi vero nunquam non utiliſſima; ingluvies, amor, & excandeſcentia. Atqui ego non tam ad commodum proprium, quam accuſatorum meorum ſalutem reſpicere conſuevi. Illos enim identidem moneo, ut ab hoſtibus tam infenſis diligenter cavere diſcant. Si vero mandata mea neglecta eſſe comperio, & me de illis egregie ob contemptum ulciſcor, & in futurum cautiores reddo, ne tam facile imperium meum contemnere audeant. Quotienſcunque igitur vorando ſe nimium repleverint, aut merum ingurgitaverint ſuperflue, continuo vindex ſum præſto acerrima, & pœnas quas meruere exigo, & ne dehinc vires meas floccifaciant, adhortor. Quamvis non ſim tam agreſtis, ut vel cibum debitum ſubtraham, aut Bacchi liquorem penitus denegem: ſed meo beneficio, mei nonnunquam & delicatius veſci, & ſuavius bibere conſueverunt, præcipue cum nymphis ſacra facere haud neglexerunt. Porro ne libere agreſti illi domino inſerviant,

aut

aut pulchræ Veneris moveantur blanditiis, frequenter deterreo. Nam & eos ab impudicitia conſervo, ac nuptis pariter, & puellis pacem impetro, ita, ut nunquam, aut raro, mei ſtupra ſeu adulteria committere audeant. Sin ſecus, ita eos accipio, ut non minus facti pœniteat, quam ſubeat odium fœminei ſexus univerſi. Et quid majus amiciſſimus quiſpiam conferre poſſit, quam hominem à tot liberari incommodis, totque eximere periculis, quæ ſemper & ubique imberbem illum, & matrem plane tali prole dignam, ſequi conſueverunt? Cæterum quid de excandeſcentia dicam, furoris & inſaniæ plena, quam nemo æque ac ego emendare novit, adeo, ut etiam iræ ac indignationis ſervos libertate donare, contemptores vero pro meritis corripere ſoleam. Talia ſunt, quæ mihi accuſatores mei objiciunt, talia in me reprehendunt, dum corpus in ſervitutem redigo, meliorem vero partem ſublevo, quam juſte neminem veſtrum, judices, latere arbitror. Proinde quemadmodum carnem vitiis infectam expurgo, ita exorno animum ac virtutibus cunctis decoro, nec illum jacere ſino, ſed aſſidue in altum erigo. Equidem minime vos, Iudices, latere arbitror, magnam hominum partem ita ani-

matam eſſe, ut ſi ſemper ſecunda uterentur fortuna, nunquam conditionem ſuam expenderent, nunquam ad ſuperna reſpicerent, ſed ſemper inferna illis eſſent curæ, pecorum inſtar voluptatibus dediti, à virtutibus vero penitus alieni, corporis ac ventris curam gerentes, ducem autem animum negligentes: adeo, ut tales neque philoſophorum præcepta, nec ſaniorum adhortatio, non jus, fas, pietas, non leges humanæ, minus divinæ à tanta mentis cœcitate eruerent. At ego, illis tanquam nitidiſſimum jubar exorior, & diſpulſa caligine ita tenebras illorum illumino, ut relictis terrenis, plane animum ad cœleſtia tollant, ac cogitent, quam vana ſit omnis mundana gloria, quam fragile & nullius momenti humanum corpuſculum, quam ſpes, cura, ſollicitudo inanis, quis rerum exitus, quæ tandem bonos præmia, quæ malos ſupplicia maneant. Hæc dum meis redigo in mentem, ut Deum vere, non, ut hypocritæ ſolent, ficte adorent, largior, illum cognoſcant, illum invocent, illum venerentur, illum demum boni & mali diei eſſe factorem & dominum eſſe ſciant, ac intelligant. Et quid præſtantius, quid utilius hominibus concedi poſſet? quam ut creatorem ſuum agnoſcere, & illi dignas gratias agere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quirent, non ſolum ob ſecunda, ſed etiam adverſa: id enim præcipue largior, ut mei dum affliguntur, non minus quam cum proſpere agunt, Deum laudent & extollant. Quoniam æquanimes eſſe, & omnes dolores ac labores toleranter perferre didicerunt. Deum igitur variis lachrymis invocant, ac corde adorant humili. Quod ſi voti compotes evadunt, laudibus laudes accumulant: Sin minus, omnem adverſitatem fortiter ſuſtinent. Quoniam præſtantiſſimam virtutem patientiam meo conſequuti ſunt beneficio. Cujus laudes enumerare pergerem, niſi ſcirem neminem pro meritis illam extollere poſſe. Proin ſi quiſpiam in manus meas incidit, qui reluctando, aut indignando ſuperbire, ſeu obniti audeat, ita illum demulceo, ut & Gratiis humanior, & ſervis ipſis humilior eſſe videatur. Quis enim viribus & potentiæ meæ immenſæ reſiſtere poſſet? Atqui quanto obnitentibus ſum aſperior, tanto magis in ratione manentibus indulgeo, ac ita fidem corroboro, pariterque ſpem firmiter in Deo ponere doceo. Quo pacto enim non in Deo ſperarent? qui certo certius cognoſcunt, nec bonis meritis, nec malos carituros ſuppliciis. Quandoquidem nullum exactius fœlicitatis eſt ſignum, quam hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

jus ſeculi calamitas, nam quod hic eluitur, minime ſervatur futuro. Poſſem hoc multis oſtendere argumentis, poſſem ſacris probare literis, niſi auribus veſtris parcendum, & ſexus, ac conditionis meæ rationem habendam eſſe ſcirem. Proinde mei diſciplina mea eruditi, præ aliis charitatis opera exercere norunt: non ſolum in iis, quæ ad cultum ſpectant divinum, ſed etiam quæ ad ſubſidium humanum pertinent: nam ærumnis edocti propriis, libenter neceſſitatibus ſubveniunt alienis, ſperantes hoc pacto, & ſaluti ſuæ melius conſulere, & neceſſitati alienæ ſuccurrere poſſe. Et hæc ſunt, Iudices æquiſſimi, malefacta illa nefanda, quæ perpetro, dum corpus humilio, animum vero in libertatem aſſero, ut purgari & ſuperna recte valeat conſiderare. Nam ex ſceleratis pios facio, ex turpibus honeſtos, ex ſuperbis humiles, ex invidis amicos, ex maledicis benedicos, ex fraudulentis & doloſis officioſos, ex petulantibus continentes, ex iratis manſuetos, ex aſperis clementes, ex ſocordibus ſtrenuos numinis cultores, ex indignantibus patientes, ex avaris liberales: fidem, ſpem, charitatem infundo: humana contemnere, & ſolum cœleſtia amplecti doceo, omnia recto modo diffinire, ac certa ratione &

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

conſilio regere, bona & mala diſcernere, hæc diligenda, illa vero fugienda: Deum colere, mandata ejus, fidem, veritatem ſervare, charitatem exercere, pietatem non negligere, honeſte ac bene vivere, alium non lædere, contra fas nihil agere, innocenti miſereri, bene merentibus gratiam referre, malum pro malo haud reddere, nullo præcio, nulla gratia, nulla ſpe, à ſemita recta deflectere, ſed in omnibus ſolam juſtitiam præ oculis habere: intrepidum, ac minime meticuloſum eſſe, res humiles ſpernere, ac ſolum excelſas, & magnas expetere: ardua & difficilia quoque honeſtatis gratia voluntarie tolerare, ſtabiliter in ratione permanere, contra ſtimulum non calcitrare, nullo dolore ab officio diſcedere, ſed ſemper ad veram gloriam aſpirare: voluptates turpes non ſuſcipere, cupiditates temnere, calcare, conſiliis gubernare: non temere in odium, iram, vindictamve ruere: humanis caſibus compati, comitatem, manſuetudinem, clementiam habere, pudorem, honeſtatem, auctoritatem, modum denique in omnibus rebus ſervare, cunctaque certo termino metiri: ſe ipſum cognoſcere, finem, qui omnem manet carnem, aſſidue præ oculis habere: ob recta facta, præmia, ob vitia, certiſſima expectare ſupplicia, &

quid plura? Nihil denique, dum carnem affligo, ſoleo omittere, quo animus melior reddatur, emendetur, & originis ſui memor eſſe valeat. Videtis nunc, Iudices, an melius ſit corpus, quam animum ægrotare? ac nunquam rectius valere homines, quam cum minime valent? Cernitiſne adverſarios meos ad veritatem cœcutire, non ſecus ac oculos infirmos ad ſolis ſplendorem? Intelligitiſne oportuniſſimis remediis me vitia ſanare, ac minime reprehendendam, ſi id quod immedicabile eſt, durius aliquando curare videar, cum nec medici ipſi crudeles cenſeantur, aut iniqui, ſi igne, aut ferro utantur, quotiens remedia cetera in caſſum fuerint adhibita: imo ſæpius etiam mercede ingenti conducantur, ut vel urendo, aut ſecando ſanitatem reſtituant hominibus. Sane, ſi quis mihi objecerit, & alios quoque morbos cuncta, quæ enumeravi, præſtare: id non ſolum nego, ſed etiam pernego. Nam ut audiſtis, aut cito mortales opprimunt, aut ita affligunt, ut vix aliquando de animæ ſalute cogitare poſſint, cum ego penitus contraria facere ſoleam. Nam & recte vires meas intendere, & cum uſus poſtulaverit oportune remittere novi.

Proinde, Iudices, licet innumera adhuc eſſent recenſenda, finem tamen di-

cendi faciam, ſi prius magnorum hominum exemplo oſtendero, neque turpe meum exiſtere conſortium, neque miſerum. Excelſi vero animi eſſe, & proſpera pariter, & adverſa æquanimiter perferre, diramque ineluctabilem neceſſitatem in virtutis ſpecimen convertere. Et ut ſeculi hujus magnates prætercam, me Troiæ ille dominator Priamus in aurea ſua tecta admiſit: me Peleus, me Bellerophontes, me Oedipus non excluſit: me Pliſthenes, me Proteſilaus, me ſapiens Vlyſſes humane ſuſcepit. Et quod forſitan mirum videri poſſit, nec Achilles ipſe, licet pedibus velox, meum effugere potuit imperium. Nugentur Græci ut velint, & ob amicam ereptam iratum fingant, ego tamen eum à prœlio prohibebam, ego illa Briſeis eram, ego Danaum preces ſpernere cogebam. Nonne igitur prudens quiſque malle deberet cum tantis heroibus aſpera quæque tolerare, quam cum abjectis & vilis animi hominibus voluptatibus inſanis & turpiſſimis deliciis enervari? potiuſque animum virtutibus cunctis excolere, quam belluarum inſtar corpori & ventri deſervire?

Cæterum, Iudices optimi, cum me jam præſtitiſſe arbitror, quod ſub initium ſum pollicita, nempe accuſatores meos potius

malo-

malorum ſuorum cauſam eſſe, quam me miſeram: dein longe eſſe minora, quæ mihi objiciuntur, quam vulgus clamitet: demum multum me & minime vulgaria bona afferre: auribus veſtris amplius moleſta eſſe deſinam. Nec vos Rhetorum more enumerationem aliquam expectabitis, nam & memoriæ veſtræ pariter & bonitati confido, nec affectus movere curabo, potius in innocentia mea, ac juſtitia veſtra, quam in eloquentia ulla ſpem omnem conſtituens. Hoc oro, ut ita decernere velitis, ne mihi miſeræ, vulgi rumorem, plus quam culpam meam nocuiſſe ſentiam. Nam ſi etiam perſona ſim inviſa, cauſa tamen non inferiorem me eſſe novi. Si digna ſum, quæ male audiam, & vos indigni, qui male judicetis, nec mea plus quam veſtra intereſſe reor, ut vel vos exiſtimationem veſtram conſervetis illæſam, aut ego vobis ſalutem meam acceptam referam. Nam ea de vobis hominum exſpectatio eſt, ut non minus fama veſtra, quam caput meum periclitari videatur. Quapropter quanto magis damnatio injuſta vobis dedecori eſſet, tanto magis abſolutio æqua erit glorioſa, non ſolum opinione mea, ſed omnium mortalium, amicorum pariter & inimicorum. Proinde quemadmodum nec perſo-

ſonam meam mihi obeſſe, ita nec accuſatoribus ſuam prodeſſe decet, ſed potius res ipſa expendenda erit, & ſola veritas prævalere eſt digna. Nam illi, dummodo voti compotes evadere poſſent, parvi ducerent, ſi fama veſtra, innocentia mea, fas, pietas, juſtitia demum ipſa periret. Quid enim cum me ita crudeliter damnari petunt, aliud quam ut juſtitiam negligatis, demum ut leges ipſorum libidini ſubjiciantur rogant? Atqui vos diligenter conſiderare oportet, quid tales impetrare conveniat, qui totius mali cauſa ſunt & origo, qui morum improbitate ſemet ipſos in tantas præcipitant calamitates, qui tot vitiis obruti, ad alienam tamen famam depeculandam parati accedunt. Cavete igitur, & diligenter cavete, Iudices conſcripti, ne intemperatiſſimorum hominum verbis callidiſſimis circumſcripti videamini; ſed potius ſi ſapitis, quidnam officii veſtri, non illorum temeritatis ſit, conſiderabitis. Si id feceritis, ni fallor, me adjectam, me miſeram innocentem pronunciabitis; accuſatores econtra meos communi veſtro calculo unanimiter condemnabitis. Dixi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

HIERONYMI CARDANI

MEDIOLANENSIS,

Civiſque Bononienſis

MEDICI

PODAGRAE

Encomium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

HIERONYMI CARDANI

PODAGRAE.

Encomium.

INGRATI hominis officium nedum immemoris eſſe exiſtimarem, ſi vel eorum, quorum beneficio profecerim, oblivifcerer, aut ſi beneficii memor quibuſvis modis poſſem gratias non referrem. Nec quærendum puto in gratiâ compenſandâ, quis auctor fuerit beneficii, nec quo animo id contulerit in te, ſed quantum per id profeceris: Et quàm libenter fuerit impertitus. Nam de animo quid quæras, cum vultum, promptitudinem, hilaritatemque dantis conſpexeris? animum quidem ſolis Diis notum eſſe tam Philoſophi quàm Theologi conſtanter affirmant. Quòd ſi conjecturis agendum ſit, non niſi bono animo proficiſci beneficia credendum eſt: atque eo magis, cum qui dat, in plures alios fuerit munificus: ſi rogatus ægrè dederit, ſi nemini non roganti dare voluerit, exiſtimandum eſt parum liberali animo

dare

dare voluiſſe. Quod ad perſonam attinet, nemo ut dici ſolet, bonus eſt omnibus niſi Deus. Cæteri quibuſdam ſunt boni, pluribus plerumque mali, at contra podagra pleriſque bona, paucis mala eſt & gravis, tum verò liberalis atque munifica, ſponteque accedit ad homines, quo fit, ut cum nemo ſimpliciter dici poſſit bonus aut malus, ſed in collatione muneris talis ſit habendus, podagrà omni ratione bona dici debeat. Et cum malos eos credere ſoleamus, qui primâ fronte jucunda offerunt, tegunt quæ nocent, & hoc nomine rurſus laudanda illa venit, quæ ſub mali ſpecie nos aggreditur, quicquid tegit, quicquid latitat ſub veſte bonum eſt atque commodum. Non eo laudare velim podagram, quo cætera ſolent laudari mala mortalium, tanquam his ipſis juſtæ ab illis exigantur pœnæ. Sic enim & mors, & morbi & tyranni laudari ſolent, ſed non eſt hæc illorum laus, verùm accuſatio mortalis generis. Sint homines ſuo arbitrio ingrati, ſceleſti, impii, ſævi, avari, injuſti, & omninò improbi, nil ad laudem podagræ tam turpis & abominada cauſa prodeſſe poteſt. Non probabo pœnam, quam odero, & quam, ſi ego etiam immeritò ſubirem, ex eorum tamen genere ſum, qui eam ſubjerunt. Non eſt hoc augmen-

tum

tum paradoxum, non oſtentatio facundiæ aut ingenii, quorum unum in me minus eſt, quàm mediocre, alteri conſcius ſum nunquam operam navaſſe. Malè laudantur ea, quæ juſtè laudari non queunt, Velut ſtultitia, Calvitium, Quartana, in quibus quantò plus elucet Rhetoris eloquentia, eò in argumento levitas major deprehenditur: Oratio inanis & undique fides ac veritas hiſtoriæ deſideratur. Eſt podagra, quæ ſe ab initio oſtendit ac probat, adeò ut ſine verecundiâ prætermitti laus ejus non poſſit, dubiumque facit, an honeſtius ac præſtantius ſit de illâ verba facere, an turpius & iniquius illaudatam cum tot meritis tantaque gloriâ ſinere. Quod ſi nihil eſſet mali, quod dignum laude foret, certè podagram laudare non auderem: nunc video tot eſſe mala laude digna, ut laudare podagram illis omnibus multò mitiorem turpe videri non poſſit. Etenim menſes, qui fluunt mulieribus fœdi, & à quibus illæ adeò confliƈtantur, partus, dentium ortus, veneranda canities, omnia mala ſunt ἐξανθήματα ϗ ἑλκῶδες, & tamen quod plures ab illis benè ſe habent, laudem merentur. Objicies quod hi ex ordine naturæ ſunt, podagra morbus, qui caſu advenit. At nec familiaria adeò exanthemata ea illa rubra rotunda, parva,
varis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

varis ſimilia olim fuiſſe credo, quæ à ſolis Arabibus ſint deſcripta. Quæ nunc Variolas à Varis vulgus appellat, & morbillos neſcio quâ ratione, & tamen his purgari ſanguinem & meliorem fieri corporis habitum conſtat. Sunt timores, ſunt dolores, qui nos commonefaciunt vitæ melius traducendæ. Deflorata virgo dolet, hoc caſu accidit, & tamen laude dignum habetur. Si nulla eſt imbecillitas, ſi nullus eſt eſt dolor bonus laudanduſque, non inficior podagram non eſſe laudandam, ſed poſtquam tota vita noſtra voluptatem habet in dolore repoſitam, edendi in fame, bibendi in ſiti, venereorum in pruritu, jam hoc credo me obtinuiſſe, non eſſe toto genere podagram illaudabilem, admittique jure poſſe, ut partes etiam illa ſuas tueatur. Non invenit ad hanc uſque diem, qui illam laudaverit? an ob id laudari non meretur, etiamſi à nemine laudata ſit? Quot res, quot viri illuſtres præcone caruerunt? Quot morbi mala inſanię in contemptum bonorum laudata ſunt? Nulla peſtis ἐγκωμιαστικῷ ſuo caruit. At ideò augenda eſſet injuria, quia facta ſit? Quanquam nec defuerit egrègius laudator, & qui etiam Deos Deaſque laudare conſueverit. Lucianus ille Samoſathenſis, vir acer magnæque eruditionis, cujus exemplo moveor, non

æmu-

æmulatione ducor. Etenim velut in omnibus rebus egregiis, nullus orator tam oculatus eſſe poteſt, tam præclarâ arte inſtructus, ut rei dignitatem facundiâ æquare poſſit, ita in laudando podagram ſemper aliquid deeſſe neceſſe eſt, tum verò id magis contingit, quod raro oratores aut ſperant in arduis, aut ſtudium in humilibus rebus adhibent. Neque enim vel nos hanc provinciam aggredimur, quod pares laudes pro dignitate ejus dicere poſſe ſperemus, ſed quod noſtris laboribus facundiores ad hoc munus incitari debere credamus. Vnumquemque enim in certamen voco, non victoriæ ſpe, ſed ut victus ſæpè gloriari poſſim tanti certaminis, tam laudabilis operæ auctor fuiſſe. Vtinam reviviſcerent illi Cicerones, Hortenſii, Cottæ, Corvini, negotium pro dignitate ſuſcepturi & ſplendidè illuſtraturi. Etenim plurimum refert in rebus etiam pulcherrimis quomodo quidque dicatur, ornetur, amplificetur, aut excidat & propriis laudibus fraudetur? Nihil eſt tam præſtans, quod vitio orationis contemptum non evadat, imò odioſum. Optabat Alexander Magnus Homerum laudatorem, majorque etiam nunc gloria eſt Vlyſſis atque Achillis, qui parvis in oppidis imperârunt, qui cum tota Græciâ vix decem in annis urbe

unâ

unâ potiti ſunt, quam ipſius Alexandri, qui in totidem annis ſolus orbem totum occupavit. Ergò ſi non pro magnitudine aut dignitate laudem podagræ tractavero, meritò illa doleat, quæ tàm ſiccum & frigidum laudatorem, omniſque facundiæ expertem malo Fato ſuo nacta ſit, illi non imputetur, cujus voces quotidie ad aſtra uſque feruntur. Verum ne amplius ipſam rem differam, ejus hiſtoriam narrare ſimpliciter decrevi. Nam

Ornari res ipſa negat contenta doceri.

Omnes fatentur illam inter ſuas contribules principatum tenere, dico chiragram, arthritidem, iſchiam, mentagram. Vt quod ad nobilitatem attinet omnium illa ſit prꝫſtantiſſima. Quid dicam illius affines Nephritim, colum, regiumque morbum & ſocios febrem, abſceſſus, omnium hæc dux eſt, atque ad illam omnes referunt. Nemo podagricum arthritide aut chiragrâ aut coxendice teneri dicet, at ſi quis horum uno laboraverit, podagrâ laborare illum dicunt. Quinimo quotquot morbi leves artûs occupaverint, ut nobilitentur, nomen podagræ ſibi aſſument, tametſi ab illâ plurimum degenerent. Adeò nobile eſt atque vulgatum hoc nomen, ut & ægri patiendo, & medici curando eo ſe nobili-

tari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tari putent. Neque verò ambitioſo illa nomine delectata eſt. Non ſe cephaleam aut cardialgiam vel ophtalmiam nuncupavit, nec turpi etiam nomine coinquinata eſt, quemadmodum mariſcæ, fici, hæmorrhoides, teneſmi, à pedum nomine ſuum traxit humillimâ corporis parte, ſed non ſordidâ, neque turpi aut fœdâ. De antiquitate nulli non nota medico, & multò ante Hippocratem, atque uſque à Trojanis temporibus nomine nobilitata ſuo, quod adhuc è Græciâ ipſa retinet, non quod latini pudeat, ſed quod antiquo magis gaudeat; argumentum conſtantiæ ſuæ, libertatem & ingenuitatem ſemper profeſſa, apertè invadit, vi quod vult obtinet, nulli inſidias molitur. Et cum maximis doloribus homines premat, neminem tamen occîdit aut convellit. Quin etiam in ipſis doloribus riſum movet. Ea ſola ſpernit medicinam, ut Poëta:

Solvere nodoſam neſcit medicina podagram.

Quinimo bellum indixit medicis, multos etiam eorum conflictavit graviter. Vnguenta ſpernit, medicamenta negligit, emplaſtris irritatur, fomentis ſævior fit, nullum medicinæ argumentum timet: recedit atque accedit, cum vult, melius arbitrio ſubjecta. Non amuletis aut præcanta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

cationibus ullis pellitur, imò ne divorum quidem penè ſupplicationibus. Solus Deus eam depellere poteſt. Generoſi animi res, quæ imbellem non fatigat ætatem, nec pueros, nec ſenes ultimos, nec mulieres, aut ſpadones, quicquid floret, quicquid robuſtum eſt, aggreditur ac evertit: oſſa ipſa loco movet, debilitat robuſtiſſimos, nervos & vincula quatit, juvenes ſolos proſternit, non minis terretur, non machinis pellitur, non blanditiis delinitur. Quos invadere propoſuit, invadit, quibus infenſa non eſt, ab his perpetuò abſtinet, Simili gloriâ cum Regibus, Cæſaribus, Pontificibus, potentibuſque juris ac ſapientibus, ut vulgus exiſtimat, pugnam init, Pauperes ruſticoſque relinquit. Ingreditur aulas Principum: Et eos, qui proprias uxores filioſque faſtidiunt, ille rabida aggreditur, dieſque ac noctes, illis quantumcunque invitis, cum eis verſatur. Depulſiſque chariſſimis pignoribus veteribuſque famulis.

Dormit & in plumâ purpureoque thoro.

Vnguenta ſentit, cantûs & citharas audit, mollia ſtrata, pulvini ſericei, inter aurum, gemmas, & pictas tabellas ſuperba decumbit: Audit fabellas, deguſtat vina generoſa, delicatioreſque cibos, afferuntur interim flores gratioſi, veſtes variegatæ, & quic-

quicquid ambitioſum à civibus, vel ipſis Regibus multorum ſpatio annorum congeſtum eſt. Quod ſi vera omninò ſunt, quæ de Telchinibus laſcivis Dæmonibus Platonicis fabulantur, quos ferunt in hominum corpora transferri, ſolos eos beatos eſſe crediderim, qui cum podagrâ ipſa domicilia corporum humanorum ingrediuntur. Namque cum Venere & Baccho & delicatioribus dapibus perpetuum fędus contraxit: adeoque beata eſt,ut qui eâ detinentur, præter dolorem ipſum beatam vitam ducere cogantur, neque enim illa ſteriles efficit, ſed ad Venerem acriores reddit. Verum ad Philoſophos venio, Arceſilaus ex ejus fuit domeſticis,tum Lycon Tharcenſis aliique, ut non credas podagram etiam non philoſophari. Noſtrâ ætate vir magnæ eruditionis Eraſmus è cubili podagræ quicquid legi meretur ,exprompſit. Sanior longè in morbo quàm in bonâ valetudine. Quot pulcherrima monumenta eruditorum virorum Podagræ debemus? Sani operam damus negotiis, & ſi quid exit temerè effutitur, ægri ſtudiis ac contemplationi. Et quid emiſſum tunc fuerit,lucernam ſapit, & modeſtum eſt atque caſtum. Sed hæc mittamus: de potentiâ agamus, quæ in illâ maxima eſt. Sola enim podagra totum invadit hominem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Primum quidem pedes aggreditur, inde manûs, genua, cubitos, ſuras, humores, dorſum, collum, mandibulas, denique etiam dentes. Sed neque linguæ parcit. Et ſunt quibus naſum invaſit atque diſtorſit: adeo in omnes corporis partes dominatur. Quid ergo huic ſimile? Febris uiverſum corpus apprehendit, elephantiaſiſque, tum hydrops atque icterus morbus. ſed univerſim dominantur? ſola podagra in ſingula membra imperium habet. Quid quod exoſſat homines, enervat, excarnificat, contorquet crura, manûſque mirum in modum, medullas depaſcitur, gibbos, alios repandos efficit. Vt verè ſola noſtra regina corporis dici poſſit. Sed mirum quiddam audi de illâ. Intellexerat medicos quoſdam haud gregarios ſcripſiſſe, poſſe eam hermodactylis atque Corallio depelli. Irata ſtatim, neſcio quâ arte, ſeu caſu, ac bonâ ei fortunâ contigerit, hos inimicos hoſteſque ſuos ita eliminavit ex orbe, ut ſola nomina eorum nobis reliquerit. Et coronopum quidem ſeu corallium audiunt omnes & hermodactylum, ſed quid ſint nemo doceре poteſt. Neque illum laudârim, qui cum multis cucurbitulis languentes in balneo benè olentium herbarum poſitos excarnificabat: cum plus eſſet in medicinâ incommodi, quàm in morbo ipſo. Quid profuit

fuit Agrippæ aceti fervidi balneum, quo ſimul levatus eſt dolore ac pedum uſu? Quid Cæſari noſtro medicamentum illud ficulneum ac quaſi ſuperſtitioſum è nigræ capræ ſero cum ficûs lacte? Nonne præter id quod nihil contulit, velut & reliqua omnia, quæ illam arcêre ſolent auxilia, vitam efficit beviorem, atque tenuiores omninò illius vires? Quid fontes, quos ſeu caſu ſeu voluntate concluſeris, brevi mortem afferunt. Qui ligni ſancti decoctione, qui ſarzæ Pariliæ, quique Thermarum aquis gloriantur, annos numerent, quibus vel curati vitam ſanam degant, aut ſuperfuêre incolumes, non eſt depellere morbum mitem, ut lethalem excipias. Quid mod o deme factura ſit neſcio, quod eam depellere me poſſe jactaverim, forſan enim aut contemnet, aut non curabit, poſtquam id præſidium adeò in paucis experior, ut propter meipſum ſolum illud inveniſſe videar. Et ſi modo adverſum me ſæviat, non jure id egerit, quandoquidem eam ſolum relegare quæſierim, non exturbare perpetuò è domo, nec alios docuerim. Irata ſanè meritò fuit Guilielmo Budeo, qui cum eam publicè conatus ſit docere eliminare, ipſum auctorem ita concuſſit, ut nil integrum ei reliquerit. Sed aliud eſt tueri partes ſuas, ſuaque commoda procurare, aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

jactantiæ cauſa, aut ſpe lucri alios,ut id facere poſſint docere: Aliud eſt infeſtum hoſpitem aliquamdiu detinere ; ne adeò frequenter nos moleſtiâ afficiat, varius vexet, aliud omninò è domo pellere , & prorſus hoſpitio interdicere. At fortes viros forſan aggredi non auſa eſt. Nil minus, vidimus ætate noſtrâ Antonium Levam , Alphoriſumque Avalum , duo belli fulmina ſingulari prudentiâ fortitudineque, tot claris geſtis , ſic ab illâ obſeſſos , ut homines intelligerent , eam nihil inacceſſum relinquere. Et fulminum Iovis exemplo ardua quæque petere , concutere quaſſareque. Quid aliud fuiſſe credendum eſt, quod Herculem domuit , licet Poëtæ ulcera fuiſſe dictitent. Neque enim voces illas adeò iratas protuliſſet , ſi malum in carnibus non venis atque artubus fuiſſet. Sed omittamus dubia, quandoquidem propriis ac certis laudibus podagra contenta ſit. Etenim ſufficiat unum pro multis exemplum in Severo Imperatore, qui cum fortiſſimus omnium fuerit, orbemque occupârit, ita ab eâ victus eſt , ut perpetuo decumberet , & cui totus parebat orbis, is ipſe podagræ ſerviebat, nec illa ſe vinci paſſa, nec is victus deſtitit eſſe terribilis. Hoc tamen ob id ſolum dixerim, quod ſciam nullum eculeum , nullaſque fediculas tantis doloribus hominem

affice-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

afficere poſſe, laminantur, trahuntur, diſtorquentur, punguntur, lacerantur, franguntur, eroduntur artûs eorum, qui podagrâ correpti ſunt: nullum majus ſupplicium, quod tam diuturnum ac grave ſit, Deos aut inferos tyrannos inferre poſſe crediderim, quàm ſint podagræ dolores. Ceſſant ut gravius afficiant, intermittunt ut majori impetu invadant: mitigantur ut carnes quaſi ſanæ uberius excipiant malum, reſtaurantur ægri ut diutius ad pœnam ſufficiant. Nec tamen quenquam perimit, ne miniſtra alterius ſcilicet mortis videatur, exiguus coli aut ſtomachi dolor interficit, quia hi mortis miniſtri ſuut; at podagra ſui juris eſt ſola, nec ulli paret, ſed potius alii morbi obediunt ei. Etenim ubi illa fuerit, omnes alios depellit morbos, nec patitur corpus ſibi addictum, ſuæ ditione ſubjectum alteri parêre aut quenquam admittere. Quot aliis ſæviſſimis morbis ad vitæ deſperationem laborantes, illius adventu ſanati ſunt? Quid de illius pudicitiâ atque juſtitiâ, quæ cum univerſum ut dixi invadat corpus ſingulaque membra, nunquam tamen adeò irata eſt, & ſui oblita pudoris, ut pudenda virum, aut fæminarum, aut anum aggrederetur? Abſtinet & à temperatis, cum à nullo alio hominum genere, ſeu ſapientibus, ſeu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

fortibus, ſeu opulentis, ne nomen temulentiæ ſubeat aut procacis. Simili conſtantiâ à pauperibus abſtinet, ne crudelis videatur, quæ victum miſeris eriperet. Ergò juſta, mitis, fortis, ſapiens, pudica, generoſa eſt podagra, ſeu contemptu eorum, quos non invadit, ſeu dignitate illorum quos ſubigit. Viſa eſt etiam mihi aliquando è genere Flaminum Dialium, quibus cum ad mortuos ingredi veteri inſtituto non liceret, huic nec ad mortuos nec ad morituros. Quod ſi cuique infenſa, perdere illum ſtatuat, abſcedit traditque febri, aut orthopneæ, aut attonito morbo jugulandos. Similique ratione irata quibuſdam, qui eam depellere tentârunt, abſcedens febri doloribuſque ventriculi mandavit occidendos. Non illa turpis aut abominanda quemadmodum lepræ ſcabies, Indicuſque morbus, non contagioſa ut phthiſis, peſtis, ophtalmia, ſed ad eam ſecurè ut vadant amici, permittit: nunquam illa nos ut cæteri morbi clanculum adoritur, aut nobis neſcientibus. Ea nihil etiam fædum aut moleſtum ſecum ducit, non ſaniem, aut ulcera, aut tuſſim, vel vomitûs, aut alvi profluvia, tota munda eſt, & ſeipſa contenta. Quin etiam unumquemque pro menſurâ debitâ præmit. Validos vehementer ac diu, imbecilles, parum ac

brevi

brevi tempore affligit. Forſan objicies, vilem eſſe podagram, quod etiam Canibus, jumentis, capis, avibuſque pleriſque in otio detentis, aut ultra modum ſaginatis adveniat. Vnde etiam, qui eas aves edunt, proniores ſunt ad podagrę morbum ſubeundum. Sed non eſt hæc podagra, quæ dolores certè nullos aut perexiguos excitet, cujus indicio eſt quod nec queruntur, nec clamant. Sed ſimile quippiam, nam omnibus rebus egregiis natura ſimile quid excogitavit, homini ſimiam, equo hippocampum, ſunt & uvæ in vitibus & in mari, ut etiam in Epigrammate Bouſſueti:

Vva marina ſemel vino permiſta bibenti
Fertur magnū odium inducere poſſe meri.

Iam verò quantum affert commodi podagra, atque primum nobilitatis opinionem, namque & ſi conſtet eum, qui illam patitur, eſſe ruſtici filium, id conjecturâ omnes aſſequuntur, falſò creditum illius eſſe filium, ſed nobilis ac præpotentis viri, ſpurioque genitum concubitu. Tum verò magis, quod morbus is ſit hæreditarius. Cupiatque podagra ſuos deſcendentes agnoſcere. Cùm verò podagroſus in aulam venit, ſuſpicitur ab omnibus, etiamſi ſit nebulo. Habet enim neſcio quid regium podagra, ſedet cum alii ſtant, & equitat cum alii pedibus ambulant. Vidi Maximia-

num Stampam in mulâ ambulantem, cui à pedibus erat Alfonſus Avalus Princeps, quia tum is valebat, illum podagra detinebat. Quot ſedent hujus beneficio apud principes, alioquin eo prorſus indigni honore? Videas amicos, qui accedunt, quantâ cum modeſtiâ ſe gerant? dicas aſſidere illos Cæſari aut Pontifici, quantâ cum reverentiâ tractent, tangant ægrotantes & interrogent? Quid de domeſticis? non adeò leniter tonſor novaculam ducit. Si quis tibi ruſticus & agreſtis incomptuſque familiaris adſit, podagroſo adjiciatur, ut ſerviat, habebis per quam frugi comptiſque moribus omnia tractantem bellè ac leviuſculè, dicas ælurum ſuper plumam. Cogita quæ domicilia ſibi elegerit, quomodo inhabitet? non niſi alta palatia prætoriaſque domos læta vivit inter amicos & voluptates. Si quis ab amicis negligitur aut eum tanquam aſperiorem refugiunt, ubi podagra invaſerit, jam omnes accurrunt. Si qui morbi eis jungantur, febris, vigiliæ, doloris alii, ea omnium ſibi vendicat locum. Quid habet interrogantibus? reſpondent, podagrá laborat, adeò podagrę nomen notum omnibus eſt celebre atque illuſtre. Sed qualem hominem facit podagra? Pium, caſtum, continentem, prudentem, vigilem, & ſi quando dormit, non ut reliqui

mor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

morbi turbulenta facit inſomnia. Nemo tam Deorum eſt mem r, quàm qui à podagræ doloribus detinetur: qui podagram patitur, obliviſci non poteſt, quod cæteris omnibus ferè contingit, ſe eſſe mortalem: à vino, carnibus, reliquiſque eduliis, à crapulâ, à Venere tantum abſtinet, quantum putat ſe poſſe eſſe ſecurum: Avertit à principe noſtri particulâ cerebro ſcilicet, ac ſenſibus, & mente omnes pravas cogitationes, vanas ſpes, ſuperfluos timores, incerta ſtudia, non permittit in vanum opes profundere, cogitque vel invitos commodè, lautè & ſplendidè etiam vivere. Quanta vero commoda ex hujuſmodi moderatione? quin etiam, cum deſperent ad alios accedere poſſe, ut hi ad ipſos accedant, fiunt mitiores, comes, blandi, manſueti, diſcuntque tractationem cum hominibus, nec ulli alii prudentiores podagroſis habentur. Qinimò eis committi ſolent Reipublicæ habenæ: habenturque conſilia illorum matura, prudentia, atque tuta. Vt quorum mens nullis fluctibus agitetur, corpus à motibus quieſcat, & anima ſuperfluis cibis aut potibus minimè ſit impedita. Iam vero & illius peculiaria explicemus dona (tria autem ſunt præcipua) lapidem in veſicâ generari prohibet, & pulmonem ulcere affici, præterea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

eum efficit vini guſtum, ut nemo melius vinorum percipiat ſuavitatem, quàm podagroſus. Mortem præterea leniſſimam, & ſomno ſimillimam parit, ſi cui à podagrâ ſuccedente morbo mori contingat. Quid cum remittit ſe, quales ſomni, quàm dulces, qualis indolentia & pruritus circa locum, parum à venereâ diſtans voluptate? Hæc ſola nos admonet ſtudiis incumbendum, quandoquidem ea ſola dulcedo dolorum interventu abrumpi nequeat. Sed præter ipſam ſociorum jucunditatem, quæ in omni morbo exigi ſolet, peculiari naturâ movet & amicos & ægrotos, ut jocis ac ſalibus plus delectentur, ac valeant, ut venereis claudi, dolis gibbi, fraude ſtrabi, promptitudine & conſilii celeritate calvi, ut ridicula ſit horum converſatio. Addamne & illud, quod podagrici motûs lunæ melius Aſtrologis nôrint, temporumque mutationes certius nautis. Hæc atque alia plura ac præſtantiora de podagræ laudibus verè dici poſſunt. Sed video quod contra poſſis objicere, quod morbus tamen ſit: atque quod melius omninò ſit, ut etiam de cæteris, non habere quàm habere: Atque hoc eſt, quod plerique jactant, pauculiſque incomptis verbis tantam gloriam interturbare atque confundere

poſſe

poſſe ſperant. Sed ſi modo ex hoc ipſo maximè oſtendero illius præſtantiam ac laudem, haud dubito, convictos fore illos, qui quovis nomine non dignam fore exiſtimabunt. Principio damnas eam quod morbus ſit, quaſi non tota vita noſtra morbus ſit aliquantò deterior, quàm podagra. Nam ſi morbum vocas ſolum dolorem, certè podagra morbus erit, reliquum vitæ non ita morbo laborare dici poteſt; at ſi morbum dixeris animi corporiſque languorem, ſecus longè. Nam nunquam minus morbo laboramus, quàm cum podagra nos affligit. Morbus eſt ſtultitia, voluptas, oblivio conditionis noſtræ, iracundia, odium, dolor quibus nos ipſos noſtroſque levi vel nullâ cauſâ evertimus. At non morbus eſt melancholia? & tamen hac ipſâ laboraſſe pluresque ſapientes viros atque præſtantes auctor eſt Ariſtoteles. Quid Poëtæ, Vates, Sibyllæ? nonne omnes morbo laborârunt? & quamdiu in pretio fuerunt, eò magis conflictati ſunt, quapropter & paucis ex his longâ vitâ perfrui contigit. Melancholicus fuit Virgilius, inſanus Lucretius, ſtultus Naſo, ebrius Horatius: quid tot commemorem? cum omnes inſanierint, breviſque vitæ fuerint. Si quid eſt in nobis divinum, jam maxime

dete-

detegitur in morbis: tunc enim futura prævidemus, prudenter negotia diſponimus, atque à perturbationibus animi liberi ſumus. Podagra ſi temperantiæ juncta ſit, ſensûs reddit vegetos, firmam memoriam, ſucculentum corpus, valetudinem ſinceram, vitàm longam, guſtum purum, ſomnum tranquillum, animam ſuavem, lætas cogitationes, promptam ad ſtudia ſapientiæ mentem: nam cum alii morbi ſolent illam interturbare, ſola podagra adauget & exacuit. Hoc verò illa habet præcipuum & incomparabile donum, quod ſola animum contendat jam aſſuetum obniti adverſus corporis acerbiſſimos dolores, unde viget illius maxima fortitudo atque conſtantia ac robur, quo corpus adverſus cætera incommoda omnia regat ac gubernet. Nam, de illo ſolum quereris, poſtquam de animi languore plus ſatis dictum eſt. at quærebatur Plato, nimis ſe frui bonâ valetudine, niſi enim ægro jam corpore animo valere non poteſt, ſed ſit, ut dixi, contemptus animi, quærantur ſolum corporis bona, quantum tibi adimit podagra temporis? quantum te impedit à negotiis? certè ſi temperanter vivere velis, parum aut nihil exigit: labores inanes & curas graves, ut ſi ſerviendum ſit tumultuoſæ Reip. ſi gravi prin-

cipi

cipi & moroſo, ſi imprudenti amico, unde nam melius ſumitur excuſatio, quàm à Podagrâ? habet podagroſus maximam temporis partem in ſuâ poteſtate, nulla honeſtior excuſatio laboris, quàm à Podagrâ, & ſi res tua agitur, deſeruit te dolor dicis. Sed hæc mittamus, & de morbo agamus: quis eſt, qui ſi in podagram non incidat, deteriore morbo non laboret? ſi oculo qualis moleſtia? quale periculum? quantum impedimenti? ſi aure, periclitaris de vitâ, de auditu: ſi dente, nec dormire nec edere potes: ſi tuſſi, periclitaris de ſputo ſanguinis: ſi ſcabie, fœdus es, omnes conſuetudinem tuam fugiunt: ſi febre, certas de vita: ſi coli vel ventriculi dolore, præter id quod moleſtiſſima ſunt, magno in diſcrimine verſaris. Nephritis acerbiſſimos habet dolores, & periculum vitæ affert, regius morbus hydropem, hydrops mortem parit. Cordis palpitatio ſimilis eſt pœnæ infernorum, coxendicis dolor podagræ doloribus non minor eſt, claudoſque reddit: comitialis ad ſingula momenta horrendus, & non ſine vitæ diſcrimine: hernia nunquam ſanatur, nunquam fideliter intermittit. Quid eſt ergò, quod optare poſſis magis, quàm podagram, ſi non ſperes te perpetuo futurum incolumem? quæ ſpes quàm fallax

ſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſit: intelliges facilè, ſi ſingulorum vitam inquiras, qui vel quadrageſimum annum exceſſerit, quotuſquiſquè enim ſine labe deterrima eſt? ſed latent talia præter medicos. Ob id plurimi immunes à morbi labe populi judicio ſunt, verè autem quàm pauciſſimi. Itaque cum ea conditione nati ſimus, ut aliquid pati neceſſe ſit, nec morborum ullus mundior, mitior, ſecurior, facilior, animæ vires adeò augeat, mores, exornet, nullis commodis afficiat vitam aut dignitatem aut opes, propterea meritò Encomium illi diximus, debitaſquè ei laudes tribuimus. Quod ſi malevolus calumniator objiciat, quorſum hæc? laudare rem fœdam, abominandam, morbumque diuturnum atque inſanabilem? idque non niſi oſtentandæ facundiæ vel ingenii factum putet: quandoquidem non res una ſit podagra, non Dea, non naturale quidquam, ſed è genere læſionum, dolorum, moleſtiarum, defectuum, is ſanè decipietur: quandoquidem licet accidens ſit, ac privatio quædam, nihilominus res eſt, non ſimplex defectio, quæ cum homini advenerit, ſcire præſtat bono potius fato, quàm malo adventaſſe, optimumque eſſe in humanis, his quæ nocere ſolent, commodè uti ſcire, ſicut peſſimum his, quæ bona

ſunt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſunt abuti. Eſt ſignum, eſt cauſa bonorum multorum, atque ſi ab effectu & exitu res penſandæ ſunt, talis ut comparem in humanis non habeat. Nam præter reliqua quæ iam dicta ſunt, quot caſibus illa nos violentis eximit? Nuper apparuit in Andreâ Dauriâ, Genuenſi Cæſareæ claſſis præfecto, quem cum per proditionem Ioh. Aloiſius Iliſcus convivio exceptum occidere decreviſſet, podagræ doloribus ſævientibus ad convivium non acceſſit, inde imminentem cædem evaſit. Quotquot annos ſupervixit, fuêre autem circiter tredecim, beneficio podagræ debentur, tum geſta eo toto tempore. At quàm multis aliis mortalibus ſalus fuit podagra, ut ſe ab inſidiis atque imminentibus periculis tuerentur. Quot venena, cædes, & ſi nullum eſſet aliud malum, crapula vitantur, dum ad couvivia non accedunt homines. Quin quot à malis nos illa avertit cædibus, injuriis, inſidiis, adulteriis, non ſolum quod eâ detenti impediamur: ſed quod ab hujuſmodi cum ſciamus perpetuò vigilandum & contentionibus incumbendum, non audeamus nos periculo committere, ſed quieſcimus, paremuſque ſolum neceſſitati ac rationi, non perturbationibus, à quibus fallimur: cumque ſic nos avertat, ac quaſi mala diſſuadeat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

non prohibeat, ſi neceſſitas incumbat, nec admodum reſiſtit, nec ſi vis ei inferatur, periculum affert: multi in incendiis diſtenti acerbiſſimis doloribus podagræ fuga tanquam ſani eſſent ſe proripuerunt. nec Dauriæ prope octogenario nocte ſub initio Ianuarii obfuit, & equo fugam & celoce arripuiſſe. nec ſcio quenquam, qui ob podagram ab hoſtibus oppreſſus, aut qui quod ſe é manibus eorum proripuerit incommodum paſſum. Itaque cum tàm inſignibus dotibus, atque exemplis, præſertim hujus mariniRegis encomio, podagræ finem faciamus. Neque curemus quod ſubſtantia non ſit, nam ſubſtantiæ è divinorum genere ſunt, ut in Hyperchen oſtendimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

CAELII CALCAGNINI

ECOMIVM

PVLICIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

R. D.

LADISLAO EPISCOPO VATIENSI,

Sereniſſ. Regis Hungariæ Vicecancellario S.

ACcepimus Servilium Vatiam virum prætorium ita ſe unum amaſſe, ut ablegata hominum conſuetudine in villulam ſuam Cumanam ſeceſſerit, atque ibi per ocium omnem ætatem abſumpſerit. At noſtra ætas miratus Vatienſem Antiſtitem ampliſsimum, ita ſua nihil curantem, ita ſui obliviſcentem: ut dum rem communem agit, dum deſtituti penè regis negocium procurat, multo plus aliis omnibus, quam ſibi natus videatur. Quare ego illum quum teſtimonio aliquo meæ ſummæ obſervantiæ donandum putaſſem, quod aliquo modo graviſsimas ejus occupationes levaret, & quaſi minus in proſcenio vel riſum excitaret, vel arduis & ſeriis inducias afferret: nihil ſe mihi promptius obtulit quam ἐγκώμιον, *ſeu mavis declamatiunculam dicere, ſuper laudibus pulicis: quam modo, dum æger cubarem, luſi: & ne nihil agerem,*

hoc

hoc egi. Nec vero recuſo, ut hoc quicquid eſt, vel rideat, vel irrideat, dum Cœli ſui ſemper obſervantiſsimi meminerit: ſecumque ita cogitet, inter veteres illos ſtatuarios non ſolum Phidiæ & Praxitelis, ſed & Pyrrhichici nomen celebrari ſolere: qui dum tonſtrinas ſutrinaſque & aſellos ac obſonia & id genus vilia pictura exprimit, ῥυπερογράφε, id eſt ſordidi pictoris nomen invenit. Sed & illud in hoc ſcribendi genere opportunum accidit, quod præter novitatis commendationem etiam brevitatis patrocinium acceſsit: ut ſiquid diſplicet, cito deſinat diſplicere. Bene vale. Budæ. Calend. Iunii. M. D. XIX.

Æra, marmora, ſaxa, ebur, tabella,
Quom jacent ſine more proſtituta,
Calcari pedibus ſolent profanis:
Quom vero fuerint dicata templis,
Actutum innumeros merent honores.
Sic vilis modo ſordiduſque pulex
Cœpit denique nonnihil videri:
Quom rhetor ſua vota nuncupavit,
Et ſcripſit breve carmen in tabella:
Donum Antiſtitis eſto Vatienſis:

PVLI-

PVLICIS ENCOMIVM,

Auctore

CAELIO CALCAGNINO.

VIDETVR natura quom exigua corpore animalia compegit, id ante omnia procuraſſe, ut quicquid magnitudini detrahebat, illud vi aut aliqua certe utilitate compenſaret. Quorum utrunque ita planum ac perſpicuum in pulice animadverti poteſt, ut mirum omnino videatur: quom & viribus, ſi recte inſpiciamus, non illi modo brevitate conferenda, ſed longe corpore ac ſtatura majora exuperet. Quod ſi utilitate etiam ac ingenita quadam potentia ita pollere oſtenderimus, ut perpauca illi ex omni animantium genere æquari poſſint; tum illud abunde, quod expeto, mihi videbor aſſecutus: eos ſcilicet non ſatis vero, nec explorato animi judicio, ſed libidine vel invidia potius permotos, qui ſordidum ac infeſtum animal pulicem dixere: quom ex adverſo potius & elegans & commodiſſimum nuncupari oporteat. Quas eorum calumnias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

nias ut facilius diluamus, à corporis habitu primum auſpicandum arbitror. Nam ei quidem color, qui præſtantiſſimus haberi ſolet, ſeu tu illum hyacinthinum, ſeu purpureum malis appellare. Hoc triumphantium prætexta, hoc imperatorum paludamenta illuſtrantur. Corporis vero portio neque omnino oblonga, neque teſtudinata, neque plane rotunda, ſed quaſi omnium particeps, tereti quadam pollet habitudine: qua neque ad agilitatem, neque ad elegantiam accommodatior ulla reperiri poteſt. Tum vero quo proboſcidem natura ſpiculavit ingenio? quám exili, quam reciproca arte conformavit? ut fodiendo acuminata, ſorbendoque fiſtuloſa, deprehendatur. Texturam vero tergoris quam apte, quam ſine ullo diſpendio capiti continuavit? quam pulchre imbricatis, ſed etiam pene inexploratis conjunxit flexilium vertebris? ita ut (quod omnium inſectorum peculiare eſt) fruſtillatim etiam cæſus, ſpiritus tamen aliquid ſervet, mortique intrepide occurſet, & quod omnia domat fatum moretur. tantus eſt in tantillo corporis vigor, tanta pollet acrimonia. At poſteriora quam gracili, quam reducto tornavit ambitu? fores excludendæ ſaturitati qua concluſit induſtria, qua coagmenta-

vit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vit modeſtia, uterculum miro caſtigavit temperamento, incredibili caveæ vacuo perforavit? In hunc, tenuem quidem, ſed vegetum atque inexhauſtum ſpiritum perflavit. Mirum vero dictu quam longo inteſtinorum nexu compleverit, quam ingenioſo ambitu complicaverit. Quod tanto artificio factum eſt, tam ſubtili magiſterio peractum: ut nec Myrmecidis, nec Callicratidis opera, nec faberrimi ullius artificis, quicquam habeant conferendum. Nec minus pedes ſuis diſtincti internodiis mirabili adhærent arte. & prioribus quidem ad plurima utitur officia: vel ut ſcabat, vel ut detergat, junctis, ſublatiſque utrinque, pedibus, ne dicam, an manibus? manibus profecto præſtat dixiſſe. Quando & iis non ſe modo diſtringit, verum & infantium more qui papillas hauriunt, ſummam cutem permulgens elicit ſanguinem. Humani enim generis gratia provida rerum parens natura pulicem peperit, qui plus nimio efferveſcentem ſanguinem, corpore integro, nuſquam reſciſſis membris, nuſquam interſectis venis, exhauriat: quippe medici falſo hujuſce remedii inventionem Hippopotamo adſcripſere. Pulex hoc, inquam, pulex primus oſtendit mortalibus. Atque hinc Græci hominum pru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dentiſſimi eum ψύλλαν appellavere, non à brevitate corporis, ut craſſiores antiquitatum exiſtimant: ſed quod Pſyllorum imitatione exundans ſanguinis virus, ſolo ſuctu, nullo diſpendio, minima eum moleſtia, leviſſimo tantum pruritu evocet. Ingratus profecto mortalium animus Pſyllorum linctus, qui ſua terris mala ſerpentes intulere, celebrat. Tentyritas qui modica ab orbis regione crocodilos avertunt, hiſtoriis ac monumentis dignos duxere, nullus adhuc pulicem commendavit, nemo id animal laudibus extulit, cui (abſit invidia verbo) vel inventionis nobilitate, vel curationis merito, multa hominum millia ſalutem debent. Huic ſententiæ noſtræ vel illud accedit naturæ teſtimonium, quod eo præſertim tempore multa pulicum vis ingruit quom & hiberna ſegnitie, ac verna mutatione ſanguis tabeſcit, & medicorum judicio educendus exiſtimatur. Quod ſi ulla verbis noſtris fides habetur: quom ſapientiſſimum animal hominem philoſophi judicarint, quod unus omnium manibus utatur: quis poſthac & ſapientiſſimum ac multis naturæ beneficiis ornatum pulicem negaverit, quem manuum miniſterio tam indulgenter honeſtarit. Poſteriores autem pedes paulo amplius producti, quo majore

jore nixu proſilire poſſit: reductis enim illis in poplites, & toto corpore incumbens, mox ſummis digitis obluctatus prorſum, Di boni, quam facilis, quam ſublimis prorumpit in aera! Nemo eſt ex iis qui ſe aut ſtadio, aut petauro exercent, quique in ea arte plurimum profecere, qui ſexageſimo impetu vel unum pulicis ſaltum æquaverit: ut non immerito Plinius videatur ei petauriſtarum laſciviam tribuiſſe. Res enim digna prorſus exquiſitiſſima ſpeculatione! & quam injuria Ariſtophanes illuſerit, Socrates vero apud Chærephontem acutiſſime explorarit: quot ſcilicet ſuos pedes pulex ſaliat. Qui enim ex noſtro genere humanos pedes ſeptem octove ad ſummum proſiluerit, omnibus calculis honeſtabitur. At pulex tam minutum tam extenuatum animal ſexcentos etiam pedes vel amplius ſine plurima omnium admiratione ſaltaverit. Hujus rei notionem abſolutiſſimus ille Senex, Apollinis teſtimonio omnibus prælatus ſapientia, cæra dicitur conſecutus. Ea enim igni reſoluta, pulicis pedem immerſit. Quem quom deinde eduxiſſet, & quaſi cæreus calceus pedi hæſiſſet, eo deinde meritus traditur quicquid intervalli fuerat à ſua ipſius fronte, unde deſiluerat, ad Chærephontis labra, quo ſeſe dejecerat. Atque hoc tam ſublimi commento rem

ille dignam admiratione comperit : ob quam ſi paulo ambitioſior fuiſſet, potuit Euclidis more, de cremaſterio (ita ciſtam appellabant, in qua Socrates altiora theoremata ſpeculabatur) deſiliens & nudus excurrens εὕρηκα εὕρηκα proclamare. Cæterum quom ex inſectis alia ſint ἔλυτρα, id eſt vaginipennia : alia ἀνέλυτρα, id eſt detectas alas habentia : alia ὀστρακόδερμα, id eſt dura cute prædita : quædam σελάχη, id eſt cartilaginata : pulex profecto tenera admodum ac molli cute contectus eſt : ut ſi verum ſit illud quod veteres philoſophi aſſeruerunt, animalia acumen ingenii à ſuprema cute mutuari: nemo ſit qui dubitare poſſit, quin pulex tam tenui cute, multum ingenio inter cætera omnia excellat. Sed neque illud fruſtra à natura inſtitutum puto, ut ſex pedes pulici attribuerit, quem numerum undique abſolutiſſimum eſſe conſtat. Suas enim capit portiones, & ſuis modis concluditur : quod aliubi non temere inveneris. At illud nequeo ſine multa admiratione reminiſci, quod tam prompto, tam parato ſemper eſt animo : ut ſe omnem protinus habeat in numerato. Quom vero captura incidit, quam vigilans & expeditus ad curſum? quam omnes moras abjicit? quam raptim ſe dat in pedes? Quod ſi quando contigerit, ut minus pa-

teat

teat fuga, ſepto ſcilicet ac præmunito omni aditu: illico ad eas artes ſe vertit, quas inclytus Lacedæmoniorum imperator Lyſander ſuadebat. Quom enim amiculum leonis pelle abſolvi non poteſt, haud eſt, inquit, injuria vulpinam aſſuere. Pulex itaque ſe deprehenſum intelligens nequaquam ſe excutit, minime fugam molitur, ſed echini more ſe in globum convolvens, exanimatum ſimulat, atque ita negligentibus aut excidit aut certe elabitur. Nemo tamen exiſtimaverit pulicem ea naſci habitudine, eo cultu, atque illa corporis magnitudine, ad quam poſtea adoleſcit. Ejus enim ortus admirabilis prorſus, atque humano ſimillimus: qualem Herodotus ac Diodorus in Bibliotheca ab orbis incunabulo noſtrum deſcripſit. Humoris enim copia pulveri admiſta, mox calore ſubacta, ceu Nilus concretus ſole accedente tenuiſſimum atque informem vermiculum gignit, cui ſubinde roſtellum, manus, pedeſque ſuccreſcunt: nec multo exacto tempore, non modo humi repit, (habet enim & pulex ſuam infantiam) ſed quaſi adultus juveniliter huc atque illuc exultat. Quod tanta facit licentia, ut nihil ſit adeo repoſtum, adeo avium, adeo in ſeceſſu abditum, ad quod non facillime graſſetur ille. Quæ cauſa etiam apud homines magnam illi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

invidiam còntitavit. Subiens enim reginarum cubilia, & in puellarum ſinus ſe recipiens, lectiſſimæ cujuſque formæ primitias libat. Eſt enim ſane ingenioſus formarum ſpectator: & ſicubi purpureas genas advertit, ſicubi candidas papillulas, aut aureum femur inſpexit, ibi mira cum voluptate ſolet laſcivire, ibi molles ac teretes lacertulos amplexatur, ibi caſtigatiſſimum ac multis expetitum pectus exoſculatur. Quid igitur mirum, ſi omnes illi populariter invident? ſi reges magna cura, multiſque miniſtris imperant illum eliminari? ſed fruſtra, nec ſine multo eorum malo: quando ille ſe belliſſime ulciſcitur vel palam. Eis enim inſultans ac mordicus vellicans à maximis quamvis negociis avertit, atque in ſe intrepide concitat: concitatoſque vehementer atque in ſe magna molientes, vel uno ſaltu facillime eludit. Iis adde, quod ſi magni reges ſibi immortalitatem paratam putavere, quod de ſuo nomine quaſdam herbas appellaverint: quanto præclarior præſtantiorque pulex exiſtimari debet, qui pulegio herbæ tam celebri, quæ per brumam, non ſine omnium admiratione, in coronariis ſolet effloreſcere, nomen dedit: & à quo Græci Pſyllion herbam, quam tu pulicarem dicere potes, ad mille mortalitatis noſtræ remedia natam, nun-

cupavere. Eo autem nomine ſapientiſſimus quiſque adoleſcens pulici ſe plurimum fateatur debere, quod in ſuperbientes forma puellas ac inſolentes ſpiritus gerentes, eoſque impotenter aſpernantes, qui ſibi omne votum, omnemque animum addixere, indignatus ille licenter debacchatur, ſeque ad ſaturitatem earum explet deliciis, & mox abiens fœdiſſimo etiam corporis excremento conſpurcat. Cujus rei memoria facit, ut Acheloum ac Periclymenum magnæ arguam inſcitiæ: qui quom ſe in omnia verterent rerum miracula, nunquam tamen pulicem fecere: quom neque infenſius, neque hoſtilius poſſent quam ea in effigie Herculem offendere, neque facilius elabi. Qua enim putas illum indignatione laceſſitum iri, ſi in amicæ complexu laſcivientes hoſtes vidiſſet? at vos parum prudentes nunc taurum, nunc muſcam induitis. non indigne igitur ſucceſſit, ſi alteri cornu effractum, alter prorſus cliſus interiit. Alioqui non ſaltu tantum ſpectabilis pulex eſt, utpote qui in genere τῶν πηδητικῶν, id eſt ſalientium annumeratur: ſed neque ſegnis neque imbellis pugnator eſt, ſoletque ſtrennue, quoties occaſio ſuaſit, inire certamen, atque acerrime hoſtem urgere. Id quod veteri apologo teſtatum accepimus. Quom

enim aliquando pulex in impium quendam impreſſionem feciſſet, eumque graviter proboſcide, id eſt telo ſuo perfoderet: cœpit ille in ſubſidium Herculem cognomento ἀλεξίκακον, hoc eſt malorum averſorem, implorare. At Hercules preces averſatus, & hominis impietatem peroſus, non affuit. Excuſſo autem demum pulice, vel ejus certe ira tandem exatiata, impius ille in Herculem convitia jactabat qui eo in periculo vocatus opem minime tuliſſet, non videri veriſimile affirmans eum in gravioribus affuturum. Atque hinc apud Græcos in vulgus adactum eſt proverbium, ἐν ψύλλας δήξει θεὸν ἐπικαλεῖσθαι, id eſt, in pulicis morſu deum implorare. Quod ſi quando apud cæteros diverterit, multo modeſtius ac civilius ſe habet. Timide enim depaſcitur: & ſi forte hoſpites adverterit contractiori fronte ſe intuentes, excedit è veſtigio è diverſorio, ſeque ad pacatiora confert: ni forte inſigni aliqua injuria affectus, aut impudentiorem aliquem perſequens, (hos enim omnium maxime odit) inſtet pertinacius, & ab inertibus pœnas repoſcat. quo in certamine ſolet nonnunquam occumbere. Nec id profecto ſatis mirandum, quom is ferme ſit omnium bonorum exitus: qualis Ciceroni & Ariſtidi contigit: qui quom flagi-

flagitioſos perſequerentur, jugulati aut certe oppreſſi fuerint à malis. Adde quod ſi prudens rerum natura pulicem admonuerit ut faceſſat, nulla mora eſt quin protinus ſe det in pedes, & ſtationem relinquat. Non autem omnis admonitio de trivio petenda eſt: quando ſunt omnibus animantibus certa quædam ſymbola. quorum notionem natura eis impreſſit. Sic videmus apes tinnitu congregari, & pulvere injecto à pugna deſiſtere. Sic Stymphalides ab Hercule non niſi crotalis ejici potuere. Sic Pythagoras certa voce bovem à fabis inhibuit. Pari itaque ratione conſcii arcanorum naturæ, ubi primum cuculum avem canentem audivere, quicquid pulveris eſt ſub veſtigio dextro colligunt, atque in hunc uſum ſervant. Quom enim pulicum tædium eos ceperit, pulverem eum aſpergunt: ex quo obſequioſi illi contubernales commeatum ſibi datum intelligentes, non minas, non jurgia, non digladiationes expectantes, protinus excedunt & contubernium relinquunt. Cæterum nec heluo nec vorator eſt pulex: ſed minimo contentus cibo, utpote qui per inediam multos etiam dies tranſigat. Cujus rei poteſt ejus gracilitas facilem fidem facere: quam (ſi credimus Eraſiſtrato (ſe arctius ſubſtringentes Scythæ

imitantur, ut ita expeditionibus aptiores ſint, ac minime fame à gravioribus negociis avertantur. Illud etiam inter cætera comitatis ac modeſtiæ teſtimonia connumeraverim, quod dum cibum capit, minime rixatur, minime obſtrepit: ſed ſilentium ſervat, quale ne Pythagorici quidem. Inter æquales vero nulla contentio, nulla invidia, nulla controverſia, ſed conſtans ac perpetuum fœdus. Quo nomine ego longe pulicem quam muſcam majoribus dignam laudibus puto. Nam qui illam maxime laudare conati ſunt, dixerunt ejus improbitatem, impudentiamque ab Homero celebratam. At magnus ille & admirabilis philoſophus Ariſtoteles de inſectorum generatione verba facturus, unum omnibus pulicem ceu multo cæteris nobiliorem antepoſuit. Vrbanitatis etiam ac elegantiæ illud maximum indicium eſt, quod quom ſcarabæus & alia quædam inſecta ceu perniciem unguenta & ſuaves odores averſentur, hic illis non ſolum oblectari, ſed etiam feſtiviter uti ſolet. Et ne forte pulicem à Venere & Gratiis abeſſe putes, longa inter eos eſt amplexatio, longa exoſculatio. Tanta autem voluptate commiſcentur, tam indulgenter cohærent, ut plerunque mori malint, quam ſuaviſſimos amplexus intermittere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

COLYMBETES,

Sive de

ARTE NATANDI,

Dialogus & feſtivus & jucundus lectu,

PER

NICOLAVM VVYNMANNVM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

DIALOGVS
De
ARTE NATANDI.

Interlocutores,

PAMPIRVS ET EROTES.

PAMPIRVS. Recte quidem te nobis nunc offers atque cum primis oportune, Erotes ſuaviſſime, qui his ſane paucis non viſus menſibus nobis, tantum non ſæculum abfuiſſe videbare, adeo nullus ſum, adeo mihi ſolitarius, quaſique deſertus eſſe videor, turtur ut amiſſa conjuge, niſi te amicorum intime. *Erot.* Quam plauſibilia verba! *Pamp.* Ante oculos videam continuo obverſantem meos. cedo dextram. *Erot.* Eſt iſtuc quidem non obſcurum veræ amicitiæ, animorumque conjunctionis individuæ argumentum, ſed quoniam ſic res ferunt noſtræ, ut una ſemper non liceat eſſe, moderandus eſt iſte adfectus neceſſitatis ergo. Maxime quando tum demum verus atque ſyncerus eſſe probaris amicus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

cus, ſi animo diligas amicum quantumvis abſentem, longaque diu locorum intercapedine ſejunctum: Siquidem homines putiduli frigidulique amicitiam mutuam, corporum modo pręſentia metiuntur, non animorum efficaci illo glutino. Vnde fit, ut ad proximam quanque occaſionem vulgaris illa evaneſcat emoriaturque mox amicitia. *Pamp.* Vere tu iſta, Erotes. cæterum cave de me quicquam ſuſpicere ſiniſtri. Sed unde tam anhelus prorepis? *Erot.* Ex itinere feſſus: ac dum redeo ex Vangionibus, viarum pulvere, velut exortis turbinibus tantum non ſuffocatus fui: ad flumen igitur propero loturus corpus, ſordeſque abſterſurus fluento. Erotem pene perdidiſſes, Pampire, tuum. *Pamp.* Bona verba. *Erot.* Quatriduo ab hinc, cum meridiano tempore latiſſimum medius tenerem campum, excitatis vento validiſſimo arenis, velut Syrti quadam terreſtri correptus certo interiiſſem, niſi Chriſtus identidem auxilio vocatus nequicquam luctantem eripuiſſet, ſedata mox ſævientis tempeſtate Auſtri, quemadmodum in Euangelio maris tumultus compoſuiſſe fertur. *Pamp.* Horrenda narras. *Erot.* Iſtuc adeo diceres magis, ſi vel à longe vidiſſes calamitatem. Ego vero jam nihil addubito amplius veriſſimum eſſe, quod Strabo de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Cambyſis exercitu ſcriptum reliquit, in Æthiopia, juxta Prennam oppidum, arenarum aggeribus à ventoſis turbinibus commotis obruto. *Pamp.* Scin tu quid Pſyllis Aphricæ monſtroſis aliquando evenerit populis, Herodoto auctore? *Erot.* Non, ſed audire geſtio. *Pamp.* Cum crebris ventorum flatibus omnes ſemel exiccati fontes exaruiſſent, culpam univerſam in Auſtrum tranſtulerunt. Proinde quo eam ulciſcerentur graviſſimam quidem injuriam, indicto bello huic tum vento, cum nequicquam pugnaſſent (quid enim moliaris in auram? quid diverberes inaniter ventos?) ab hoſte tandem conſtructis arenarum montibus ſimul omnes extincti ſunt. *Erot.* Miſeram cladem! Sed vera eſſe putas, quæ narrat auctor ille? *Pamp.* Quid ni crederem cum vetuſtate? *Etot.* Atqui vetuſtas ſomniis inanibus ſtulte nimium plerunque credula ducebatur. *Pam.* Vtcunque ſit, illud volebam, amice, fortaſſis & tu aliquando hunc flatu bucciſque potentem Deum injuriis provocaſti, unde ille deinde exaſperatus, cum te quo loco maxime cupiebat reperiſſet, tollere quoque contendit. *Erot.* Ludum tu quidem ex re admodum facis ſeria. Quod ſi peſſime velim Pampirio, optarem in eundem illum incidere caſum. *Pamp.*

Vbi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Vbi accidit iſtuc mali. *Erot.* Inter VVormaciam & Spiram. *Pamp.* Oh eo loci nihil mirum, tale ſi quicquam evenerit, cum terra adeo arenoſa ſit, ut dicas Iovem illum Cyrenaicum ibi habitare cœpiſſe, rupemque adeo Auſtro ſacram illuc tranſlatam. Verum de his ſatis, Erotes: bene habet enim, quod incolumis nobis rediiſti, utcunque ab Auſtro tractatus. Quod reliquum eſt, non ſolum poſthac terras cautius permetieris; verum cavebis etiam, ne hujuſmodi quicquam tibi eveniat & in aquis. Video enim te ſupra modum illis delectari, cum tamen artem non calleas eam, quæ id præſtat in undis, quod Palæſtritica in arena gladiatoria, vel cum res ſerio agitur cum hoſte, natandi videlicet. *Erot.* Putan' hanc eſſe artem? *Pamp.* Quid ni? in homine quidem, cum illi nec natura cognita ſit, ſed certis quibuſdam & regulis addiſcatur, & uſu deinde ipſo perfecta reddatur. *Erot.* Quid utilitatis adfert hæc ars autem? *Pam.* Vt incidente periculo ex undis facilius emergas. *Erot.* Atqui vulgo dicitur, perire hujus plerumque rei callentiſſimos. *Pamp.* At vulgo multa vana jactantur. Etſi ipſe ſæpius idem, ſed & otioſis potiſſimum ſorivagis, maleque feriatis hominibus audivi. Quod tamen ipſum etſi eſſet,

nihil huic ob id derogandum ſit arti, ſed temeritas inconſulta culpanda eſt, quæ quidem ipſa non ſolum hic, ſed in omnibus pene rebus periculoſiſſima eſt. Vnde cum pleraſque artes addiſcamus ad uſum atque neceſſitatem, non temerariam & audacem oſtentationem, non in hoc etiam diſcis natare, ut citra neceſſitatem, quoſvis audenter tentes alveos, quoſvis inſcendas gurgites, velut piſcis prorſus factus, ſicque ferox ſumma prægnes aqua, quemadmodum teſtudines Ægyptiæ in mari rubro, ſed tum demum, cum, urgente periculo, neceſſe eſſe videris, ut hac induſtria ſalutis quæras anchoram. Qui hoc conſilio hanc ſibi compararit artem, meo ſane judicio, non inconſulte fecerit, neque ſine exemplis veterum, pluribuſque atque evidentiſſimis multorum hominum ſalutis argumentis. *Erot.* Propemodum adducis me uti credam, optemque & me reddi hujus rei tironem atque diſcipulum. *Pamp.* Sapienter tu iſtuc; perge modo; atque adeo ellum me tibi hujus artis, ni fallor, non ignarum neque inexercitatum Magiſtrum. Proinde ſi verum eſt, quod ſcripſit Valerius Maximus, ſuæ artis quenque optimum eſſe diſputatorem, meque puto in hac ſane re nemini facile cedere, nihil vetabit, quin de illa

diſſer-

diſſerturum me attende audias. Quod ipſum quidem & ultro facies, ſi cognoveris, quod mihi, & per me aliis quoque non raro commodi, hæc ars conciliarit. *Erot.* Multa tu quidem promittis, atque agis glorioſum quodammodo ex comœdia Thraſonem. Oportebat talem artificem eſſe Selandum, ubi ſat haberet aquarum. Sed extra jocum. Agnoſco humanitatem ac officium tuum, memorque fuero ſemper Pampiri præceptoris. Porro autem cenſeo operæ pretium fore, ſi ita de hac diſſeras re, ut dum me jam privatim docebis, ubi colloquium hoc enotuerit, & pluribus aliis hac ſimul opera commodes. Ita fiet, ut cum tibi docenti, tum mihi ſuper omnibus roganti ſciſcitantique, non poſſint quidem non perpetuas agere gratias. *Pamp.* Bene, ita me Muſæ ament, conjiciens conſulis. Neque enim me puto abſurdi quicquam inſtituere, ſi de arte, quam adeo profiteor, præcepero natatoria. Cum nuper & Opſopœus ille noſter de arte bibendi ſcriptum ediderit libellum, quod ſciret, in ejus abuſu rei, luxu, temeritate, imo ignorantia bene utendi, plures perire, infeliciſſime natare, plures inquam, fœda ingurgatione ſuffocari, quam in aquis ipſis. *Erot.* Fortaſſis ita bibere docet, ut

dedo-

ldoceat inebriari. Quemedmodum Na-
ſo ita tradidit de arte amandi, uti mox
addito remedio, ab ea magis peſte deter-
reret juventutem, quam illuc alliceret.
Pamp. Vera narras. *Erot.* Atque adeo non
ſubito mox aliquem exoriturum, ut ſunt
varia hodie ingenia, ſtudia æmula, ac co-
natus ſequaces, qui de arte quoque ſit
præcepturus edendi. *Pam.* Nihil ſane mi-
rum, cum non minima eſſet ars & fœli-
citas vitæ humanæ, ſcire bene edere, hoc
eſt frugaliter, & quantum naturæ cujuſ-
que & corporis habitui conduceret. Cer-
te ea res, ejuſque obſervatio religioſa mul-
tum Medicis & negotii adimeret, & lu-
cri auferret. *Erot.* Eſt hæc propria Me-
dicorum profeſſio. *Pamp.* Eſt, ſed quæ
præſcribunt de eſu, perinde ſervantur, at-
que illa, quæ de ratione potus. Et præ-
ſcribunt ſolis modo ægrotis plerunque.
Hic validis etiam in univerſum conſule-
retur ante, quam ſtomachus, totumque
adeo corpus periclitari inciperet. *Erot.*
Quid ſi eadem opera eſſet, qui artem tra-
deret volandi. *Pamp.* Eam relinquamus
avibus, quando terreſtres ſumus, non aë-
rii. *Erot.* Atqui in avibus hæc nulla eſt
ars, quemadmodum neque natare in pi-
ſcibus, cum hæc illis natura ſint indita.
Pam. Sed nonnulla ars ſit in funabulis.
Cujus

Cujus ignorantia una cum temeritat conjuncta infelicem infelici Icaro ali quando peperit lapſum. *Erot.* Qui cenſe illum poſtea nataſſe undis exceptum Ica rii maris. *Pamp.* Quemadmodum vola- vit etiam. *Erot.* Iamdudum exſpecto d arte te diſputantem natandi. Atqui priu dic obſecro, Pampire, quis primus han invenit. Non mirum ſi ipſe ſuo quoqu periit invento, quemadmodum Thraſiu atque Phalaris olim. *Pamp.* Neſcitur. Cæ- terum veriſimile eſt, fuiſſe induſtrium quendam & audacem hominem. *Erot* Quis primus docuit illum? *Pam.* Quis pri- mus docuit reliquas pleraſque cum Libe- rales, tum mechanicas, aliaſque artes? an non naturæ ſagacitas, & ingenii hu- mani vafricies, ac vaga illa mortalium in rebus perquirendis cognoſcendiſque cu- rioſitas, Pallade adjuvante? *Erot.* Non ſiniſtre philoſopharis. *Pamp.* Cæterum & illud exiſtimo, fuiſſe ocioſum homi- nem, qui in flumine non ita alto, piſcis inſtar ludendo, vario corporis geſtu ac motione, paulatim imprudens, ita mani- bus pedibuſque ſit geſticulatus, donec ad eum habitum compoſitus, quo velut or- gano atque inſtrumento hanc poſtea ex- ercuit artem poſteritas, cœperit paula- tim aqua ferente ſublimis tolli. *Erot.* For-

taſſis

taſſis dicis, quemadmodum ciconiæ juvenes, quæ cum nondum probe volucres de nido verentur devolare, aliis ſe ſurſum librant, velut periculum facientes futuri deinde volatus. *Pamp.* Sic. Moxque ille aquarum tentator, ubi vidit his initiis ſuccedere ſibi, non quievit, donec quotidie eam didicerit artem perfectius. Atque hinc jactis primordiis, cum vetuſtas deinde videret, non pœnitenda emergere ex ea re commoda, quærique ſæpius perituris alias ſalus certa, æſtivis menſibus, vel Vegetio auctore, adoleſcentes atque tirones in arte natandi mirum in modum exercuit, quod non ſemper flumina pontes ſuppeditent, quibus tranſeatur: Itaque non raro totos exercitus præcedentes ſequenteſque natare oportere. Idem accidere alii in torrentibus plus juſto ac repentine exundantibus motu. Proinde & Romani olim campum Martium Tyberi vicinum in hoc delegerunt, uti illic & equites in flumine & equi ad natationem exercerentur: juventus etiam poſt armorum exercitum natando ſudorem ac pulverem ablueret, (quemadmodum modo dicebas adeſſe te, uti fluenti lotione quas ſordes hoſtis Auſter adſperſiſſet odioſe, abſtergas) membra curſu & labore defatigata reficeret, ac prioribus reſti-

reſtitueret viribus. *Erot.* Non imprudenter me hercle inſtituta. *Pamp.* Adeoque ſenſim hic natandi induſtria, atque exercitium uſu receptum invaluit, ut non ſine proverbiali ſcommate hocce, μήτε νεῖν, μήτε γράμματα, hoc eſt, neque nare, neque literas ſciunt, moderentur ii, qui ſupra modum indocti, nihil bonarum in pueritia artium ſibi comparaſſent, quod hæc duo una ſtatim primis annis pueris olim traderentur. Quo alludens, ni fallor, & Suetonius in Auguſto & Caligula, de quodam ſcribit, quod ad cætera pleraque omnia eſſet docilis, & tamen natare neſciret, velut poſtremum hoc vulgo omnes ſcirent. *Erot.* Audio. *Pamp.* Arbitror autem apud Lacedæmones præter cætera ſtudia, hoc quoque fuiſſe præcipue in uſu. Siquidem illi quidem, ut erant rerum bellicarum ſtudioſiſſimi, liberos ſuos duriſſimis adſuefacere ſolebant laboribus, puta venationi, etiam puellas, militiæ, æquitationi, ut rebus ſeriis eſſent ad cuncta peritiores obeunda, durioreſque toleranda. *Erot.* Fortiter ac prudenter illi quidem, ut omnia. Sed quis te ita artem docuit natandi, ut ad ejus tam perfectam abſolutamque pervenires cognitionem? *Pamp.* Dicam bona fide omnia, ſi non pigebit audire. *Erot.* Nihil minus

Pamp.

Pamp. Natus annos circiter tredecim, profectus ſum una cum genitrice in Thermas Valeſienſes. eæ à Seduno tribus diſtant lapidibus. *Erot.* Ad quid puero pene adhuc cum Thermis. *Pamp.* In hoc me ſibi comitem junxerat illa & itineris & lotionis, ut quoniam cernebat creſcendo jampridem me ſubſtitiſſe, quemadmodum ramo ab arbore ſua ſecto accidit, ſperabat fore, ut aquis calidis paulatim velut ex conſtricto diſſolverer, demptoquè, neſcio quo naturæ impedimemto, inciperem grandeſcere, inſtar ſegetis, ſublatis zizaniis. *Erot.* Stultam matrem, quid ad veram virtutem corporis proceritas & moles? *Pamp.* Atqui in patria noſtra, qno humiliori ſis ſtatura, hoc omnibus, Erotes, haberis deſpectior, quibuſcunque alias ornatus animi virtutibus. Alioquin homines ſunt ſimplicitate & antiqua illa inſignes probitate. *Erot.* Vbi hi? *Pamp.* In valle Sanenſi in Helvetia. *Erot.* Memineras modo Seduni; ibine Cardinalis ille Matthæus agebat? *Pamp.* Scilicet. *Erot.* Suſpicio locum, etſi non viſum unquam, vel propter illum piæ memoriæ Heroa. Dic obſecro, ſi noſti, quis jam iſti præeſt Diœceſi? *Pamp.* Reverendiſſimus dominus Adrianus à Reidinatten, princeps ea vitæ integritate, ſapientia, humanitate,

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſed maxime erga doctos homines, uti in illo nihil poſſis deſiderare, quicquid in vero Epiſcopo requiritur. Sed ad Thermas iterum. *Erot.* Eia faxis. *Pamp.* Quo loco aqua calida, frigida temperata, recipitur, diceres amphitheatrum magnifice lapidibus politis exſtructum, ſedilibus ternis ita circumpoſitis, ut profundius alius alio balneare poſſit. *Erot.* Probe, *Pamp.* In medio ſolo altior erat aqua, quam pro hoc tum gigante; naſotenus enim ſtantis pertingebat. *Erot.* Quid tum poſtea? *Pamp.* Cum viderem vulgo pueros etiam innatantes, cupiebam & ego conſectari, eamque condiſcere artem. Itaque medium velut in libripende me aliquandiu ſemper tenebant ſodales, monentes qua ratione eſſet pedibus manibuſque remigandum. *Erot.* Perge. *Pamp.* Ideo eo uſque fiebebat, donec nonnihil perficerem. *Erot.* Hominem docilem. *Pamp.* Aſt audi, quid poſtea acciderit, cum omnibus prandentibus, ſolus præter unam quandam illic manerem, eo conſilio, ut ſi quid in natando aberrarem, fieret abſentibus ſine riſu teſtibus. Igitur de ſedili, ut doctus eram, lente me incurvans demitto in alveum, incipio promovere; ſucceſſit aliquandiu, mihique pulchre placeo. *Erot.* Credo. *Pamp.* Mox

laſ-

laſſeſcere incipiens , cum fixis ſolo pedibus interquieſcere cuperem , infuſa etiam tum ſolito altius aqua , vicit proceritatem illam totam noſtram profunditas. *Erot.* O proceritatem vero ! Sed quid quæſo tum ? *Pampirus.* Quid ? Ibi mihi protinus excidens ipſe , cœpi prorſus recentis oblivisci artis ; neque pedes neque manus ſuum amplius faciebant officium. *Erotes.* O periculoſe affectatam artem. *Pamp.* Continuo igitur ſubſido , fundum petens. *Erot.* Miſer. *Pamp.* Ibi tum in lubrico ſolo , funduli inſtar piſcis, non quidem natabam, ſed repebam. *Erot.* Quandiu autem ? *Pamp.* Citius voraſſes ac cunctanter quidem bina ova elixa. *Erot.* Oportebat te fortiter continere ſpiritum. *Pamp.* Imò ſtatim ut concidiſſem, hiſcente affatim ore , egregie combibebam , non vinum quidem rubrum Valeſienſe , neque candidum Belnenſe , ſed aquam calidam. Primumque ſic afficiebar , quaſi offam alicubi in Suevia ſorberem ſine butyro. *Erot.* Peſſime [illegible] iſti juſculo. Verum,quid tandem?evaſiſti ne vivus ex iſta egregia lotione? *Pamp.* Non. *Erot.* Non? Atqui impudens,an non te video vivum ac valentem nunc coram? *Pam.* Bene mones, nunc primum memini,quod egregie quidem eram oblitus ; evaſi : nec

ſolum vivus, verum etiam cum illinc ſolveremus, omnino novus, poſita veteri pelle, non ſecus atque ſerpens, exutus leberide. Sed qui ſibi ſubiit me impudentem vocare, cum tu impudentior multo ſis, qui cum me coram videres, tamen non dubitares rogare, an vivus evaſiſſem? niſi credebas corpus te videre phantaſticum. *Erot.* Eorum more interrogavi, qui alibi in Germania obvium mane iterum atque iterum te quærunt, ſurrexeris ne ſtrato, vel redieris ex hoc vel illo loco. *Pamp.* Iſtis igitur ſic reſpondendum eſt, quemadmodum ego tibi modo reſpondi. Sed pergam quo cœperam. Certo periturus eram, niſi longo in angulo anus ſedens obſcuro, cum me diu deſideratum circumſpexiſſet, poſtremo ſubſilientis extra aquas manus infœliciter geſticulabundas vidiſſet. Nam protinus alta exclamans voce, excivit qui ſemimortuum, quo me animadverterat loco, tollerent. *Erot.* O dura artis initia, ac horrenda experimenta. Poterat aliquis ab inſtituto abſterreri hæc audiens. Quod ſi contigiſſet prorſus tum ſuffocari, dii boni, quam præpoſtere tu quidem ſollicitæ matris voto reſpondendo creviſſes. *Pamp.* Certe. Verum deinde cautius natare cœpi. *Erot.* Recte tandem cum nautis ad Maleam jactatis inclementius. *Pamp.* Nihil

hil conans, niſi ſociis præſentibus. Et tamen non deſtiti, donec omnibus tentatis, eam didicerim artem. *Erot.* Pertinacem narras hominem. *Pamp.* Iuvabat neſcio quo pacto meum conatum aqua calida, quæ facilius ſublevat corpus innatans, quam frigida. *Erot.* Vere ne iſtuc? *Pamp.* Vel experto crede. Cæterum antequam ex his balneis, egregiis quidem illis, ſermo egrediatur noſter, referre libet, quod tibi merito miraculi inſtar videri debet. *Erot.* Dic amabo. *Pamp.* Qua in ſeptentrionem ex eo loco patet proſpectus, excelſiſſimæ rupes ſunt, longo contiguæ tractu. *Erot.* Audio. *Pamp.* In medio ſaxo illo, quo à balneis mille plus paſſibus diſtat, longe conviſitur miro ſplendore, colere plane aureo prægrandis crux. Teſtantur accolæ, idque ſcriptis antiquiſſimis probare conantur, fuiſſe olim eam crucem, quam fatalem atque prodigioſam vocitant, alio repertam loco ejus montis, unde deſumptam poſt eum incolæ religioſæ publicæ incluſiſſent arcæ, accurateque diu velut theſaurum divinitus oblatum, ob idque aliquid portendentem, cuſtodiiſſent, moribus hominum in pejus quotidie prolapſantibus, ex loco obſerato rurſus deinde noctu montem repetiſſe ſuum, inque eum tranſlatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

locum rupis mediæ, ubi, ut dixi, hodie viſitur adhuc, unde nulla humana induſtria atque arte aufferri rurſus poſſit. *Erot.* Rem prædicas admiratione dignam. *Pam.* Vtcunque ſane ſeſe habeant cætera, certè his vidi oculis, clariſſimum fulgorem crucis inſtar aureæ ſplendeſcentem. *Erot.* Bene habet. ſi quis minus credat, experiatur ipſe propius, ac deſinat eſſe incredulus. *Pamp.* Equidem toties cupiebam avis eſſe tum, ut ſubvolanti certam rei veritatem expiſcari liceret. *Erot.* Quid vero ſi quis iſta negaret? *Pamp.* Non daretur impune, apud iſtos quidem homines; audiret protinus peſſimus Apoſtata. Verum de his prolixe nimis: proinde jam tandem propius ad inſtitutum. Tu piſcem jam agere diſce in undis *Erot.* Ac libens. *Pamp.* Primum omnium, ut diximus ad neceſſitatem atque ſalutem, jactantium inanem ac periculoſam temeritatem nare diſce. *Erot.* Maxime. *Pamp.* Elige in hoc fluuiolum, qui non adeo ſit vel lentus, vel rapidus, cujus ſcilicet altitudo ipſa pectore tenus adſcendat. *Erot.* Recte. *Pamp.* Adſciſcendus comes hujus gnarus artis, qui fideliter monſtret omnia. *Erot.* Tu is eſto. *Pamp.* Nam tota res in corporis conſiſtit agilitate & motione. Proinde præceptor in ipſo margine monſtrabit, quomodo
ſint,

ſint tibi nataturo manus in palmas expandendæ, ita, ut nonnihil in volam capaciorem incurves, non diviſis, ſed junctis preſſim digitis. Natura enim fit, ut facilius potentiuſque ſupernatantia etiam ligna ſecundo ferantur flumine, ſi integra ſint quam fiſſuris feneſtrata. *Erotes.* Vera iſthæc. *Pamp.* Quem enim putas impetum redderet diviſa crebriſque diſtincta dentibus pertica vel craticula, vel tracta per undas? *Erot.* Atqui multos video ſic nantes. *Pamp.* Credo, ſed canum inſtar, paſſis unguibus infœliciter, mox enim nimio feſſi luctamine ſuccumbunt. Itaque ejuſmodi malis artificibus plerunque auſus non feliciter cadunt ſui. *Erot.* Sentis igitur nemini altiores tentandas aquas ultro, niſi qui perfecte hanc calleat artem? *Pamp.* Sentio. Atque pergo. Cæterum in circumgyrandis cum natas brachiis compoſitas commode, ut dixi, manus, quo vim majorem habeant undas impellendi, ſic oppone, quemadmodum nautæ remorum palmulas obvertunt. Qua quidem in re video pleroſque quoque aberrare, ut cætera recta ſint, manus ferentes non ſemiobliquatas, ſed recte planas. Perinde quaſi tenues diducas in aquis laminas. Quæ res non majorem vim ſortitur, quam ſi acie gladii pares diver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

berare aquas, non latitudine laminæ obverſa. Porro cum jam es pronataturus, manus medio adpone pectori, ita verſas, ut docui. quod ubi factum, mox ita inverſe junctas ante te recta protende quam latiſſime poteris: tum hinc atque hinc diducens, late ac lentius quidem, ita circumage, ut ſemper redeant ſcite extenſæ, atque in hunc modum circumductæ, in medium ruiſus pectus. Atque id faciendum quamdiu nates. *Erot.* Propemodum teneo. *Pamp.* Cæterum id unice ſervandum, ut manus ita teneas ac geras, quemadmodum audiſti. *Erot.* Audio. *Pamp.* Illas ſubter aquis rege ſemipedem. Sicque ſerva ſemper, ne tui oblitus ipſius, extra undas alternis violenter ictibus projicias, aërem feriendo potius quam aquam. Quod faciunt plerique male principio edocti, canum nimirum more, quos etiam in eo imitantur, ut manus deorſum verſum quemadmodum illi pedes, natantes jactant. Hi vera deſtituti natandi arte mox fatigantur atque ſidunt. *Erot.* Veriſimile. *Pamp.* Illud imprimis memineris in circumducendis artificioſe manibus brachiiſque, uti ſic reducas eas in pectoris medium, vel paulo inferius, ut videaris illas velle in tergum pene actas ſupinas jungere. *Erot.* Oportet, ſentio, ſolicite

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tenere artem. *Pamp.* Scilicet. Vbi hujuſmodi ſemel præcepta in uſum probe conjeceris, facilia deinceps erunt omnia. Iam natans pectus nonnihil ſubrige ac collum: ita fiet, ut prioribus & quæ adhuc reſtant indicanda, obſervatis, altius commodiuſque ferente aqua, toto collo ſuperes atque emineas. *Erot.* Sed quomodo pedes regendi etiam? *Pamp.* Tace; mox iſtuc ivero. Vidiſti ne unquam, Erotes, qui, cum natarent, ſi modo hoc natare eſt, quoties promovere volunt, caput circumgyrent, dementium ritu, ſingulis ſaltibus buccas inflent, moxque non ſine murmure feſſum coactumq; emittentes ſpiritum, quaſi inſorptam rurſus eructent aquam? *Erot.* Sæpenumero: ac arbitrabar illos toties tam inconcinna geſticulatione perire jam velle. *Pamp.* Equidem non multum abludis. neque enim, quod adeo ſæpiſſime vidi, diſſimilis admodum geſtus eſt eorum, qui in undis jam periclitantur morti vicini. Atque id quidem faciunt, qui initio non recte hanc imbiberunt artem; quemadmodum & illi, quibus ſemel receptum eſt, capite obliquato, in dextram vel ſiniſtram aurem ſic indocte atque laborioſe natare. Ex hoc enim vitio naſcitur & aliud, ut ſic compoſiti, dextra modo pene manu natent, dum illam latius porrigunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſiniſtram ſtrictius circumferunt, atque id quidem nimium in latus lævum. Quod quidem ipſum perinde eſt, atque ſi ſtudio altero claudices pede, vel volet non æque libratis paſſiſque volucris alis. *Erot.* Quid igitur faciendum uti non aberres? *Pamp.* Rogas? Quemadmodum ante oſtendi: ex æquo manus utraque huc atque huc ſimul exporrigenda; caput totumque adeo corpus in neutrum inclinandum latus, ſed prono pectore ventri innitens recta facie, more natantium ſerpentum: ſic ſecundo labere flumine. *Erot.* Diſperam, niſi docte cuncta referas. *Pamp.* Qui ſecus faciunt ne dici quidem natatores poſſunt, cum denos vix ultra paſſus ſuſtinere poſſint, ac fœliciter ſublimes durare in aqua. *Erot.* Sed durant plerique diu in imo fundo. *Pamp.* Diutius ſane quam vellent; atque hi non eſt ut multum ſuæ iſti fidant induſtriæ. *Erot.* Video, quemadmodum in omnibus, ita in hac quoque re multum referre, quo modo primum, & à quo inſtituare. *Pamp.* Nimirum. *Erot.* Equidem multos vidi ſæpe, qui, cum natarent manibus, pedibuſque alternatim ſupra fluvium ſublatis, ita ridicule geſticulabantur, quaſi in altum ſubvolare geſtirent. *Pamp.* Atque hos ſane adeo maligne ac ægre fert aqua, ut vix dimidio

extent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

extent capite, ſitque ſtrenue laborandum ne aquam combibant inviſam. Habes, Erotes, qua arte ſi prior corporis pars in aquis moderanda. Audi nunc reliqua; ſeduloque, ut facis, animad verte, quomodo item ſit pedibus docte ſubremigandum, ut quemadmodum prius corpus manus recte ferunt, ita hi poſterius poſſint. Siquidem alteri ſine alteris nihil aut certe minimum præſtant. Proinde, ut compendio dicam, diſces pene commodiſſime ſublegere, ſi diligentius inſpicias, quomodo poſterioribus pedibus ſubnatent ranæ. (nam anteriores, ut ſunt breviores videri cum natant nequeunt.) de quibus legimus:

Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus, mox apta natando
Crura dat; utque eadem ſint longis ſaltibus apta,
Poſterior ſuperat partes menſura priores.

Erot, Ridiculum ſane illud. *Pamp.* Qui ſic? *Erot.* Putas me poſſe committere, ut cum Lyciis olim colonis vertar, tam prodigioſa metamorphoſi, in ranam? faciundumque omnino eſſe homini, ut à tantillo animalculo diſcere aut velit aut poſſit aliquid? *Pamp.* Quamobrem non autem *Erot.* Vt agnoſcerem ranulam magiſtram & præceptricem? *Pamp.* Imo vero næ tu ridiculus es, Erotes, qui nefas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

turpeque eſſe exiſtimes homini, à brutis quidquam addiſcere, cum natura minimis pene quibuſque animalculis artificium ſummum atque admirabilem ſui majeſtatem inſeviſſe potiſſimum videatur. *Erot.* Expecto quo velis, Philoſophe. *Pam.* Vtinam ex minutiſſimis piſciculis, natura volente ita natandi artem diſcere liceret, ut maria omnia tranſmittere, cunctas aquarum profunditates inveſtigare poſſem. Equidem nos omnes bearem, cum quod exquiſitiſſimis fruituri eſſemus & piſcium & oſtreorum generibus, tum vero quod (dubitas tu enim?) latentes in fundo pridemque jam abſorptos eruerem, inque lucem rurſus vendicarem ad portam tot incomparabiles theſauros. *Erot.* Iſtuc mi Pampire optare facilius, quam voto aſſequi licet, niſi forte Neptunum habeas egregie propitium. Quin eadem opera optas ex tipulis diſcere, ut cum illis per ſummas levis aquas percurras, cunctis miraculo hominibus futurus. *Pamp.* Si liceat, amice, uſurus eſſem & ea commoditate. Quinetiam, ſi daretur, non erubeſcerem ex aviculis conſequi volandi artem. Certe ſublimis ex media aëris regione deſpicerem (quod ipſum aliquando puer quoties exoptavi mihi) terras omnes jacentes atque urbes præſtantiſſimas ſuo

quaſque diviſas intervallo. *Erot.* Atqui tuis iſtis oculis vix jacentem terræ quantumvis immenſæ ſitum illinc conſpicias; ac ſimul volanti incommodum foret perſpicilla quovis circumferre tecum. Atque audi nunc me viciſſim deſipientem. Si mihi à diis immortalibus concederetur, quod olim multis datum eſt hominibus, teſte veriſſimo probatiſſimoque ſcriptore Naſone; *Pamp.* Ha ha he. O vero Naſe. *Erot.* Rideas tu licet; Quid putas me facturum? Minime hercle ea abuterer fœlicitate ad virgines vitandas cum Iove, ſed quod feciſſe aliquando pica fertur, captata temporis locique occaſione, cum Argentinenſes in illa ſua præclara turri, de ſereno, theſaurum ex more, recluſis cancellis atque feneſtris, auræ ac ſoli exponerent vegetandum, adpricandumque, ne nobilis Mammon mucore & ſitu periret. Quid? ſubvolarem ego, ac me furtim conjicerem in gazophylacium. *Pamp.* O furacem picam! an non iſtuc eſſet abuti arte? *Erot.* Totas nummorum myriadas illinc raperem. *Pamp.* In quem obſecro uſum? *Erot.* In quem? ſtulte, rogas? Huc potiſſimum, ut macilentis, extenuatiſque hic illic ſtudentibus, qui collegia infœlices incolunt, ſuccurrerem, largiturus, unde lautius deinceps victitarent. *Pamp.* Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vero ex volucri furto rei non tuæ, volebas ſuccurrere inopiæ atque neceſſitati, quemadmodum feciſſe fertur Aſtans ille Boëmicus, qui ſibi indiderat ipſe nomen Deſperati. *Erot.* Infauſtum nomen. Cæterum memini me multa de hoc ſæpe audire homine. *Pamp.* Erat is ſummus per eam regionem patronus ſcholaſticorum eſurientem, pannoſorum, pediculoſorum: in hos conferebat benigne quicquid undecunque præſtigioſa arte ſua conſequebatur. Sed quo labimur abrepti? *Erot.* Vere iſtuc, quo labimur? inquis. Nam relicto de arte natandi inſtituto, cœpimus una de rebus neſcio quibus garrire, de rebus inquam abſurdis & impoſſibilibus. Huc nos tuæ iſtæ infelices ranæ produxerunt ſcilicet. *Pamp.* Bona verba, Erotes. Imo tu hinc locum dediſti digreſſioni, qui in re poſſibili quidem illa atque honeſta homini, negabas tamen agniturum te ranam magiſtram. Quaſi referat unde quid diſcas, modo id bonum ſit, tuiſque accommodum uſibus. Neque enim eſt, ut prorſus contemnas ranas noſtras, quas noviſti quam fortiter ſeſe geſſerint rebus dubiis in illa calamitoſa Batrachomyomachiæ clade. *Erot.* Quin me jubebas ex bombycibus diſcere ſerica filare? *Pam.* Atqui hoc non jam agebatur, ut bomby-

cem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

cem ageres in nendo. *Erot.* Bene: verum hoc quoque minus agitur nunc, multoque eſt à diſputatione tua & arte aquatili alienum, quod de volatu protuliſti avium. *Pamp.* Viciſti, fateor. Etiamſi de ranis; ſerio dico, quas ſi nolis habere magiſtras, ſed me potius agnoſcere velis hujus artis, doctorem, age nihil repugno. Idque noſtrum utrique non inutile fore arbitror, ſi quædam alia ex animalculis diſcamus, quæ exemplis proponuntur ad vitæ commoda paranda. *Erot.* Expecto quo eas. *Pamp.* Proinde à formicis ſapientiam, potius quam à ranis natandi artem, diſcamus, à columbis ſimplicitatem Euangelicam, à ſerpentibus prudentiam. Non jam dico ab araneis inſidiandi technam, à ſcarabæis reddendæ ſolertiam vindictæ, atque ab aliis alia. *Erot.* Ad inſtitutum redi. *Pamp.* Cum natas, ut poſterioribus remis ſcite quoque utaris, illud ſervato: Pedes aliquanto profundius quam manus dirige ſub aquis. *Erot.* Iſtud laborioſum difficileque adparet, ita manibus ſatagere, ut pedum interim non obliviſcaris. *Pamp.* Quid faceres ſi eſſes organiſta, vel, ſi mavis, hydrauletes, vel textor etiam, quibus utrobique ſtrenue eſt luctandum? Parabitur hæc res vel exigio uſu, Erotes. Iam, quod de manibus præcepi, ita

pi,ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

pi; ita digitos pedum junctim complica, quo fortior à tergo ſequatur impetus. *Erot.* Recte. *Pamp.* Sunt autem pedes una cum manibus movendi, quo ſimul piſci inſtar proſilientis promoveas. Quemadmodum navis uno concordique remorum ictu incitata propellitur. *Erot.* Teneo. *Pamp.* Pedes hinc atque hinc ea feſtinatione, qua manus, hoc eſt, lentius, pone rejici, mox velut orbe facto retrahe nates verſus junctos. Ibi tum nihil morandum, ſed ſtatim utrunque pedem latum, ac undis obverſum, more anſerum, impetu contra aquas rurſus in tergum jacta, factoque iterum uti prius gyro contrahe ſemper. Sic pedum geſticulatio manuum reſpondebit motioni: de quibus quidem, ne ſupra aquas, violatis artis legibus, tanquam volare geſtiens, projicias inconcinne, quod monitus es, idem fac hic obſerves religioſe. Tenes hæc omnia? *Erot.* Ac probe. *Pamp.* Cæterum quo hæc omnia, quæ præſcripta ſunt, ante oculos tibi proponam certius efficaciuſque, quam vel Mathematici cuncta lineis ac ductibus variis ſuos docent diſcipulos, functurus boni officio præceptoris, jam certam hujus artis imaginem ipſe exhibeo: Tu ſedulus de margine natantis adverte geſtus. *Erot.* Maxime. aveo enim coram videre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dere ſingula. *Pamp.* Viden? *Erot.* Nunc primum non poſtremam hanc eſſe artem. Quam pulchre reſpondent omnia quæ dixti! diſpeream, ſi certum ſit quieſcere, donec te fuero conſectatus. *Pamp.* Quo facilius feraris, retento ſubinde ſpiritu, ventrem modice inflatum redde. *Erot.* Cenſen conducere? *Pamp.* Rogas? Corpora concava atque turgida neſcis commodius ſupernatare? Atque ecce tibi hujus quoque ſpecimen. *Erot.* Nunquam fueram crediturus. *Pamp.* Diebus feſtis, cum nihil erit quod impediet, ſiquidem cupis tu, hic te paulatim inſtructum reddam in hac arte. *Erot.* Obſecro te mi Pampite iſtuc faxis. Non gratis demereberis & in hoc veterem amicum; quicquid exiges perſolvero mercedis. Quod ſi nunc, quod Chriſtus prohibeat, contingeret nos caſu in aquarum incidere diſcrimen aliquod: Dii boni, quam te fœlicem hujus cognitio artis, me vero miſerum ejuſdem redderet ignorantia. *Pam.* Fateris tandem? *Erot.* At candide. Sed qua ratione quam citiſſime commodiſſimeque addiſcam quod cupio? *Pamp.* Semper ipſe præludam. Tum medium atque ſublimen commode prehenſum, ita tenebo, ut jam natationem experiri geſtienti non ſim impedimento. Corrigam

ſi quid

ſi quid aberratis. Probabo quæ recte gerentur. In hoc fluviolo, qui ad medium uſque pertingit pectoris, nihil eſt periculi. Vbi abſuero ego occupationibus alibi detentus, quoties ſoli tibi lubebit periculum facere, tribus quidem rationibus poteris utcunque noſtri reſarcire abſentiam. *Erot.* Quomodo? *Pamp.* Colliga arundinum grandiuſculum faſcem, huic ventre ſuperimpoſito innitere, vel ſuberi, vel duabus bovillis veſicis, quæ inflatæ ſecureque ſint conſtrictæ, proque corpuſculi tui modo funiculo alligatæ, ut luctantem commode ferant. Hæc tamen omnia utcunque pares, fieri vix poſſit, quin artem vere exercenti nonnihil ſint impedimento moræque. *Erot.* Credo. *Pamp.* Et tamen in hunc modum tentatis omnibus obſervatiſque, brevi ſine cortice, quod dicitur, nataveris. *Erot.* Dabo equidem operam omnem. *Pamp.* Cæterum ſolus cave, amice, aliquandiu altiores ingrediare gurgites, niſi ſit qui juxta lintrem teneat, quæ præſto ſit, ſi quid deficias. *Erot.* Fideliter iſta tu, mi Pampire. *Pamp.* Arundinum faſciculos tibi unice commendo, nam cum ſint leviſſimæ ob poroſitatem etiam valide ſubferunt. Cum Turregi in Helvetia puer etiamnum pene agerem, æſtivo tempore vigeni noſtrum,

aut

aut trigeni non raro commilitiones in arundinetum egrediebamur ſimul. *Erot.* Quid facturi? *Pamp.* Locus is ab urbe mille circiter paſſibus abeſt. *Erot.* Perge. *Pamp.* Illic ubi ſibi quiſque, ut volebat, ex arundinibus, quæ grandiuſcule in portu naſcuntur, interiorique littoris receſſu, faſciculum ita feciſſet, ut prælongo collo roſtroque anſeris figuram præ ſe ferret, cui adpenderat commode ſuam quiſque interulam (nam cætera domi relinquere ſolebamus veſtimenta) inſtructo ordine ſic bajulis ferebamur arundinibus, pedibus modo ſubremigantes. *Erot.* Audaciam puerorum ferula bona à magiſtro animadvertendam, in tam profundo lacu? *Pamp.* Scilicet. Statua ibi eſt in alto aquæ quadraginta non minus â margine paſſibus diſtans, prægrandis, lapidea, ſaxo fulta ingenti S. Nicolai. *Erot.* Satius fuerat divum Chriſtophorum illic conſtitutum. *Pamp.* Eum divum cum ter ordine circumnatantes officioſe ſalutaſſemus, quod is liberalis eſt pueritiæ patronus, flexo curſu civitatem recta petimus. *Erot.* Tam longo tramite? *Pamp.* Maxime. Pœna erat, ut qui ex ordine deflexiſſet, domi privaretur equo ſuo. *Erot.* Gravem mulctam. *Pamp.* Sic igitur inſtructa acie portas intramus civitatis aquatiles, qua

parte

parte Lymacus ex ſtagno lacus ſeſe exonerat. Ibi paratam ſuccinentes cantilenam, per mediam labimur civitatem læti. *Erot*. Miror. Sed quid? callebatis natandi artem ſine præſidio pueri omnes? *Pam*. Omnes probe. *Erot*. Vnde pueri etiam tam belle illic diſcunt nare? *Pamp*. Noviſti quid poſſint in unaquaque re optimi præceptores, ſcis dein quid non præſtet uſus aſſiduus, verus ille demum magiſter. Huc accedunt velut illecebræ quædam ad hoc ſtudium, fluvius amœniſſimus, vicinuſque lacus. Diceres infantes mox, ut nati prodierunt, huc velut alludere. *Erot*. Dicis anatum, non hominum prolem. *Pamp*. Tradunt hanc artem aliis alii velut per manus. Summa, videres ibi veros demum Delios natatores, juxta parœmiam. Neque vero ſolum pueri, ſed & puellæ jucundum tibi præberent ſpectaculum. *Erot*. Puellæ? *Pamp*. Sic; æſtate, veſpere ſereno, aqua diurno temperata ſole, gregatim balneant poſt cœnam. faterere, Phocas atque Delphinos ſic ludere in aquis. *Erot*. Nom mirum, ſi omnes marini diique deæque illic habitarent velut loci penates. *Pamp*. Grandiores, pueros vulgo docent, ac dant in hoc etiam illis doctores certos, quemadmodum legimus, Delphinos proli tradere aliquem annoſum præceptorem,

à quo

à quo diſcant quod deinceps ſit illis futurum uſui capiendis celeriter prædis. *Erot.* Credis eſſe vera iſthæc; *Pamp.* Veriora ſane, quam ſi ea tuus ille certiſſimus probatiſſimuſque protuliſſet ſcriptor. Hęc qui prodidit, profeſſus eſt hiſtoriographum. *Erot.* Ridiculum. iſtiuſmodi ſcriptores generis non pauci ſunt, qui cum ſe in frontiſpicio librorum profiteantur hiſtoriographos, mythographi verius dicendi erant. *Pamp.* Parum quidem tu iſta verecunde. *Erot.* Niſi forte hoc illis nomen ea tribuendum figura eſt, qua Lucianus veras ſeſe ſcripſiſſe fatetur narrationes. *Pamp.* Vtcunque ſit, ad id, quod inſtitueram, revertar. *Erot.* Bene. *Pamp.* A lotione recenti, plerunque cubitum mox eunt non indutis veſtibus. *Erot.* Delicatuli Aſiani. *Pamp.* Vidimus toties paria in multos pronatare paſſus, inito velut certamine, viros & fœminas, perinde atque bijuges equos. *Erot.* Quid ego audio? *Pamp.* Id quod dico. *Erot.*. Quid dicis, Pampire? *Pamp.* Id quod audis, nimirum rem ipſam. *Erot.* Quid? An non illic pudeſiunt puellæ nudatæ? *Pamp.* Interulis utuntur in hoc commode factis, *Erot.* Arbitror illas, ſi ars modo adſit, habere neſcio quid commoditatis hoc in ſtudio magis, quam viros. *Pamp.* Bellum

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

atque feſtivum hominem! ſiccine tu huc cogitas? Ita ne curioſum eſſe te? *Erot.* Ni fallor miſcentur dulcia in mediis aquis non raro colloquia, ſi minus mutuos licet amplexus. *Pamp.* Imo contrahitur aliquando etiam matrimonium ibi tum, in alto fluminis gurgite, non Iunone equidem pronuba, arbitror, ſed Nereidibus. *Erot.* Dic age, obſecro, ubi deinde nuptiæ? in aquis ne more ranarum, ſine terra celebrantur? *Pamp.* In vino. *Erot.* Animantia mihi dicis prorſus amphibia. monſtri, per Iovem, ſimile, utrumque tam facile innatare ſexum. *Pamp.* Vix alibi præterea videas. *Erot.* Cæterum quæ res docet anates, anſeres, fulicas atque mergos ſtatim, ut nati ſunt, natare? nam de piſcibus non valde miror. *Pamp.* Natura ipſa. *Erot.* Sed doce, quæſo, unde tam facile innatent. *Pamp.* Latis pedibus, iiſque plicatilibus, loco palmularum in remis, commoda utuntur. Nunc expandunt, mox in retrahendo complicant. Deinde plumæ, quæ in his avibus tenuiter madefactæ nihil officiunt, ſublevant etiam magis quam deprimant. Quin idem miraris in quadrupedibus pleriſque? *Erot.* Adeo ſolum hominem infelicem ac rudem naſci rerum omnium? *Pamp.* Sic fert ſors noſtra mortalium ſcilicet: Tametſi

& in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

& infans natat. *Erot.* Verum; ſed biennio toto in proprio lotio; cui affixus cum infelicibus faſciis. *Pamp.* Illud non parum admirationis, Erotes, tibi adferret etiam, ſi videres quomodo in eadem civitate, quemadmodum & Baſileæ fere atque Conſtantiæ, de excelſis ſeſe præcipitent pontibus. Eſt Turregi venuſtum templum, quod cum in modum roſtratæ ſit in Lymaco extructum navis, ab aqua nomen habet. *Erot.* Quid deinde? *Pamp.* Circuitus eſt perelegans circum circa, niſi qua in arctoam plagam pons oderoſus jungitur eccleſiæ. *Erot.* Perge. *Pamp.* Eo loci admirabile videres æſtate certamen juvenum. Per eum ambitum incitato curſu alios alii conſequuntur in eam templi exteriorem partem, qua proræ inſtar fluminis impetus exceptus hinc atque hinc ſcinditur. *Erot.* Quid tum ibi? *Pamp.* Ex eo loco præcipites deſiliunt in fluminis profundum, idque ordine. Senatusconſultum eſt, ut qui jam devolaturus proximum aliquem ſequentem nomine non compellarit, vel etiam non ſecum ex imo fundo argumentum ac velut teſtimonium quoddam, lapillum ſeu aliud quiddam, retulerit, pœnam luat eam, ut indutus interula, deinde ab aliis præcipitetur. *Erot.* Grave decretum. *Pamp.* Tibi

ſane,

ſane, mi Erotes, intolerabile adhuc foret. Ibi cerneres primum alatos pueros, mox trutas, poſtremo fundulos: Nam vitreo colore fluvius eſt. *Erot.* Non mirum, ſi hoc modo præcipitati caput graviter in fundo illiderent. *Pamp.* Prætentis delabuntur manibus. *Erot.* Cur non pedibus præmiſſis. *Pamp.* Vin ſcire? *Erot.* Ac maxime. *Pamp.* Minus ſic eſt diſcrimen: Nam periculum non mediocre imminet, ne, ſi ſejunctis deſilias pedibus, ipſe aquæ impetus te medium diſſecet, id quod non ſemel accidit alibi. *Erot.* Inaudita ſane mihi narras. Rem adeo mollem quidquam lædere poſſe corpus? *Pamp.* Lædere? Imo ut ſcias tu, res eſt adeo violenta aqua impetu quidem excepta, ut ſi laminam gladii probiſſimam incutias, citius diffringat, quam lapis quantumvis durus. *Erot.* Miram elementi naturam narras. *Pamp.* Vbi unum quiddam adjecero, mox à Tigurinis digrediar, quod quidem ipſum fortaſſis jam ante factum oportebat. *Erot.* Imo jucunda mihi fuere, quæ dixiſti omnia; ne dubita. *Pamp.* Vidimus in eo lacu infelicius acceptum ſcholaſticum aliquando. *Erot.* Dic quomodo. *Pamp.* Cum ſolus nataret, accidit ut demiſſis altius pedibus, paluſtribus implicaretur herbis, cumque diu nequicquam luctaretur, feſſus tan-

tandem concidit. Id piſcatores animadvertentes, vix tandem inventum conto extraxerunt. Cum igitur in ripam eſſet elatus, juſſu ſuperſtitioſæ cujuſdam anus, fruſtra in balneum calidum ex frigido portatus eſt. *Erot.* Miſeram lotionem. *Pamp.* Vt illic, opinor, calore fotus, quemadmodum gryllus, reviviſceret. Non multum diſſimile fatum alibi hiſce perpeſſam oculis vidimus natricem quandam inſignis formæ. *Erot.* Hydrum dicis? *Pam.* Non, ſed lepidam puellam; dixiſſes Nympham. *Erot.* Cur non miſeratus ſuccurrebas pereunti. *Pamp.* Quid facerem admodum puer. *Erot.* Iam, quod tua dixero pace, cur obſecro natricem adpellas, cum id ſit genus ſerpentis? *Pamp.* Præſtantem Grammaticum! Quid vetat, cum ſerpens natrix à nando ſit dictus, quemadmodum idem Græce hydrus ab aqua, in qua potiſſimum habitat, quo minus vocarem puellam nantem eadem ratione natricem à nando, ut natando, natatricem & natatorem, à dando datorem & datricem, à ſtando ſtatorem ac ſtatricem? *Erot.* Atqui quemadmodum à nando non receptum eſt, ut dicamus natorem, ſic hinc non exiſtimo doctis probari, ut natricem ſtatim de muliere dicamus. *Pamp.* Miſſas faciamus has Grammaticæ argutias. Vt-

cun-

cunque vocetur, periit indigna morte venuſtiſſima in primo flore puella. O ſi quis propitius deus juventæ miſertus, ipſam eripuiſſet mutatam ſubito vel in avem. *Erot.* In anum rugoſam & ſilicernium, ſat ſcio, non iſto eſſes miſericordiæ adfectu. *Pamp.* Probe divinas. neque tu quidem, ſi vere te hactenus novi. *Pamp.* Eſt adhuc aliud natandi genus, reſupinum videlicet. *Erot.* Bene mones. Vidi & ipſe hujuſmodi quoſdam nantes, ac non mediocriter admiratus ſum toties hominum inſignem ſolertiam. *Pamp.* Hoc, ut egregie fatear, magis ad oſtentationem & riſum ſpectatoribus movendum inventum eſt, quam ad uſum atque neceſſitatem. Tametſi non eo inficias, qui hoc probe calleat, eum ſic ſubinde feſſum nonnihil poſſe interquieſcere. *Erot.* Sic enim putabam & ipſe. *Pamp.* Plerique ſic nantes eum reſupini manum pedumque motum, quantum quidem fieri poteſt, referunt, quem proni. In hoc tamen adhuc vehementius aberrant, quod certatim manus atque pedes ſupra aquas feriendo, ipſi ſibi ita eas inquietant, ut crebris procellis ampullisque urgentibus vix ore ſubinde vel tenuiter adaperto liceat interſpirare. *Erot.* Credo. *Pamp.* Tu vero ſi hoc quoque natandi genus ex me vere cupis aſſequi, diligenter obſer-

obſerva quæ ante dicta ſunt, ut ea, quoad licet, huc accommodes. Atque ecce jam tibi ocularem monſtrationem. *Erot.* Obſecro prælude. *Pamp.* Sic poſthac me repræſentabis. *Erot.* Si queam, quam vellem me poſſe in omnibus agere ſimium quendam atque mimum tuum. Ars artem ſequitur. Quam leniter laberis, ut vix aquam vel tantillum moveas. *Pampir.* Atque hoc ſane eſt artis. Vides, Erotes, omnia? *Erot.* Etiam. *Pamp.* Verum ita contuere cuncta, ut ſerves, ut imiteris poſthac. *Erot.* Equidem ſedulo adnitar: neque dubito quin te adjuvante brevi ſucceſſura ſint omnia. *Pamp.* Hinc alia naſcitur ratio, ſi ita quietus & immotus videri vis aquis ſublimis deferri, ut vivere quidem credant homines, qui fluitantem forte conſpexerint neſcii. *Erot.* Qui iſtuc fit? P*ampir.* Videbis. Supinus te committe aquæ, ita poſito & capite & pedibus in longitudinem. *Erot.* Intelligo. *Pamp.* Atque pedes accurate ac preſſim junctos ſerva. *Erot.* Probe. *Pamp.* Itaque jace quaſi mortuus feretro impoſitus. *Erot.* Trunci inſtar, inquis, ejus, qui apud hiſtoriographum illum irrefutabilem Æſopum noſtrum datus erat Rex laſcivis, refrenibus, delicatiſque ranis? P*amp.* Sic, quemadmodum dicis. Verum heus; tu cubito utro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

que utrique adpreſſo lateri, manibus ſic celeriter motis atque quaſi evibratis lude, quemadmodum in aëre avis quædam ex genere accipitrum uno quidem loco conſiſtit, libratis concuſſiſque perniciter alis: vel quemadmodum piſcis pinnulis utrinque ſeſe agitat. Manus autem non, ut prius, obverte, ſed quo nullam prorſus cites motionem, ſic move, quemadmodum laminam cultri cum cote acuis, velut aquam tranquillam ſubtiliter ſcindens. Cæterum autem, quo commodius feraris, retento, quamdiu poteris, ſpiritu, corpus tumefactum redde, ac celeriter vel per naſum reſpira, ita uti mox iterum inflere. *Erot.* Auſculto. Perge. *Pamp.* Caput cave tollas, quaſi pronus natares, ſuppoſitumque veluti haberes cervici pulvinar: Eo enim ſublato teipſum proderes, ſimulque efficeres, ut poſterior tui pars deprimeretur, diſſona jam reddita corporis harmonia. Sat erit ſi facies modo ipſa emineat. Porro autem, cum cœperis jam nonnihil ſidere mergique poſterius, illud age; quam potes quietiſſime tum pedibus ſubremigando, in priorem te redige ſtatum atque habitum. Atque adeo hujus tibi ecce quoque imaginem, ne ſit in quo præceptorem poſſis culpare tuum. *Erot.* Quantum vero intereſt mi, Pampire, re ipſa referre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ferre cuncta, quæ verbis præceperis! quam feliciter ſuccedit, quam docte repræſentas omnia! vel lapidem doceas molleſcere, cœcum videre, ſurdum audire, mutum loqui, ſtupidum ſentire. *Pamp.* Ne nimium laudes. Cæterum, ut dixi, eſt hæc adeo res ad homines reperta ludificandos. Quod quidem ipſum cum alibi, tum ſæpius Viennæ Auſtriæ admiſi. *Erot.* Recenſe ex more. *Pamp.* Derivatus eſt ex Danubio fluvius juſtus, qui, quemadmodum Ingolſtadii, mœnia pene alluit ipſa. Illic in littore videres ingentem aliquando lotricum effuſam multitudinem. *Erot.* Expecto. *Pamp.* Ex inſula, quam circumfluus parit Danubius ſupra civitatem, in fluvium toties me miſi. Illinc ſic reſupinus, quo modo jam natavi, cum medio delaberer alveo, facie tantum ſuperante, fœminæ conſpicatæ ſunt, diuque dubiæ hærentes, cum nullum prorſus animadverterent motum, ex quo vitæ ſuperſtitis ſumerent argumentum, commiſeratæ tandem alta exclamavere voce, ſuffocatum undis cadaver ſublime ferri. Memini aliquando me non potuiſſe riſum tenere, itaque quemadmodum ſorex me ipſum prodebam, fuco rurſus ſimplicibus facto. Quin etiam quodam tempore cum eidem inſiſterem ludificationi, piſcatores falſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

opinati mortuum, ut tollerent, lintre feſtine adpropinquabant. Verum ubi dolum ſenſiſſent, non ſine quidem riſu indignabundo redierunt. Triumphabam ego, quod jocantem non perſequerentur, contiſque vel remis duriuſcule exciperent, ut eſt genus hominum vere Scythicum. *Erot.* Dignus quidem fueras hominum impoſtor, verſute. *Pamp.* Ita ne? *Erot.* Callidus ſimplicium ineſcator, quam præſtantem ageres in Comœdia perſonam! *Pamp.* Equidem hic tutius ſit perſonatum progredi in proſcenium, quam illic in hunc agere modum. Eſt porro, Erotes, adhuc tertium quoddam genus in aquis ludendi, quod non admodum, quo conducat, video; Calcare aquas nominant vulgo, fortaſſis huc conducibile, ſiquid, jacendo quod efficere non poſſis, ſtans interea puſillum temporis commodius perficias. De quo quidem breviter ſuccinctèque hæc, Erotes, habeto. *Erot.* Si deſunt araneis fila, deeſt Pampire ars ex arte progreſſa fluens. *Pamp.* Conſtitue te rectum in fluvio, manibus id age quod reſupinus quiete quidem natans, doceris. mox retine & hic ſpiritum. Deinde alternis pedibus ita aquas ſubtus calca, quemadmodum, ut craſſa te doceam Minerva, in torculari autumni tempore botros ſolent ruſtici. Atque audi;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

audi; in torquendo digitos pedum memineris junctos tenere, in reducendo diviſos, ne quantum prius proficiens, te ſurſum libraſti calcando, tantum jam indocte ſublevando pedes, rurſus impediens te ipſum deprimare. Atque hic quidem cum anſeribus & anatibus plicatiles optarem nobis pedes, quibus induſtrie, cum commodum eſſet, uti poſſemus. *Erot.* Non male rationaris. *Pamp.* Sunt ſcioli quidam, qui cum vix hunc in modum quatuor oculi nutus ictuſve poſſint ſciantque durare, tamen mirum quantopere ſeſe hic venditent. *Erot.* Equidem audivi ego quoſdam ſæpenumero etiam gloriari. Itaque ſubmirabar ſubinde tacitus mecum, quale nam iſtuc eſſet exercitium, qualis ſcientia. *Pamp.* Atque his ſane glorioſulis amice ſuaſerim, ne longius à portu ſeſe conjiciant in altum, ut huc velut ad ſacram ſemper anchoram, ubi ars illos deſtituere cœpepit, confugiant ſtatim. *Erot.* Fortaſſis id in genere dicis de iis omnibus, qui artem ſemel totam natandi non recte didicerunt. *Pamp.* Dico. *Erot.* Vulgo fertur, hanc potiſſimum diſci, cum incidente periculo cœperis ore jam aquam combibere coactus. *Pamp.* Nihil minus. Imo contra, in eo rerum articulo videmus perſæpe, ut qui perfecte alio-

quin hanc calluere artem, ejus obliviſcantur, terrore jam concuſſi, atque pereant. *Erot.* Itaque fit opinor, ut aliquando ipſi Delii etiam ſuffocentur natatores. *Pamp.* Bene. Nec vero hoc ſolum hic uſu venit, verum in aliis multis præterea rebus, ut timor gravior atque adeo ſtupor ipſe tibi eximat ejus rei, quam probe noveras, memoriam, ſcientiam atque uſum, adeoque inducat gravem profundamque oblivionem. Quid enim aliquando accidit etiam oraturis publice, cum circumfuſæ celebritate coronæ quaſſati obmuteſcunt? *Erotes.* Vidi ipſi his oculis. *Pamp.* Quid item optimis gladiatoribus aliquando, cum vel ira commoti, vel metu fracti, oblivioni traditis prorſus artis legibus omnibus, ita feriunt, ita cum adverſario antagoniſtaque rem gerunt, ut ruſtici ſolent, artis prorſus expertes. *Erot.* Vera tu. *Pamp.* Natantes autem non pauca manent præterea pericula. Sunt frigidiſſimæ in aquis mediis venæ, quæ crebrius occurrentes lumbos laxant, ac corpus frigore inſolito quaſſatum tandem prorſus labefactant: quo deinceps ſi acceſſerit ſpaſmus, natantium illa quidem plerunque præſens certaque pernicies, actum fuerit: ita enim membra prius debilitata conſtringit, ut non amplius remi-
gio

gio poſſis uti conſueto. *Erot.* Atqui ſunt, qui contra hanc contrahendi vim, remedium ſe noſſe præſens profiteantur. *Pamp.* Fortaſſis. verum illi, ô bone, non poſſunt periclitantibus ſemper præſto adeſſe. *Erot.* Quod ſi contingeret, ut alteram vel manum vel pedem hoc mali corriperet, poſſes quidem tu, Pampire præceptor, nihilo tamen minus aliquandiu durare? *Pamp.* Vbi? in fundo cum fundulis? hoc enim vel alias facile liceret. *Erot.* Ludis tu me, etſi probe quid velim adſequaris. In ſuprema, inquam, aqua incolumis. *Pamp.* Sane poſſem, ea eſt hujus præſtantia artis. Et tamen ſi diutius eſſet natandum velut dimidiato, non poſſet non periculum imminere tandem. Noviſti enim quid valeat currus altera illiſa rota, quid volucris, cui una modo ſit ala, quid homo, altero privatus pede, quid navis biremis antea, uno jam amiſſo ordine. *Erot.* Novi. *Pamp.* Tu hoc unice ſemper diſcipule velis ante oculos habere tuos, memorique condas mente, ut cum hanc bene didiceris artem, ita fluminibus lacubuſque te credas, ita te pares, quaſi ſemper ſit natandum. Pares, inquam, te ad extrema omnia: ita fiet, ut quidquid caſu ſeſe obtulerit, minus noceat præmeditatum atque ante expectatum prudenter cordate-

que. Quemadmodum minori malo ex proviſo deſcendimus, vel etiam neceſſſitate cadimus in foveam, quam ex improviſo repentine. *Erot.* Næ tu vere omnia narras, atque iſtuc ſi faceres ſemper. *Pamp*, Quid iſtuc eſt verbi? Ita ne dubitare te diſcipulum de fide atque conſtantia magiſtri? Sed pergo docere. Cum flumen pedibus tranſis, ita ſis affectus ac paratus, ut ſemper quidem ante te eſſe vel gurgitem imaginere vel foveam, vel denique obſtaculum aliquod occultum atque inſidioſum. Ita caute procedenti tuta aut certe minus periculoſa ſunt omnia. *Erot.* Teneo, futurus, ne dubites, cunctorum memor. *Pamp.* Sic etiam, cum natas, faciendum tibi. Longiore feſſus natatione, interquieſcere alibi cupiens, vel alias vadum inquirere percontarique tentans, ſic ſenſim pedes demitte incurvus, quaſi non ſis vadum attacturus ipſum. Siquidem multis ex metu hic pernicies accerſitur, dum quod ſperant, non inveniunt, ac ſic repente attoniti, deſperare prorſus jam incipiunt, artis oblitiſcuntur imagine odioſæ mortis, atque incompoſito luctamine feſſi tandem concidunt. prædaque fiunt piſcibus infelix. *Erot.* Habeam male propitias omnes ſemper Muſas, niſi recte moneas. Meminero omnium, quæ non minus

nus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

nus ſapienter doces, quam cordate atque fideliter præhortaris. *Pamp.* Tu apud te ſemper ſies, qui quidem ipſe primus eſt præcipuuſque ſervandæ gradus ſalutis. Neque tam temerario auſu, quemadmodum ego toties feci, uti etiam referens nunc exhorreſcam, te aquis quibuſvis, ut ante monui, credito. Illud enim eſt tentare fortunam illam mobilem (neſcis?) atque rotundam Deam, arte abuti, & vana oſtentatione tibi tandem malum, quod poteras præcavere, conciliare. *Erot.* Prudenter & iſthæc. *Pamp.* Quos ego enim non fluvios, quos non lacus laceſſivi? De qua adeo re, hoc eſt, inconſulta temeritate, ſi tibi, Erotes, inciperem recenſere, dies me hercle ante occideret, quam abſolverem. Proinde quod vivo etiamnum, ingratiſſimus habendus ſim, niſi jugiter cum animi gratitudine acceptum referam ſummo Iovi, ipſique adeo Neptuno, non poëtico illi quidem & mendaci, ſed illi, qui celeri toties greſſu mare ſummum divinis tranſiit plantis, Tyberiadis, ad cujuſque comminationem conſileſcunt vere omnes fluctus. Qui ventis non iis, quos Æolus emiſit in pium Æneam, ſed ipſis ventis imperat, & juſſi parent. *Erot.* Eſt ſane aliquid divinum agnoſcere beneficium, propriam deteſtari temeritatem &

malitiam, ab eaque mature diſcedere, Expertus multa, potes item multum poſthac monere multos, quemadmodum ſuo malo prudentes ſæpeque infelicius jactati nautæ. *Pamp.* Scilicet rem ipſam acu attigiſti mi Erotes. Neque enim mihi ubique læta omnia obvenere. Nam non ſemel ita ſeſe Rhamnuſia oſtendebat alibi, ut vel nutu ſatis ſignificaret, ſe verſuram tergum mihi, ſi pergerem perpetuo fruſtra eſſe audax. *Erot.* Imo ſubindicabat, opinor, niſi deſiſteres, effecturam ſe, ut experirere aliquando te non fruſtra eſſe audacem, ſed in tui ipſius perniciem. *Pamp.* Docte colligis, maxime cum ab undis etjam non raro, ut meminimus, eximiis ſit periculum natatoribus. Cujus ſane rei vel unum proferre exemplum libet; quod tamen ſine animi dolore etiam hodie poſt tot annos vix facere poſſum, ut amici ſingularis triſtem recenſeam caſum. *Erot.* Incipe. *Pamp.* Egreſſi eramus noſtrum trigeni circiter, aut eo plures ſtudentes Viennæ, in Danubii inſulam illam (cujus adeo ante facta nobis eſt mentio) amœnam. Tempus tum & locus invitabant, ut iis nos adficeremus voluptatibus, quas vulgus literatorum Fontanium vocat, nimirum à fontibus, ad quos ejuſmodi ſtudia potiſſimum peragi ſolent. Atque utinam

nam apud fontem aliquem tum, non tam potentem fluvium eſſemus deliciati ita, uti rerum verſa tandem facie, omnis voluptas tranſiret in luctum. *Erot.* Auſculto qui finis. *Pamp.* Præter reliqua ſtudia & exercitamenta, pars etiam in vicino flumine, exemplo Romanæ olim juventutis, nos exercebamus. Ego cum Danubium ſemel iterumque tranaſſem, amicus, quem dixi, & natalium ſplendore clarus, & in bonis literis non trivialiter verſatus, dum medio lætus labitur flumine, nobis in littore aliud agentibus, mox væ exclamat, reſpicimus. Quid multa? illico pereuntis agnoſco geſtus. oblitus enim artis omnis, quam callebat, ſi quis certe inter nos alius, inſigniter atque eximie, manibus diviſis ac pedibus ſubſultabat identidem. *Erot.* Miſerum aſpectum. *Pamp.* Aquam evomebat, nunc capite extans, nunc rurſus mergebatur miſere, idque antequam periret diu faciebat. *Erot.* Cur nemo ex tanto ſodalium grege ſuppetias ferebat pereunti? *Pamp.* Aberant, amice, longe naves, neque quiſquam mecum in tanti volebat fluminis medium pronatare. Neque ſane ſolus audebam me tanto credere periculo, ut imbecillis tam forti atque corpulento ſuccurrerem homini. *Erot.* Sapuiſti tu, neque ſuaſurus tibi quiſquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

fuerat, niſi qui perditum te cupiiſſet. Quæ cauſſa autem interitus erat? *Pamp.* Mors. *Erot.* Quid id reſponſi? quæ, inquam, cauſſa mortis? *Pamp.* Interitus. *Erot.* Pergis ludere in re tam ſeria, & in luctu tam triſti amici? Cum mors nihil aliud ſit, quam interitus, mors mortis cauſſa eſſe nequit, ſed cauſantem aliam oportet præcedere mortis cauſſam. *Pamp.* Ignoſce, obſecro; jam extra jocum: ſuſpicor fuiſſe ſpaſmum. *Erot.* Veriſimile. Cæterum pericliantibus in mediis aquis profundioribus, poteſtne quis ſine lintre ſubvenire? *Pamp.* Poteſt aliquando. Siquidem ipſe ego quinque liberavi certo alioquin perituros, hac fretus induſtria, nec quidem ſine gravi vitæ periculo. *Erot.* Egregium ſervatorem. *Pamp.* Verum quo minori tamen id fiat diſcrimine, cum paro ſuccurrere, nec adſit navicula ulla vel ratis, religio ſane mihi eſt, pronatare niſi arrepto fuſte, vel tabella. *Erot.* Quid cum iis? *Pam.* Vt porrigam periclitanti. *Erot.* Quid deinde? *Pam.* Iubeo adprehendere manu, ipſe altera caute tenens. Atque ibi tum, quo fortius lignum in altum tollere poſſis, ſimulque infœlicem ſic nonnihil ſublevare, donec ad ſeſe redierit, ſi modo redierit, utile fuerit etiam ſcire tum recte, ut docui, aquam calcare. *Erot.* Credo.

Pamp.

Pamp. Vnice cavendum autem, ne dimiſſo ligno, te prehendat. Siquidem in eo rerum ſtatu, mordicus preſſimque tenent, quidquid ſemel adprehenderint. *Erot.* Audivi. *Pamp.* Cumque in huuc modum jam morti proximi conantur euadere, pereunt cum ipſi, tum perdunt etiam lachrymabiliter ſimul eos, qui amice ſuccurrere parabant. Ita enim retinent, ita inhærent, ut natare non poſſis. Profuerit juxta, dictis illum compellare amicis, ac ſpe ſalutis ſubinde injecta, animare luctantem, ut fortiter agat, ac redeat ad intermiſſam metu natandi artem; velit meminiſſe manuum pedumque. Quod ſi hac nihil promoveris ratione, ſatius eſt una cum ligno relinquere hominem, quam ut ſimul pereas. Et tamen nihil non tentandum, ſi qua poſſis pereuntem eripere. quod uti commodius fiat, monendus identidem, ut tibi obſequatur, ut natando eo te ducentem trahentemque ipſum ſequatur, quo ad proximum invites portum. *Erot.* Neceſſe eſt una tum ſcire natare manu. *Pamp.* Eſt. *Erot.* Sed ſi is, cui auxilio venire cupis, prorſus artis expers eſt, qui liberari & ipſe poteſt? *Pamp.* Non facile, niſi lignum grandiuſculum tecum licuerit ſumere, puta aſſerem vel truncum: ac pereunt ejuſmodi prius, quam poteris ad eos perve-

pervenire plerunque. *Erot.* Debent adeo poſt Deum vitam tibi, quod ex undis recepiſti. *Pamp.* Debent, ac ſuſceptorem candide Anabaptiſtæ illi atque Retincti homines agnoſcunt. Poſtremo cum Ingolſtadii paſſibus à civitate circiter trecentis, cuidam in Danubio jam extreme laboranti ac ſemimortuo pararem ſuccurrere, prioremque illum, qua parte commodum erat, arripere, cum ſubito amici perculſus caſu illo quidem triſtiſſimo, mergi inſtar nunc mergentis, nunc emergentis, nihil mecum præſidii in tanta feſtinatione recepiſſem, ſic de alta ripa deſilio late in fluvium, adeo gravi exceptus caſu, ut ilia eſſe rupta ſubformidarem: ille mox ex imo ſubſiliens, ſolem poſtremo viſurus, prior me contrariis votis dextro prehendit brachio, ſicque tenuit. Vnde niſi ſuperiora omnia tentaſſem, monituſque paruiſſet, certo me fuerat docturus ille, ne de cætero cuiquam amplius ſuccurrerem. *Erot.* Satis temerarie ibi te undis credebas. *Pamp.* Quid facerem, ubi res nullam patiebatur moram? Reverſus ad ſe teſtabatur ſub undis ſibi omnia viſa flavi viridiſque mixtim coloris. Iam teſtamentum condiderat in imo gurgitis. Iam illa ſecum, Vixiſti ſemel; jamiam cognoſces, quæ tibi toties de inferno,

quæ

quæ de cœlo dicta ſunt. *Erot.* Sunt iſtæ ſcilicet ſolicitæ meditationes mortis. Cæterum fuiſti ne ipſe alias inpericulo, unde ſalutem tibi ex arte tua potueris promittere, vel unde quod ſervatus es, debeas iſti acceptum referre ſcientiæ & induſtriæ? *Pamp.* O bone, non ſemel. *Erot.* Fortaſſis tua culpa incideras atque temeritate in periculum. *Pamp.* Non ſemper, ſed vel caſu, vel nautarum negligentia & inſcitia; ut intelligas hanc artem non minimum præſtare auxilium ſalutis tuendæ, ſi quis, quemadmodum oportet, ſeſe recte geſſerit. Longum autem foret percenſere, quoties, quibuſque locis, me ita ſervarim ipſe, *Erot.* Vbi facilius natas? in ſtagno ne, vel fluento? *Pamp.* Quo rapidior eſt fluvius, hoc minori in eo nates negocio. Siquidem iu Ara nobili Helvetiæ flumine, vel Thracio Hæbro, malo nare, quam vel in Lugdunenſi Arari (cujus adeo meminit Poëta) vel lacu Lemano, in cujus ripis illa generoſiſſima naſcuntur vina Ripenſia. Siquidem impetus celerius labentis aquę, ſine pene niſu & luctamine amnis, facile ſupernatantem defert, ita ut multo diutius longiuſque nates in flumine cito, quam undis tardis atque ſtagnantibus, ubi majore eſt opus ſudore, ut promoveas. Quemadmodum volucres ſe-

cun-

cundo vehementique vento celerius feruntur, quam aëre tranquillo ac ſedato. *Erot.* Quid ſi incideres in vorticem atque gurgitem violentiorem? quid ibi tum, artifex Pampire, ne vel mergare, vel toties in gyrum redigaris defeſſus, aqua redeunte perpetuo in orbem? *Pamp.* Bene mones, neque hic me imparatum inertemque cognoſces. Vbi enim in ea loca incidere contigerit, tum vero memor artis vel maxime, armo me contra, colloque ſubrecto allabens, non patior me priorem arripi, ſed ſublatis brachiis, ſævientis undæ æſtum alternis ictibus diſturbo atque diffringo. *Erot.* Obſecro te, ita ne agis? *Pamp.* Scilicet. quod ſi pugnorum crebra, acriſque verberatio palmorum non ſuffecerit, projectis à tergo pedibus, inſtar petacium equorum, non ſuſtineo, ut poſterius etiam arripiar in fauces hiantis undæ. *Erot.* Video inſtructum te in omnibus. *Pamp.* Atque ſane id inprimis eſt neceſſarium natantibus. Sunt enim multa accidentia hujus artis, quibus, conſummata ac perfecta redditur. Siquidem in procellis etiam alternatim nunc adſurgentibus, nunc rareſcentibus (quas & ipſas frangere artis eſt) non ſimplici ſane utendum eſt natatione, ſed commode nunc cedendum, nunc contra nitendum me-

dio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

diocriter, ne nimia veluti cum adverſariis pugna fervente inſtantius defatigare. Dabitur & hujus documentum tibi, cum aliquando ſeſe obtulerit locus procelloſus atque vorticibus infeſtus. Atque adeo ſi eſſemus jam ad pontem Reinfeldiæ ſupra Baſileam, vel in eo Danubii loco, quem vulgo ob aquarum ſævientium, ſcopulorumque pericula, Strudel vocant, daretur occaſio hujus demonſtrandæ tibi rei. Nam Cataractæ ille Schaffhuſianæ, præcipiti inauditoque lapſu & fragore ſuperant omnem prorſus natandi artem. *Erot.* Multa ſæpe de eo loco audivi, ſæpiuſque optavi coram videre omnia. *Pamp.* Præcipitat ſe Rhenus de altiſſimis ſaxis, velut cum loci iniquitate pugnans, maximoque ſtrepitu ita delabens, ut in vicinis molendinis tua ipſius verba non exaudias: itaque fit,ut perpetuo ſono quidam illic etiam pene ſurdi reddantur. *Erot.* Oportet egregios ibi eſſe Stentores. *Pam.* Iam ipſum tumultuantium aquarum horrendum murmur reductis rupibus exceptum atque incluſum, Echo protrahente, æris inſtar Dodonæi lignum reſonat. In præcipitio putares farinam decidere, non aquam, adeo totus fluvius in ſpumam reſolvitur. *Erot.* Quid cum navibus, quæ illuc feruntur, agitur? Poſſunt

ne vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ne vel exonerate funibus illac demitti, quemadmodum alibi fit? *Pamp.* Nihil minus: ſunt aut frangendæ, aut adverſo flumine reducendæ laborioſe ſane. Quanta, Dii boni, pecuniarum vi illa redimeretur, ſi eſſet poſſibile, incommoditas, hoc eſt uti ea quoque parte eſſet navigabilis Rhenus! Nunc bona ac merces difficilia via, terra aliquandiu neceſſe eſt plauſtris devehi, non ſine magnis impenſis, ac jactura priorum navium, donec in alia recipiantur multo inferius navigia. *Erot.* Grave ſane diſpendium. Eſſet ibi opus Hercule, qui ſaxa disjiceret, æquaretque commodius locum. Cæterum arbitror, illam triſtiſſimam maris tempeſtatem, quam nequam venti, ab Æolo velut effrenes ex ſchola emiſſi diſcipuli, conciverant, omnem quoque tum viciſſe natandi ſcientiam, quando Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens. Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis; & ubi Adparent rari nantes in gurgite vaſto. *Pamp.* Equidem ignoro, cum fatalis illa fuit conturbatio. Et tamen fieri potuit, ut hujus periti artis, maxime quibus datum eſt aſſerem vel aliquid adprehendere aliud, aliquot incolumes evaſerint. Cum apud eundem quidem Poëtam legimus, quid hæc cognitio

opti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

optimo Palinuro (in quo adeo omnem ſalutis ſpem ponere conſueverat dux Æneas) profuerit. Cujus hæc verba ſunt de ſe ipſo loquentis:

Tres notus hybernas immenſa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua , vix lumine quarto
Proſpexi Italiam ſumma ſublimis ab unda.
Paulatim adnabam terræ, & jam tuta tenebam ,
Ni gens crudelis madida cum veſte gravatum,
Præſentemque uncis manibus capita aſpera montis.
Ferro invaſiſſet, prædamq; ignara putaſſet.

Erot. Tamdiu potuiſſe Palinurum natare,in tanta maris tempeſtate ? *Pamp.* Certe,ut Virgilius ſcribit,quod quidem ipſum eo facilius credideris , ſi tecum expendes, quot etiam perpetuos dieſque noctеſque, ut author eſt Homerus , divinus natarit Vlyſſes , æquore nihilo mitius furente, cum relicta, numinis juſſu , Calypſo, patriam peteret Ithacum. *Erot.* Verum : ſed dea Ino tabulam porrexerat ſalutarem ac ſubſidiariam , cui innitens incolumis nataret Vlyſſes. *Pamp.* Verum : ſed aliquid eſt , tanto tempore in tam æſtuanti pelago potuiſſe vel pedibus docte ſubnatare:

quod

quod ipſum quoque plerique ignorant; tantum abeſt, ut ſciant prorſus natare. *Erot.* Obiter jam mihi ſuccurrit, cum ante annos paucos victrici redimitus lauro Imperator Carolus ex Libya reverteretur, miſerabile illud naufragium, quo milites plus minus ſeptuaginti periiſſe dicuntur. quam tum putas fuiſſe rerum faciem, cum alii alios impedirent? *Prmp.* Luctuoſiſſimam, & tamen aliquot enataſſe feruntur. Excepit infelices illos, qui fortaſſis haud ſatis conſulto compendium affectantes quæſierant, non hoſpitaliter vicina Charybdis. *Erot.* Nimirum ut aſſolet, monſtrum horrendum, non fruſtra à Poëtis tantopere decantatum. Sed quid tu ſi adfuiſſes, facturus fueras, ne una perires laxis jam navium ac confractis laterum juncturis, artifex bone? *Pamp.* Tamen ne ſic quidem animum diſpondiſſem omnem. *Erot.* Qua obſecro ſpe ſuffultus? ubi Vnica ſpes victis nullam ſperare ſalutem. *Pamp.* Non meminiſti, quid de Palinuro ipſoque adeo Vlyſſe dixerim? *Erot.* At non perinde cuivis ſuccedit negocium periculoſum. *Pamp.* Quaſi Chriſtus, tanquam propitius Neptunus, non hodie etiam ſuis inclamatus ex ſupplici pectore ſubvenire ſoleat. Verum audi; in eo caſu, ita ſalutem quæſiiſſem: Vbi periculum

culum certum imminere videre, ſentirem omnino eſſe natandum, mature abjeciſſem (idque eo prætextu, quaſi ſic accinctior accedere vellem nautis auxilio) quæ futuræ natationi inhærentem impedire potuiſſent. Quemadmodum Vlyſſes feciſſe perhibetur, cum Deæ juſſu de fracta ſeſe præcipitaret rate, relicta poſt ſe etiam incomparabilis prætii veſte, quam abeunti dono ac velut ſui perpetuum mnemoſynon dederat adamata diu Chalypſo. Cujus pretium ſi præpoſuiſſet ſaluti, quid? an non nimio preſſus onere mox periiſſet? Vt intelligas, nobis omni chariorem theſauro vitam eſſe merito debere. *rot.* Vera prædicas. *Pamp.* Iam me ſejungerem ab aliis quantum poſſem, ut quando viſum eſſet, præcipitarem me vel ex puppi vel prora. *Erot.* Audio. Sed quid ſi in te libraſſent lanceas? vel jaculis mox trajectum perfidiæ pœnas te dare docuiſſent? *Pamp.* Non eſt perfidia, in hujuſmodi neceſſitate quærere ſalutem. Sed pergo. Vt ſolus natans liberius in portum profugere poſſem. Siquidem in ejuſmodi fortuna non leve imminet periculum à comprenſantibus odioſe vicinis, atque importune ex deſperatione inhærentibus ſociis. *Erot.* Credo. *Pamp.* Circumſpicerem tabulam aut lignum grandiuſculum fracta ac ſubdente jam

navi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

navi quod id præſtaret, quod præſtitit, ut diximus, Vlyſſi fatalis tabula juvantis Nymphæ, ac tale procurarem, ſi liceat, præſidium cum longius eſſet enatandum. Atque in hoc, Erotes, fac meum quoque imitere exemplum, ut in aquarum ſiniſtra fortuna, juves quacunque licuerit commoditate natandi artem. *Erot.* Dic mihi, Pampire, Impeditus prius, poſſes in undis veſtes abjicere atque exuere? *Pamp.* Poſſem ſane tunicam, deploida, interulam, ac calceos: ſimiliter caligas; quas cultello commodiſſime tamen poſſes diſſecare, ſi longius natanti putares illas fore impedimento. Atqui hæc exequi licet, ſi aquam ita aliquandiu ſcias calcare, ut rectus conſiſtere poſſis. Zonæ vero parcerem quantumvis gravi, in qua geſtanda ſervandaque eo ſtrenuum magis præſtarem bajulum, aſturconem; ſive tolutarium. *Erot.* Equidem non arbitror hujuſmodi ſarcina multos ex eo pereuntium grege gravatos nimis fuiſſe. *Pamp.* Hujuſcemodi quiddam nō ſemel mihi pene uſu veniſſet, quemadmodum ſub ponte illo totius Germaniæ magnificentiſſimo operoſiſſimoque Ratiſponæ aliquando. *Erot.* Quid ita? *Pamp.* Rate vehebamur viri, fœminæ, pueri, ſenes, ut fit, promiſcua turba. Nautis bene potis huc conſtricti deve-

deveneramus, ut errorem quem nobis ſua inconſiderata loquacitas, ex vino profuſa nimio, conciliarat, iſti deinde corrigere non poſſent, ut eſt eo loci flumen rapidiſſimum. Vbi impegiſſemus in columnam unam, binæ arbores à rate ſolutæ, ibi curſum fixerunt aliquandiu, valedicentes interim nobis. *Erot.* Nemo perierat? *Pam.* Nemo. Cæterum vaſa duo, quæ eo forte poſita erant latere, periclitata ſunt, verum mox rurſus recepta. Ibi audiſſes ululatum mulierum, clamorem puerorum, ſenum deſperabundos gemitus, videſſes expaſſas in cœlum manus. *Erot.* Quid tu? *Pamp.* Fidebam Deo, ac arti meæ. Stabam accinctus in parte navis extrema, ut ſi triſtior ſequeretur fortuna, ſaltu me præcipitarem ſeorſim in aquas. Eram infantulum, ex matris prope ſedentis ſinu, ſi fieri potuiſſet, arreptum mecum ſumpturus, ut vel hanc ſervarem animulam perituris cæteris. *Erot.* Pie tu iſta cogitabas. Similis terror accidit ante annos quatuor nobis, ad pontem proximum infra Donoverdam. Aberat tum forte Palinurus, ut vectigal exolveret, gubernator, à piſtri noſtra; homo torvus; dixiſſes Sauromatam quendam, vel (ut verius dicam) ipſum Stygium Charontem. Inciderat tum repentina atque graviſſima tempeſtas. Nix commiſta grandine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dine ſic tranſverſa à violento ferebatur vento, ut obſcurato cœlo, omnis adimeretur prohibereturque proſpectus nobis. Nautæ, abſentia rectoris triſtes, tempeſtateque perculſi, indicto ſilentio ſignificabant non leve imminere periculum à ponte. Cum vero nobis nequicquam nitentibus navis tranſverſim rapta ſic deferretur, ſubſenſeram, nautas jam ſecum conſtituiſſe, ut ſeſe præcipitarent ante in flumen, quam navis latitudine adpulſa ponti frangeretur, aut etiam una pons ipſe corrueret. *Erot.* Perge. *Pamp.* Quod ipſum certò futurum erat, niſi nos Deus reſpexiſſet. Erat enim navis oneraria, prælonga atque valida, qua ferrum fuerat ſubvectum Vlmam. periiſſent quot in Argo fuerant credo omnes. Verum, ut dixi, Deo aliter viſum eſt, ut navis jam ponti imminens, cum ad proſiliendum, ut perniciem anteverterem futuram, eſſem accinctus, fundo inhærens conſiſteret, ter acta in orbem, ita ut nec proram neque puppim, ſed latera adverteret ponti; in quem ſi impegiſſet, nec Triton, neque ipſa Cymothoë infelices hinc detruſiſſent. *Erot.* Verum quis tandem finis? *Pamp.* Mane. Nihil vehementius timebam, quam navem arenis ſolutum iri. Itaque cum dubii ſic diu hæſiſſemus: altera naue, divina prorſus virgula,

equi,

equi, qui onerariam ſurſum flumen trahunt, adventant. ab his poſt miſeros clamores & pejerationes impiiſſimas, quæ ſunt fere quotidianæ iſtorum hominum precationes, poſt multa molimina & labores, navis partim exonerata in littus attracta eſt, nocte jam profunda ingruente. Ibi pedeſtri itinere, difficilique plane via monticulus nobis erat ſuperandus ad hoſpitium uſque. *Erot.* Expecto reliqua. *Pamp.* Aderant aliquot infantes cum matribus: ex his unum, à parente ſolicita rogatus una cum cunabulis ferebam. *Erot.* Fortaſſis pater geſtabas filium. *Pamp.* Rides tu quidem, non riſurus, ſi in tam triſti adfuiſſes tempeſtate. Audi cataſtrophen. Cum ventum eſſet ad hoſpitium, ut intelligas eo die ubique fortunam nobis egregie adverſatam, egreditur Pandocheus triſti vultu, fronte caperata: ubi vidit promiſcuam turbam, opinatus nos eſſe Anabaptiſtas, abnuit hoſpitium. Rogamus cauſſam. Non eſt, inquit, admodum pridem, cum ignarus homines tecto reciperem hocce retinctos: quod cum præfectus vici cognoviſſet, minatus eſt gravem pœnam irrogaturum ſeſe, ſi ad eundem iterum peccarem modum. Itaque bonus homo non poterat ſecus perſuaderi niſi à nautis tandem ſebſequentibus: unde

ne cognita, veniam precatus exules Anabaptiſtas intromiſit. *Erot.* O quam vellem, tunc iſtud tuum os vidiſſem, audiſſemque colloquia, quam tergiverſationem cum Ganymede iſto habuiſſes! nam novi te intus & foris. *Pamp.* O Erotes mi, quam vellem viciſſim ea nocte mecum fuiſſes particeps omnium deliciarum & voluptatum, cum ita tractarer, ut cum Vlyſſe nihil enixius exoptarem, quam ſi tandem dieſceret. Verum hæc nimis prolixe, fateor. proinde loquacitati ignoſces noſtræ. *Erot.* Non gravatim. Cæterum navigaturi olim, Pampire, Neptuni numen implorabant, ventos ipſos tanquam deos ſacrificiis placabant: quod ſi cui infelicius ceſſiſſet navigatio, exiſtimabatur parum rite hæc primum peregiſſe. Ita ea forſan die, Pampire, conſuetâ cantiunculâ ſolventes deo illi, vero aquarum tempeſtatiſque domitori, vos non commendaſtis, quam vulgo cantillant in Danubio navigantes, tanquam læto auſpicio cujuſque diei curſum exordientes. *Pamp.* Imo & divo Chriſtophoro etiam propriam ſuccinebamus cantionem, non Chriſto ſolum. Siquidem hic ſanctus, ut fortis aquarum calcator, ut robuſtus gigas, nullis cedit fluctibus prodigioſa corporis proceritate, pereuntibus ſtrenue ſuccurrit

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vel ex profundis fluviorum faucibus tollens ſupreſſos, in hujuſmodi periculis poſt Deum imprimis eſt invocandus. *Erot.* Præſtabat ſimul tempeſtati nigram obferre pecudem. *Pamp.* Ab Ethnicis iſta olim curabantur ſuperſtitioſe. Quibus ſolenne erat diis ſuperis offerre, ut bona darent. Medioximis, hoc eſt, laribus atque penatibus, ut ignem ac ædes cuſtodirent. Diis inferis, id eſt, dæmonibus, idem præſtabant, ne nocerent. Chriſtianis, Erotes, ſat eſt in impetrandis bonis, ac malis deprecandis, ſolum unumque interpellare Deum noſtrum, qui, quemadmodum omnia bona largitur abſque menſura, ita ſolus cuncta mala à nobis avertere & poteſt & ſolet invocatus. Qui ſi eſt pro nobis, quis contra nos? Habet ventos in manu, habet cœlum & teram, mare & infernum: habet Luciferum, ut nihil nobis nocere poſſit, modo curemus ut hunc ſervemus propitium. *Erot.* Tantum valuit mea oratio, ut nunc te audiam Theologum pie ac vere iſta loqui. Quod ſi naufragos fieri eo die contigiſſet, credin matres cum infantulis tam viriliter enatare potuiſſe, quemadmodum legimus, mulierem illam viraginem una cum puello, quem ſiniſtra tenebat, maſculo prorſus & animo & robore enataſſe? ἐν τῷ τοῦ ἡμε-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

τέρου τοῦ δ' ἐκείνου Ἐράσμου ναυαγίῳ? *Pam.* Equidem non putabam; adeo omnes non ſolum fœminæ, ſed & viri deſperarant. *Erot.* Tu igitur ſolus Adamum præſtitiſſes ſacrificum in ſtrenue evadendo? *Pamp.* Sic bona ſpes habebat animum meum. Vides igitur quid fiduciæ neceſſitate urgente in hanc artem ſit collocandum, ſi Chriſto præcipue te commendaſti. Quæ quid præſtet, vel ex eo etiam naufragio intelligere poteris, in quo fuit & Paulus Apoſtolus, cum captivus ex Paleſtina ducebatur, Cæſari ut ſiſteretur. res huc devenerat, Erotes, ſi legiſti. *Erot.* Legi. *Pamp.* ut qui ſcirent juberentur natare, quo navis alleviaretur etiam, neque ſemel omnes una perirent. *Erot.* Quod ſi ſanctiſſimum Apoſtolum contigiſſet periclitari de vita in undis ligatum, quis illi tuliſſet opem? *Pamp.* Quis? rogas? Is nimirum, qui ante illum, una cum Sila, Philippis ex carcere redemptum eduxerat. *Erot.* Dic obſecro, quid Petrum, quem Syriace Cephan Euangelium vocat etiam, ad natandum tam fortem & audacem reddiderat, (fortaſſis quod ut piſcator eam probe noſceret artem) ut ad conſpectum Domini ſui tam ſingulariter adamati, non dubitaret vel veſtibus gravatus ſeſe ex piſcatoria demittere lintre in medium maris? *Pamp.*

Vin

Vin ſcire? *Erot.* Avide. *Pamp.* Petra fidei, hoc eſt, firmitas fiduciæ in Chriſtum. *Erot.* Cur igitur quonam tempore mergebatur ortis fluctibus? *Pamp.* Diffidentia. *Erot.* Quid iſtuc? *Pamp.* Nobis in exemplum. *Erot.* Exemplum autem? *Pam.* Sic; ut intelligamus, noſtris viribus nihil neque tribuendum, neque fidendum quidquam. *Erot.* Quam admirando modo Dominus Ieſus aquas percurrebat ſummas, perinde quaſi firmum ſolidumque ſolum! *Pamp.* Quid ni Dominus cœli, maris & terræ, ac verus demum Neptunus, non commentitius ille, de quo Poëta cecinit:

Atque rotis ſummas levibus perlabitur undas.

Erot. Quam vero voluptarium fuiſſet conſpectare (Pampire vides quo recidam?) quomodo impius atque obduratus Iudæorum perſecutor & maſtix Pharao, coëunte in ſe rurſus mari rubro una cum univerſo illo præpotenti exercitu nataſſet. *Pamp.* Divinæ iræ inardeſcentis illa tum juſta vindicta & indignatio docebat illos mox in imo natare fundo. Quanquam ſi fato conceſſum eſſet cuiquam ex tantis evadere copiis, certe præ cæteris meliuſcule habiturus fuerat is, qui taratantaram pulſans tenebat. Huic enim quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

validiſſimis innixus veſicis, fideli præſidio, quas non aquas pernatarem? *Erot.* Credo. *Pamp.* Tranarem Strictum Sibiliæ. *Erot.* Ad columas, inquis, Herculeas? *Pamp.* Tenes. Tranarem Boſphorum Thracium, ipſum ſine ullo periculo Cimmerium. *Erot.* Magnum narras atque præſens in undis ſubſidium. Quid, Pampire, ſi mihi hujuſmodi emerem fidelem equum? *Pamp.* Nihil minus; fores ob rei abſurditatem raritatemque hominibus ludibrio. Tu iſta tene, quæ ex nobis hauſiſti. *Erot.* Succurrit de Phryxo & Helle ſorore illius, qui cum mare trajicerent mediterraneum ariete fatali bajulo, Helle timore percuſſa virgineo fertur decidiſſe. *Pamp.* Illa quidem ſic natavit, ut manſione ibi fixa, de ſeſe mari nomen dederit, ut hodiernum vocetur Helleſpontus. *Erot.* Miſerrimum virginis fatum. Cæterum ne te rogando, quæ in buccam forte veniunt, obtundere deſinam, cum ſim Erotes, libens ex te audiero tanto ſcilicet artifice, quonam natandi præſidio confiſus, quid facturus fueras, ut ſalutem redemiſſes tuam, eo jampridem anno, quo, multo ante conſenſu, pene omnium Aſtronomorum, non ſine orbis ingenti terrore prædictum erat fore diluvium, tot ſcilicet unanimi voto Pla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

netis exitium minantibus mortalium generi? *Pamp.* Bellum hominem qui huc cogites. Parturiebant montes diu, & natus eſt mus vere ridiculus, ut dici ſolet. Eram tum Viennæ Auſtriæ, cum jam fatalis adpropinquaret dies, univerſa civitate metu pene exanimata. *Erot.* Non immerito. *Pamp.* Noviſti bibulos illic eſſe homines, præcipueque dulci ſacros mancipatoſque Lyeo? *Erot.* Audivi. *Pamp.* Dicas ſpongias. incidente calamitate, majore tenentur cura & ſolicitudine vinorum, hoc eſt, unici ſolatii ſui, quam propriæ tuendæ ſalutis. *Erot.* Fortaſſis in gratiam Bacchi patroni; à quo non poſſunt quidem non viciſſim uniceque redamari deo. *Pamp.* Præcipua cura erat, ut penorum, quæ illic ut altiſſima ſunt, ita magnificentiſſime ſub terris condendis extructæ vinis, (ut diceres tot ibi eſſe Labyrinthos) feneſtras atque januas etiam pleraſque calce ac coctis occluderent lapidibus. *Pamp.* Ne vina perirent, quidquid de ipſis futurum eſſet? *Pamp.* Scilicet. Erant nonnulli cadis adamatis ſub calamitatem incubituri, quemadmodum gallinæ ovis, videlicet ut aut una perirent cum vino, aut ſervarentur. Aſt audi quid acciderit. Qua die prædictum erat fore malum, ea quidem nihil un-

 quam

quam vidi tranquillius atque ſerenius; ne gutta quidem cœlitus irrorans deciderat, Danubio ſeſe intra conſuetas placide continente ripas. Proinde factum eſt, ut deluſæ plebis terror verteretur in gravem iram, recluſiſque feneſtris, ſummo adeo odio perſequerentur eos, qui de rebus ſiniſtre eſſent vaticinati futuris, ut ex iis quidam aliquandiu Viennæ quoque doctis, qui hujus mali meminiſſent, non auderent quoquam prodire. Verum jam ad id quod quæſiſti. Meditabar lintrem vel arcam cum Noë. *Erot.* Vbi victum eras ſumpturus? nam potum ex propinquo licebat. *Pamp.* Didiciſſem ſublimis in aëre paſci, quemadmodum hirundines volatu. *Erot.* O providentiam ſapientem, ac ſapientiam providentem! *Pamp.* Vel arbuſculas feraces, commode ſubjecta terra, plantaſſem in navicula, ex quarum dein fructibus viverem. *Erot.* Ridiculum propoſitum; ſpem ponebas aliquam & hic in artem ſolitam? *Pamp.* Quid ni? quocunque res caderent. Neque enim perpetuam inundationem illam futuram exiſtimabam, quemadmodom neque diluvium Noë fuit, neque Deucalionis & Pyrrhæ. *Erot.* Hæſiſſes tandem etiam, ſicceſcente paulatim aqua, vel in montibus Armeniæ, vel certe Parnaſſi verticibus.

At ve-

At vero oportuiſſet te tecum ſumere Pyrham aliquam, non Epimethei illius filiam, ut ille, & qua genus hominum jam tertio Cataclyſmo perditum reſtaurares. *Pamp.* Ne ſis ſolicitus,& in hoc mihi pulchre proſpexeram,alia longe ratione plantaturus iterum mundum, quam projiciendis à tergo lapidibus. *Erot.* Ita ne laſcive? Cæterum memini ſolicite cogitare me ſæpius ſolitum mecum, quid nam dederit occaſionem Poëtis fingendi illius diluvii Deucaſionis tempore. *Pamp.* Dicam qnod ſentio, quodque conſentaneum adparet. Sibylla libros veteris teſtamenti legiſſe fertur diligenter, cum vero deſtituta veri ſpiritu Apollinis, de rebus ſcriberet non plene intellectis, plerumque accidit ut meminerit quoque diluvii illius univerſalis temporibus Noë juſti. *Erot.* Non veri diſſimilia dicis. *Pamp.* Poëtæ deinde rurſus, ut alia multa, ex libris vatis Cumanæ anſam ſumſerunt comminiſcendi alterius Cataclyſmi, quem & ipſum Iuppiter introduxiſſet perdendis ob ſceleratiſſima flagitia hominibus. *Erot.* Facile quidem perſuaſeris ut credam. Neque mirum Pampire eſſet, ſi Deus nunc quoque ſimili nos calamitate extingueret; ii ſunt, hac ſcilicet vel maxime tempeſtate, mores hominum, hæc vita noſtra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Pamp. Sane quam vere tu iſta dicis. *Erot.* Libet hoc quoque ex te diſcere, ut revertamur propius ad inſtitutum. In natando prodeſt ne etiam robur, atque membrorum firmitas? *Pamp.* Dubitas? maxime; quemadmodum & in curſu. quæ tamen ipſa ubi abſunt, penſari poſſunt corporis utcunque eleganti agilitate ac præſtantia artis. *Erot.* Poteſt ne Pygmæus etiam natare? *Pamp.* Poteſt quidem, ſed incommodius, ob manuum pedumque brevitatem. *Erot.* Qui vir duos excedit pedes & quadrantem. De quo adeo Iuven. Sat. 13:

Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram,
Pigmæus parvis currit bellator in armis.
Mox impar hoſti, raptuſque per aëre curvis
Vnguibus, à ſæva fertur grue.

Dic obſecro porro, amice tu, ſi initio certamine divus Chriſtophorus, quem perhibent fuiſſe longitudinis duodenum pedum, vel ſi Gabbara Arabs, qui ætate Plinii vixiſſe legitur, novem non minus pedum totidemque unciarum gigas, cum Siſypho Pumilione, quem Marcus Antonius in deliciis habuiſſe ſcribitur intra bipedalem ſtaturam, nataret, uter vero alterum anteverteret? *Pamp.* Dicam vere; Pygmæus, ſi ageret Priorem, gigas Abbatem. *Erot.* De monachis non loquor, de ho-

de hominibus loquor, ſupra communem naturæ parentis conditionem vel proceris, vel humilibus. *Pamp.* Audio. Verum nunquid & illi monachi ſunt dicique poſſunt, cum ſunt ſolitarii? *Erot* Pergis argutari in voce? Aliud rogo. Quomodo natarent Phaneſii, qui in Inſulis habitantes Scytharum. patulis miraculoſe auribus totum dicuntur contegere corpuſculum, ſic ut aurium latis diffuſiſque membranis membra ſecure veſtitant. *Pamp.* Arbitror auricularum laxa ſpacioſaque levitate, velut teſtis, commode illos poſſe ſuperfluitare. Quin eadem opera ſciſcitare quomodo Sciopus natet. *Erot.* De diis marinis, hoc eſt, poëticis ſæpius miratus ſum, cum profunda marium inhabitent, qua ratione tam repente de uno loco in alium tranent. *Pamp.* Dii quidem omnia poſſunt facile, ſi verum eſt quod ſcribit Homerus poëta. Et tamen habent ſua præſidia. Triton piſcibus vectatur, Thetis delphinis, Protheus ipſe phocis, atque aliis alii, velut equis, æquora tranſmittunt. *Erot.* Infeliciter nataſſet Arion. *Pamp.* Dum ex aliis in alia atque alia varia incidis, vide ut ſatis apte cohæreant omnia. *Erot.* Interpellas. niſi cantu oblectatus delphin periclitantem Citharœdum equitis in mortem dorſo ſuſcepiſſet ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

commodato. *Pamp.* In ejuſmodi fortuna non ſemper ſuccurrit piſcis ille hominum amator, neque ſemper prodeſt cithara, quemadmodum neque comœdia Græco Poëtæ Menandro profuit, qui cum in flumine quodam nataret, fatis interceptus iniquis, miſerrime periit. De quo adeo Ovidius;

Comicus ut liquidis periit (dum nabat) in undis,
Et tua ſic Stygius ſtrangulet ora liquor.

Erot. Dira imprecatio. *Pamp.* Nimirum digna pro rei atrocitate. Atque audi quod præterea poſſis admirari. Cum agerem aliquando Vratiſlaviæ in Sileſia, ex ludo literario noſtro, divæ Elizabethæ, quidam egreſſus parum felici omine furtim in fluvio Odera natavit. *Erot.* Quid? perierat ne? *Pamp.* Equidem neſcio, Illud ſcio, cum multum diuque eſſet quæſitus, tandem mortuum longe infra ex undis extractum. *Erot.* Iocularem hominem! certo igitur perierat infelix ille. *Pamp.* Certius ſane quam volebat. Cæterum cadaver mortuum in Scholam reportatum, Magiſter ejus, ubi virgis prius acriter cecidiſſet, mandavit ſepulturæ. *Erot.* Quid audio! ita ne poſt infelicia fata tyrannum illum in mortuum deſævire? *Pamp.* Vidiſſes Orbilium, Plagiarium, verberonem

nem ſæviſſimum totis ferularum faſcibus, ac integris, vere dixerim, ſcopis furentem plagas innumeras miſero inferre. Et tamen, quod miraculi inſtar eſt, inter graviſſima ſæviſſimaque verbera, ita immotus tacituſque cuncta incredibili quadam patientia tolerabat, quaſi prorſus obſtupuiſſet ad omnem dolorem, nihilque omnino ſenſiſſet cruciatus. *Erot.* Credo, etiam ſi non dejeres. Sed quæ iſta iſtius immanitas loci, & inter literatos quidem homines, ut etiam in demortuos ſæviatur, quæ olim inter Barbaras etiam gentes extrema habebatur crudelitas? *Pamp.* Interroganti cauſſam, Erotes, dicebant, moris illic eſſe, ut qui ſic periiſſet, mortuus etiam inobedientiæ pœnam lueret, quod legibus Scholæ ſpretis auſus fuiſſet, non impetrata miſſione à Magiſtro, in fluvium clam prorepere. *Erot.* Eſt igitur genus iſtud quoddam piaculi. *Pamp.* Eſt. Subdebant partim hoc etiam in terrorem fieri aliorum, ut vel ſic intra obedientiæ obſervantiæque erga ſuperiores ſuos cancellos retineri poſſint. *Erot.* Miſerum terrorem, ac morem gentis rarum! *Pamp.* Quam male propitium fuit ejus fluminis numen bono adoleſcenti. *Erot.* Credin fluviis ineſſe divinitatem aliquam? *Pamp.* Sic antiquitas perſuaſum quidem habuit;

quæ

quæ cuique pene fonti ac fluvio ſuum vel deum vel deam addicebat adpropriabatque. *Erot.* Stultos atque inſanos mortales ! *Pamp.* Atqui hinc arbitror Poetis ſcribi ſolitum, coire flumina inter ſe etiam ac ſobolem producere: Quemadmodum teſtatur quidam Poëta, Rhenum aliquando coiiſſe cum Danubio, atque hinc natum Neccharum. *Erot.* Vere poëticam fœturam dicis. *Pamp.* Quam perdite Alphæus fluvius amavit Arethuſam ex Nympha mutatam in fontem ? cujus adeo apud Ovidium hiſtoriologon tuum, cum illam jam Alphæus amore languens inſequeretur, natantis verba ſunt:

Et quia nuda fui, ſum viſa paratior illi.

Erot. Credo; quemadmodum in Lymaco tibi tuæ iſtæ natrices (ut tu vocas) quoque. *Pamp.* Enecas. & mox:

Nudaque mergor aquis; quas dum ferioque traboque,
Mille modis labens, excuſſaque brachia jacto,
Neſcio quo medio ſenſi ſub gurgite murmur.

Agnoſcis natantis hypotypoſin; *Erot.* Verum. Licet ne aliquid pace dicere Pampire tua ? *Pamp.* Impune, ſed ea lege, ut idem, cum erit neceſſe, ex te ſperare viciſſim poſſim. *Erot.* Maxime. Alphæus cum nimio accenſus amore Arethuſæ fugientis amplexum avida conſectatione captaret peteret-

peteretque, mutatam hanc in clarum amœnumque legimus fonticulum, tu (nunc opus venia) quas amore perſequeris vel potius proſequeris, ex virginibus plerunque mutantur in mulieres atque matres. *Pamp.* Tolerabilior ſane metamorphoſis, quam ex hominibus in aquas. manet humana ſpecies. *Erot.* Verum, ſed non manet integritas & pudor idem: manet herbæ ſtipes, ſed flore perdito. *Pamp.* Ioco dicis, joco accipio. *Erot.* Non ſic eludes. *Pamp.* Vin igonoſcere viciſſim? *Erot.* Rogas? *Pamp.* Ex hujuſmodi ſtipite tu truncus etiam natus es nobis tantus. *Erot.* Ha ha. Sed pergo. Quod ſi amor quoque tuus omnes redderet adamatas, fontes, mitteremus te in ea loca, ubi vix habitari poteſt ob ingentem aquarum inopiam. *Pamp.* Fortaſſis ruſtici citius paſſuri fuerant fontium defectum, quam agnoſcerent tam largam aquarum copiam, ex hujuſmodi uxorum filiarumque ſuarum virginum penuria progreſſam. Quod ſi, Erotes, amoris præſtigiis virgines mutarentur in fontes incantatæ, quam frequens, ſcio, eſſes in iis natator, quam aſſiduus colluſor? quemadmodum ſi balneares in eo fonticulo, in quem verſa perhibetur Byblis Mileti filia, vel in quem Ægeria Nympha. *Erot.* Quam pulchre

hic

hic ex ſeſe judicat atque metitur alios. Quanquam ſane libentius in ejuſmodi fontibus natarem, lavarem, biberem, quam in eo Ciconum flumine, quod potum ſaxea reddit viſcera, quod tacitis inducit marmora rebus. *Pampir.* Illinc ita me Iuppiter benignus amet, arbitror ſocerum meum largos ſæpe hauſiſſe hauſtus, ſiquidem illo nihil durius, nihil intractabilius atque inclementius, ſi animum ejus ipſosque inſpicias mores. Proinde nihil magis à diis immortalibus jamdudum opto, quam illum poſſe ex fonte Salmaci bibere, inquit eo ſæpius natare. *Ero..* Quid illiuc lucrifacturum? Quid? ut ex eo fonte, qui potus atque attrectatus animos hominum mutat, mentem meliorem imbiberet, indueret humanitatem, hauriret animum liberalem atque facilem. *Erotes.* Hinc illæ lachrymæ; fortaſſis in dando tenacem nimis ſentis. *Pampir.* Ipſam tenacitatem, ipſum rigorem. *Erot.* Quid ſi autem animum adhuc pejorem illinc ſibi compararet? *Pampir.* Vix poſſet. & tamen mallem omnino ſemel obbruteſceret, ſi vero homine non liceat frui, quam ejuſmodi ſenem perpetuo tolerare. ſiquidem tum ſcirem omnino eſſe faciundum, ut catenis conſtrictum in caveam aliquo protuderem. *Erot.* Durum tu quoque

agis generum. *Pamp.* Imo Mitionem dicas, ſi illius plus quam Demeæos mores trutines, meamque expendas tolerantiam. *Erot.* Si res ſic habet, ut dicis, ſique cupis aliquando ab iſto liberari tormento, dedero ſi vis fidele conſilium tibi, unde hoc conſequare. *Pampir.* Beaveris amicum; ſubveni, obſecro *Erot.* Autor Marcus Varro Arcadiæ populos quoſdam eſſe incantatores, Melæ & Solino alibi Neuros nimirum dictos. *Pamp.* Iam propemodum divino quo velis. *Erot.* Qui ſorte ducta, cum fluvium quendam ſui lenitate pene ſtagnantem tranent, vertantur in lupos, rurſus poſt annos novem, ſi modo interea à carne abſtinuerint humana, redituri in priſtinam formam. *Pamp.* O ſi iſta, Erotes, vere fieri crederet. D. Auguſtinus, ipſeque adeo Herodotus atque Plinius. *Erot.* Ille quidem perſuaſum habet mutari homines poſſe in beſtias, non re ipſa, ſed quibuſdam phantaſticis præſtigiis, quibus ſenſus illorum decepti illudantur. Hi ſi minus credunt hoc fieri, videant ne eodem jure ipſis quoque non credantur pleraque quæ ſcribunt. Et tamen quid hic religioſulus es, qui prius contendebas eſſe antiquitati credendum? *Pamp.* Age credo. Sed quid volebas? *Erot.* Cura ut ſocer tuus fiat ex ſemi vix homine, quod velle videris, prorſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſus beſtia, hoc eſt, ut tranet quoque hujuſmodi Arcadiæ fluvium cum Neuris, fiatque lupus, quem mox captum carceri includas. *Pamp.* Diſpeream, niſi ſalubre des conſilium, ſi liceat eo uti. Sed heus, Erotes, quid ſi à lupo deinceps diſcerperer, qui ab homine qualicunque potueram vita certe incolumis ſervari atque evadere? *Erot.* In beluam mutatus profugeret in ſylvam fortaſſis, ut Lyacon rex in lupum verſus. Et tamen cum te dilaceraſſet, guſtata jam carne humana, ſi rediret in priorem naturam & ſpeciem, non amplius ulla moleſtia tibi ab illo foret timenda. *Pamp.* Bene dicis? mortuo & commeſto. quam egregium conſilium! unde ſemper tibi gratias agere debuero. Sed extra jocum, ſi votis quicquam proficeretur, optarem illi poculum Circes, ſi non in lupum, in ſuem tamen transfiguraretur, ut cum porcis una noſtris ſtabulo concluderetur. Quanquam in vino ita natat ſubinde, ut hinc non alius reddatur (niſi quod formam retinet hominis) quam ſi cum Neuris tuis fluentum illud prodigioſum tranaſſet, vel poculum Circes excantatum ebibiſſet cum ſociis Vlyſſis. *Erot.* Vale tandem cum ſocero, qui nos longius abduxit. *Pamp.* Merito ſtomacharis; verum longa injuria, longa verba. Cæterum

quan-

quando ſemel in varias incidimus aquarum naturas, commode ſubit, quod ſcribunt de fonte quodam, cujus etiam Naſo meminit.

Clitorio quicunque ſitim de fonte levavit,
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.

Erot. Miraculoſam aquam. *Pamp.* Sæpius ardentiſſimis exoptavi votis, Ingolſtadii Danubium ejus eſſe efficaciæ atque virtutis. Multo minoris daretur illic vivere bibulis ſtudentibus atque ſitientibus. Equidem in eo tum fluvio ſtrenue ac vulgo innatarent, hinc ſitim reſtinguerent, de vino nihil requirentes, cujus jam tantam contraxiſſent nauſeam. *Erot.* Eſt aliquid quod dicis. verum audi me viciſſim: Cur non potius velles ut Danubius reddetur Lynceſtius fluvius, qui Clitorio quodammodo contrarius, cum largius fuerit hauſtus, teque innatando probe ingurgitaveris, perinde inebriat, atque ſi mera bibiſſes vina. *Pamp.* Bene mones: Hanc ſane fortunam & commoditatem ſuperiori etiam præponerem, ut quod alioquin zonæ gravi jactura fit, gratuito jam conſequi liceret, ut abunde reddere potus atque hilaris, cum gratis datur eſſe ac manere ebrium. *Erot.* Sed heu; quid futurum eſſet de miſeris tum tam multis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

multis œnopolis? *Pamp.* Cogitarent plerique de reſte, dira imprecarentur Danubio, expoſtularent de ingratitudine ejus, quod cum in hoc maximis impenſis jampridem eſſet partim ad mœnia proprius derivatus ab ipſis, ut civibus magis commodaret, vicinior decoraret ciuitatem, ac civitas viciſſim illum, jam tanquam malus factus vicinus, vicinos conaretur inopia perdere, ablata divendendi vini commoditate. *Erot.* Perge. *Pamp.* Tentarent rurſus late avertere.. Verum actum agerent belli homunciones iſti. Ceſſaret ſulphuratio, quieſceret pigmentatio, exularet omnis corruptio vini, ubi nullus eſſet vini uſus amplius. Non jam ultra diuturno moverenter ſervando, præter naturam cum vini ipſius, tum ſalutis ac ſanitatis cujuſque rationem, muſto fæces ex imo cado. Nemo vappam amplius biberet. Franconicum vinum deſineret tandem ſui putore ad pelvim nos toties provocare. Nataremus totos dies in vicino flumine. *Erotus.* Imo in vino potius imaginario. At verendum, ne dum hujuſmodi multiplex Charybdis vitetur, inciderent non pauci in Scyllam. *Pampirus.* Ænigma proponis; non ſatis aſſequor quid velis. *Erot.* Solvam. Dum zonæ conſulere, atque valetudini à malis vinis vulgo homi-

nes

nes ſtuderent, periculum eſſet, nec ſic in Danubio multi inebriarentur; ut dum infelicius artem affectarent natandi, perirent in iſtis ſuis deliciis atque compotationibus. *Pampirus.* Cum ante eſſent vinoſi ad labia uſque pleni aqua, qui poſſent ſuffocari, cum nihil in vas prorſus intret ad ſummum repletum? *Erot.* Nollem hujus rei ego facere periculum. Cæterum quod de vinis diſſeris, paſſim pene fit, ac ubique aſſiduæ hominum de ea re querelæ. *Pamp.* Expertus ego. *Erot.* Quod de aquarum natura atque ingenio narramus, quoniam votis, heu! nihil poteſt hoc malo ſæculo impetrari, ſupereſt, ut qui ſtrenue velit, hoc præſertim anno, natare in vino, menſiſque creber adeſſe non ſiccis, non aridis, quo id copioſus poſſit, ac minus periclitando mergatur cum infelici marſupio, in Pactolo natet neceſſe eſt, ita, ut ſubinde illinc onuſtus redeat aureis arenis. *Pamp.* Equidem neſcio de hoc natationis genere. Illud ſcio, ex fluviis iis, qui auriferi dicuntur, & Rhenum noſtrum nobilem eſſe, verum in eo totiens natans nihil auri repperi. Imo quodam tempore pene perdidiſſem in illo flumine, quod nullo auro, nec ipſis etiam Cleopatræ unionibus redimere atque recuperare potuiſſem. *Erotes.* Quid

iſtuc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

iſtuc? obſecro. *Pamp.* Vitam. *Erot.* Sane eſt ea res, ſi ſemel ſit amiſſa, irreparabilis. Libet rogando te prorſus hodie enecare. *Pamp.* Si eſt quod inquiras, præterea erit mihi quod reſpondeam ſemper. *Erot.* Memini legiſſe me apud Lucanum de quodam Phocenſi urinatore, natandi artifice admirabili, qui, cum lubitum eſſet, ingurgitaret ſe in ima aquarum, moxque rurſus ſurrigeretur in ſummas partes. *Pamp.* Fortaſſis cum Æſaco in mergum avem erat mutatus. Quid dices, Erotes, de Calapiſco Apulienſi, qui natandi artis præſtantia, quam à puero ſtatim perfecte didicerat, tantum non piſcis tandem factus erat? Siquidem multos ſæpe dieſque nocteſque (quod quidem ipſum vix credas) inter marina monſtra tuto illum verſari toties ſolitum meminit Volaterranus autor cum primis gravis, profunditates maris ſcrutantem. *Erot.* Hujuſmodi complura admiratione digna ferunt & de Glauco quodam, quem ob id quoque tandem ſtulta antiquitas pro deo marino coluit, quod animal prorſus ageret amphibion. *Pamp.* Sed mire deluſit is ſpectatores. *Erot.* Qui iſtuc? *Pamp.* In conſpectu hominum artis natatoriæ experientiam ubi aliquandiu variis geſtibus jactabunde oſtendiſſet perfectam, tandem

dem quo loco lubebat ſubmerſit ſeſe. ubi cum homines decepti illius ſolicite expectarent reditum, callidis furtim ſub undis ineſcator ſimplicium in locum pronatavit quendam ſcopulis obſcurum ac invium objectis. Atque inde rurſus egreſſus abſcondebat ſeſe per aliquot dies, tandem hominibus ita ſe reddens, ac ſi interea temporis in imis egeſſit aquis. *Erot.* Præſtigiatorem hominum! Siccine agebat? *Pamp.* Teſtantur rerum ſcriptores naturalium, eos ad natandum idoneos maxime ac præſtantiſſimos eſſe, qui quam minimum habeant aut nihil lienis, quique ſub piſcibus, certa quidem ſtatione, nati ſunt. *Erot.* Credis? *Pamp.* Cujuſmodi ſcriptis doctorum hominum clari præcipue eluxere & Scillis quidam Sicyonius urinator maximus, qui continuo natatu toties octoginta ſtadia perageret, & hoc quoque major Colan, cui propterea cognomen erat piſcis. *Erotes.* Quid audio? *Pamp.* Is ſumma etiam maris intemperie, non raro 500. ſtadia tranaſſe ſcribitur, adeo ut in medio pelago navigantibus occurreret ſubinde, ſic aquis adſuetus, ut ſine illis vivere quidem non potuiſſet. *Erot.* Monſtri ſimile. *Pamp.* At hic miſerrime poſtremo periit, in portu Meſſanæ, freti Sicilienſis. *Erot.* Ita

ne?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ne? *Pamp.* Cauſſa fati fuit aurea patera, quam rex Siculus, velut natatorii urinatoriique certaminis præmium, in profundum maris projici juſſerat, exhibito in hunc modum ſpectaculo effuſæ die ſolenni in littus hominum multitudini eximiæ: nam dum Colan arte fretus, heu! nimium ſua, poculo auferendo ſedulus incumbit inhiatque, creditur undarum vi longius in vicinas cœcaſque ejus portus latebras ac cavernas abreptus, ſicque errore actus, negato exitu, anima tandem præfocatus interiiſſe. *Erot.* Peſſime ſit iſti pateræ; mallem ſemper ex carcheſio bibere poculo, quam tanto vitæ diſcrimine aurum perſequi in undis. Cæterum, Pampire, quod de Liene & Piſcium ſigno modo dicebas, fortaſſis ſic ſe habet, quemadmodum legimus de iis, qui perniciſſimi ſunt curſus, quod vel ſub Delphini ſydere editi, vel ſplene ex parte carent natura. *Pamp.* Rem dicis. Cujus generis vel duos proferre libet, Philonidem Alexandri Magni curſorem, & Laſthenem Thebanum, qui ob incredibilem curſus celeritatem volare dicebantut, quod vel ipſum quoque antevertiſſent Hebrum. *Erot.* Audivi eſſe qui, quo diutiſſime ſub undis durare poſſent, vitro commode in hoc facto prægrandi ac capaci uterentur, in quod narium oriſque ſpiri-

ſpiritum effunderent, faciei circum preſſim alligatum. *Pampir.* Audio, ſed periculum eſt ingens à fractura. *Erot.* Illud obiter ſuccurrens jam ſcrupulum mihi injicit cogitanti, quomodo cum vaſculo concavo, cujus natura eſt ſurſum vergere, tollique ſemper, poſſint iſti ad fundum uſque demiti. *Pampir.* Dicuntur bolidem aut lapidem manibus ſecum ſumere, quo commodius ſubſidant; relinquere in profundo molem, cum ſurſum ſeſe tentant librare iterum. Novi hominem Tubingæ (erat is ſartor in proximo habitans vico) qui natandi dexteritate, præſtigioſaque (ita enim vocare libet) ſpiritus præter naturam hominis retinendi arte, in imos Necchari gurgites ſeſe dejiceret, duraretque diu. *Erot.* Quid illic? *Pamp.* Piſces quoſque optimos, velut delectu colligebat, neſcio qua magia deluſos ac circumventos etiam, tandem onuſtus præda longe inferiori loco emerſit. *Erot.* Quomodo portabat, ut natans nihil impediretur? *Pamp.* O bone, ne ſis ſolicitus; ore unum, manibus duos vel plures, minores inter digitos pedum, ac, ubi viſum erat, ſub brachiis aliquot. Non raro etiam crinibus complicatos ſcite capite ſublimes referre ſolebat. *Erot.* Et tamen poterat enatare, occupatis omnibus mem-

bris, impedito univerſo remigio? *Pamp.* Maxime: Artis eſt non poſtremæ, noſſe te è fundo tollere in altum rurſus; quemadmodum grues ſubvolaturæ prius puſillum procurrunt, mox quo majori impetu in volatum ſurſum conjiciantur, incurvatis genibus, ritu eorum, qui junctis pedibus proſilire parant, vel quemadmodum Vngari ſaltant aliquando, in ſublime ſeſe ferunt. *Erot.* Miras comparationes jungis. *Pampir.* Sed non diſcordes. Quin eos piſces, quos manibus geſtare ſolet, ita tenebat, ut in ſupernatando illis uteretur etiam pro remigii parte, commodum ex eo captans, unde alii ſentirent incommodum atque impedimentum. *Erotes.* Oportebat hominem ſplendidas ex hujuſmodi prædis divitias comportare. *Pamp.* Imo pauperior erat Iro, quod dicitur, & Leberide nudior quavis. *Erotes.* Miror. Cæterum arbitror hominem non perinde gratum fuiſſe piſcatoribus. *Pamp.* Gratum? quotiens illum cognoverant piſcibus in hunc modum inſidiari, ſagittis, fuſtibus, armis, lapidibuſque bonis excipere toties conabantur. verum illorum ſubodoratus machinationes, longe alio ſemper erepſit loco quam putaſſent. In piſcinis Abbatis, cum non ſemel eidem indulſiſſet venationi, acciderat, ut prehen-

ſus

ſus capite propemodum fuerit diminuendus. *Erot.* Nataſſet nihilominus deinde tantus artifex? Quam oportebat hujuſmodi induſtrium Colymbeten publico adeo conduci ſalario, ut hanc profiteretur artem, in commodum juventutis exercendæ. *Pamp.* Noverat is omnes leges, vitare ſapienter ac gnaviter cuncta aquarum pericula, quæ natantibus, ut diximus, non pauca occurrunt. Siquidem caute circumſpiciendum, nec ubi paluſtribus implicere herbis, ne impeditus vili iſti atque proverbiali algæ vitam des tuam. Saxo cœcove ligno imminens, aut ſublimius nata, ne impingas, aut certe quo levius accipiaris impingens in extantia etiam obſtacula, cave impetu cum undis allabaris, ſed nunc ſurſum luctando, nunc commode aquam calcando ſenſim adpropinqua. In vortice potiſſimum te ita compone, quemadmodum Galli utrinque zelotypia vehementi exaſperati, obverſis calcaribus* (quæ arma illis ſola pene natura dedit) inſultantes inter ſe mutuo congrediuntur. *Erot.* Neceſſe eſt Ichthyophagos in hac re eximios eſſe, cum ſolis pene veſcantur piſcibus. *Pamp.* Sane ſi Plinio vere ſcriptum eſt, natant hi hujus beneficio artis adeo perfecte, ut piſcium ritu in æquore verſantos, ipſos perſequantur celerrime ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

capiant. Proinde huic induſtriæ, olim quod vivere poterant ſoli pene acceptum referebant, cum nullæ adhuc eſſent naves. *Erot.* Credin? *Pamp.* Certe. Navem dicuntur primi excogitaſſe fabricaſſeque Argonautæ, adeoque Iaſon longiori primum navigaſſe fertur, ut teſtis eſt etiam Philoſtephanus. In Nilo autem ex papyro, ac arundinum ſingulis plerunque internodiis lintres confici ſolebant. *Erot.* Mirabile iſtuc. *Pamp.* In Anglico oceano ex circumſuto artificioſe corio, ſi ſcriptoribus credimus. *Erot.* Oportebat igitur hanc artem maxime tum in uſu fuiſſe atque pretio, cum navigia tam infirma, tamque non fidelia adhuc eſſent. *Pamp.* Scilicet, cum nec oneraria navis eſſet ulla, nec Myoparo, nec Celox, neque Lembus, *Erot.* Proinde conſtat mortales ex rudibus olim atque incultis huc ſenſim artium atque omnium rerum inventionis cognitioniſque ſolicita indagine deveniſſe. *Pampirus.* Vt non dies labatur unus, in quo non aliquid novi excogitetur. Natandi autem artem omnibus cum primis neceſſariam ſæculis, nemo neſcit eſſe vetuſtiſſimam, uti hac gratia tibi quoque, Erotes, commendatior eſſe merito debeat; quæ ſi hodie tam vulgo diſceretur, ut olim, quando Germani, ut nandi peritiſſimi, à ſcriptoribus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ribus, Pomponio Mela, Herodiano, ac Tacito eximie laudati ſunt, non perirent in aquis tot paſſim Germani etiam milites, quoties vel in fuga flumina obſtant, vel alioquin abſentibus navigiis, hoſtis eſt per aquas perſecutione premendus, vel caſu incidunt in alveos altiores. Siquidem qui probe inſtructus eſt in hac arte, non ſtatim lancea impeditur, aliiſque levioribus armis, neque veſte militari minus laxa & plicis ſinuoſa pluribus, certe aliquandiu natans. *Erot.* Fortaſſis. *Pamp.* Quam fortiter enatavit olim Horatius Cocles ex Tyberi, quo ſeſe una cum tota præcipitarat panoplia, quem hæc ars non ſine ſtupendo miraculo, cum corporis animique fortitudine conjuncta, patriæ incolumem ſervavit? *Erot.* Fata ſcilicet hominem ob ſingularem in patriam pietatem, ac immortale plane beneficium perire noluerunt. *Pamp.* Quam laudem illi etiam ſibi peperere apud omnem poſteritatem milites Romani, qui naves Pœnotum fugæ intentas, atque in altum ex littore feſtinantes, natandi confiſi ſcientiæ, lacertorumque adeo firmitati, natantes in portum retraxerunt? *Erot.* Inſigne narras factum. *Pamp.* Pergam: Quid item præſtitit Scævæ Romano nandi virtus? Nimirum ut tragula licet femur trajectus, ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

alias graviſſime ab hoſtibus Anglis tracta-tus, duabus etiam loricis gravatus, ex ma-ri Britannico fœliciter evadens enataret. quo quidem facto fortiſſime diu prælia-tus, Centuriatus conſecutus eſt honorem à Iulio Cæſare. *Erot.* Res eſt perquam laborioſa in iſtum certe modum natando elabi. *Pamp.* Vides? Hujuſmodi exempla complura enumerare poſſem, quibus tibi manifeſtius fieret, quid hæc ars utilitatis atque ſalutis hominibus adferre ſoleat. Verum ne nimis prolixa hæc reddatur di-ſputatio, pauciſſimis tibi exemplis rem proponere volui. Non enim dicam quid commodarit etiam Leandro, ut noctu to-ties per mare intermedium, tanquam ex uno mundo tranaret in alium, ad dulces ſubinde dilectæ Herûs complexus. *Erot.* Atqui iſte auſus repetitus triſtem tandem toties peperit fortunam infelici amori. *Pamp.* Ita tandem viſum Neptuno. Novi Turregi,qui ex turri VVellenbergo vulgo dicta, quæ medio ſtat Lymaco, ſontium carcer, ſeſe noctu, facto ex diſſectis lin-teaminibus velut fune, alte demiſerit in fluvium, ubi aut pereundem illi fuerat, aut certe expectanda dies, quæ hominem pro-ditum pœnæ tradiſſet capitali. At vero hujus beneficio artis tranavit alteram flu-minis partem, ac ſeſe in cœnobii vicini tuto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tuto conjecit aſylum. *Erot.* Ferunt lacum Tigurinum non raro totum congelari. *Pamp.* Vſque in ipſam civitatem, qua parte ex ſtagno fluentum ſolvitur. Brumali tempore, per medium lacum videres via tritiſſima plauſtra vehi ac revehi onuſta. *Erot.* Ita audio; verum non ubique ſemper me crederem temere bajulæ glaciei, hoc eſt, ſolo non ſatis ſolido ac firmo, ſed quod in Thracenſibus obſervatum eſt vulpibus, aure ad glaciem oppoſita gelu craſſitudinem conjectarem ubique. *Pampir.* Vbi tandem cœpit liquefieri in Ianuario glacies, atque in marginibus atteri, vento concitata univerſa moles, tot ſcilicet miliarium longitudine corpus integrum, inaudito atque horrendo ſimul movetur fragore nunc huc nunc illuc, diſſolvi cupiens atque frangi, id eſt, redire ſole coquente, tum tepidis ſolventibus ventis, in ſuum liquorem. Ibi non raro ſummam videres calamitatem. *Erot.* Dic, quæſo. *Pamp.* Qua parte admovetur glacies, quicquid invenerit obſtaculi, alte in margine illidit atque ſubruit, arbores, ſaxa, domus, ni accolæ prævenerint. *Erot.* Qui poſſunt? *Pamp.* Quum glacialis moles ædibus atque vicis imminet, late præcidunt vaſtam illam maſſam. Abjiciam quod perinde ſis admiraturus. Cum aliquando peregrinus,

qui votum ſuſceperat ad divam Virginem ut vocant, in eremo, duo neſcius milliaria magna per medium glacie concretum ſtagnum iter feciſſet, demiratus tantam planiciem, hoſpitem noctu interrogavit, de tranſiti nomine loci. Pandocheus re tandem intellecta, reſpondit illum ſuper lacum tranſiiſſe altitudinis 1000. ut minimum cubitorum. Tunc advena, qui prius ſine metu ignarus ſumma aquarum erat emenſus, tuto jam loco rei perculſus novitate, imaginationeque periculi pene exanimis, concidit, ita ut parum abfuerit, quin ſpiritum illic poſuiſſet. *Erot.* Demiror ita me Apollo bene amet; oportet denſam eſſe glaciem, quæ tantæ ferendæ moli par ſit. *Pamp.* Binos, ut plurimum, cubitos. *Erot.* Si eveniret, ut rupta teſta illa ac ſubſidente ex improviſo mergerere, putan artem te quoque in eo poſſe ſervare caſu? *Pamp.* Certe; niſi ſub tectum glaciei longius contingeret ferri, tum enim actum eſſet cum de arte tum vita. *Erot.* Prius circumirem quaſvis ambages, tutas modo, quam periculoſum ejuſmodi viæ brevioris compendium affectarem. Ignoſces iterum atque iterum ſi quid præterea te interrogavero abſurdi, quod adeo toties admiratus ſum. Qui fit, quod ligna prægrandia natent in ſublimi, lapis autem parvus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

parvus mox ſidat? *Pamp.* Hominem ſapientem! Lapillus quantumvis exiguus, reſpectu quantitatis ſuæ, gravior eſt, quam lignum quamvis magnum. In corporibus aliis levitatem reddit raritas, ſiccitas, poroſitas, quemadmodum & in pumice. In aliis gravitatem adfert eam, ut non poſſint ſupernatare, ſoliditas, humiditas, denſitas. Vnde fit, ut lignum etiam ligno ſit gravius, lapis lapide, metallum metallo? Ob non diſſimilem cauſſam poma vides natare, pira mergi. *Erot.* Naturalia nimirum ſunt hæc. *Pamp.* Sunt. *Erot.* Dic, obſecro, quomodo Delus inſula errabunde circumnataſſe ſcribitur, de qua Poëta.

Sacra mari colitur, medio gratiſſima tellus,
Nereidum matrique & Neptuno Ægeo.
Quam pius arcitenens ora, & littora circum
Errantem Mycone celſæ Gyaroque revinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos!

Pamp. Fabulam narras. *Erot.* Verum; ſed ejuſmodi fabulæ pleræque ſi recte inſpiciantur, non ſunt ocioſe inventæ, niſi falſum eſt, quod ſcribit Fulgentius Aphticanus, & Palæphatus autor Græcus. *Pamp.* Natabat quidem Inſula illa præter naturam, procurantibus Diis immortalibus, quibus nihil ſit impoſſibile. *Erotes.* Antequam domum redeamus, libet adhuc

Erotæ quiddam interrogare Pampirum. *Pamp.* Per me ſane licebit. *Erot.* Dic, obſecro, amice, quid fit cum illis infelicibus animulis, quas Charon, quæ ſolvendo naulo non ſunt, aut fluvium non dignatur tranſvehere infernalem, aut deniq; idem ille Portitor, de quo Seneca alibi:

Hunc ſervat amnem cultu & aſpectu horridus,
Pavidoſque manes ſqualidus geſtat ſenex, &c.

Pamp. Ex lintre projicit indignabunde in aquas. *Erot.* Tranant iſtæ nihilo minus hujus gnaræ artis? *Pamp.* Deum immortalem! quæ huic incidunt homini in mentem? Certum non habeo, nemo enim, quod ſciam, illinc rediit unquam, qui de omnibus retuliſſet. *Erot.* Hic demum, Pampire, parum tuo reſpondes nomini. An non redierunt ex infernis, Æneas, Sibylla, Orpheus, Theſeus, Hercules ipſe, ac denique Pollux cum fratre toties Caſtore? *Pamp.* Bene mones, nunc primum memini. *Erot.* Certe cum nuper obdormiiſſem in antro Patritii, inſomnio, neſcio ex quo genio, didici, eorum animas, qui hic probe hanc calluerunt natandi artem, quibuſque præterea datur, partim tranare, partim tipularum ritu ſummos leviter percurrere fluvios infernales.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

nales. *Pamp.* Quid? fuiſte ne in Hybernia? *Erot.* Non; ſed domi in lecto decumbens videbar mihi ſomniare in ſpecu iſto. *Pampirus.* Quid igitur de re illic cognita rogas? *Erot.* Cum quod ſæpiuſcule ſomniis nihil eſſe credendum audivi, tum quod ſuſpicabar te virum magicarum rerum etiam curioſum, certius aliquid habere. *Pamp.* Habere autem? *Erot.* Scilicet. *Pamp.* Atqui adeo ſum ſceleratæ intentus Magiæ, ut nemo unquam magis deteſtatus ſit iſtas præſtigioſas nænias. *Erot.* Mitte ſtomachum. *Pamp.* Mitto; ſimulque nunc ex te viciſſim cognoſcere aveo, manes cum ſint incorporei, eoque pedibus manibusque careant, quomodo vel natare, vel currere poſſint? *Erot.* Dabis igitur illos volare. *Pamp.* Nihilo magis. *Erot.* Quic ſic? *Pamp.* Quia quemadmodum ad natandum currendumque remigii vice, manus pedeſque requiruntur, ita ad volandum alæ. *Erot.* Quid ſi pennæ? *Pamp.* Odioſe, quaſi ex pennis non conſtent alæ. *Erot.* Dono, ac pergo: Verum heus tu prius, nondum modo ſolutus ſum. Ex pennis dicis alas conſtare numero plurativo. *Pamp.* Dico. *Erot.* Opinor igitur, te conſentiente, ex unica penna non poſſe confici alas, eoque unam pennam non poſſe volare, vel aliud quiddam ad volandum agitare. *Pamp.* Ni-

ligas. *Erot.* Proinde ſentis te propemodum ſiniſtre eſſe philoſophatum. Siquidem unicam pennam vidi non admodum pridem ſupra vetus, quod vocant, Collegium Ingolſtadii, præaltas dixerim vere atque regales ædes, volitare. *Pamp.* Dono. Sed anima ne unam quidem pennam habet. *Erot.* Quin & vento aliquando vehementius flante, papyrus è feneſtella rapta, tantum non ſubvolavit in cœlum. *Pamp.* Fortaſſis alas habuit. *Erot.* Qui potuiſſet? *Pamp.* Si forſan ex Plinio eſt decerptum folium, ubi de variis ſcribit avibus. *Erot.* Ridiculum hominem! Quinetiam nec ſtramina, neque pulveres alas vel pennas habent, & tamen turbine concitata quam violenter volant? *Pamp.* De corpuſculis inanimis dicis, quibus ſua levitas naturalis alarum vice eſt, ſicque moventur. *Erot:* Quid ſentis igitur de Atomis Platonicis ſemper obvolitantibus, cum nec corpus habeant neque pennas? *Pamp.* Corpus habent, ô bone. *Erot.* Qui iſtuc? cum corpus ſit quod & videtur & tangitur? Hi neque tangi, neque videri poſſunt, niſi tenuiter clarius ſplendeſcente ſole; obſcuriori luce omnino non. *Pamp.* Aſſentior, ac ut hujus ſemel diſputationis ſit finis, arbitror animam quodammodo ſimile quiddam eſſe cum Atomis. Invisibilis eſt no-

bis

bis atque intangibilis habitantibus in hac tenebricoſa vita. Poſt morten videri poteſt, tanquam in clara luce, aliis oculis, & tangi aliis manibus, niſi illud obſtrepit, quod apud inferos & Charontem nulla eſt lux. *Erot.* Pergis tu obſtrepere? quin tandem ſimpliciter mecum credis, animas qualecunque habere corpus, itaque poſſe eas apud inferos ſive natare, ſeu currere, ſive volare. *Pamp.* Vrges tu quidem hic negocium contra poëticos Theologos, cum anima ſit ſpiritus incorporeus. Cæterum, ut ſerio tandem dicam, quod ſentio, arbitror tecum, eorum animas, qui hic natandi artem noverunt, quemadmodum diximus de Tigurinis aliiſque, meliuſcule habituras apud inferos, neque ſane opus, ſi velint nummulum comparcere, Charontis opera. Vides igitur, Erotes, hanc artem non ſolum vivis, ſed & mortuis uſui eſſe? *Erot.* Rem dicis. Cæterum nunquam vidiſti figuris Virgilium noſtrum illuſtratum? *Pamp.* Vidi. Quid tum poſtea? *Erot.* In ſexto Æneidos libro, cum Æneas & Sibylla campum ingrederentur Elyſium, pictura illic oſtendit animas beatas in aëre volitare cum lagenis vini plenis, ac ſublimes bibere. Neque pictor mentitur. tu teſtis es. *Pampir.* O felices aves, & animas volucres, Bacchoque ſacras, quam

vellem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vellem in illum recipi aliquando beatorum cœtum. Sed jamdudum tempus nos hinc revocat. Tu Erotes, quæ de arte dicta ſunt natandi, fac diligenter obſerves, transferas in uſum præcepta. Et, ut hoc iterum atque iterum moneam, cave nimium aquæ cuilibet credas, ſubrepit aliquando, cum minime putaſſes, vitæ diſcrimen. Audiſti utilitatem hujus artis, ſi recte utaris. *Erot.* Probe omnia. Dices diſcipulum docilem, & ſedulum atque cautum. *Pamp.* Quod reliquum eſt igitur, demus operam omnem, ut tuto etiam in procelloſo hujus mundi pelago pernatemus ad portum exoptatum, ac patriam promiſſam. Occludamus aures ſedulo natantes, ne nos lethaliter permulceant nefariæ Sirenes, & mergant tandem. Moderemur vitæ navigium noſtræ longe à Charybdi & Scylla: precemur dominum, ut natantibus ac navigantibus ſemper præſto eſſe dignetur. Acceſſeras hodie, ut ſordes corporis ablueres, Erotes; nos religioſe hoc ſtudeamus, ut quoties animus eſt delictorum immunditie conſpurcatus, deſcendamus in natatoriam Siloen. Natemus in ea bona ſpe, ut puri ac vere loti ſubinde redeamus. Id fiet, ſi jugiter nataverimus in flumine lachrymarum noſtrarum, affectum animi pœnitentis teſtantium. Ri-

gemus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

gemus ſtratum noſtrum effuſim lachrymis, inque eo ſic natemus cum regio propheta David. *Erot.* Pie tu iſta, mi Pampire. *Pamp.* Quod ſi quædam verboſibus contulimus, incidimuſque in varias diſputationes, excuſabit nos locus amœniſſimus, dieſque pulcherrimus, jam & fluvius vitreo plane colore perſpicuus, dulci gratoque delabens murmure, poſtremo ipſa etiam diſputationis materia. Hæc ſunt ſcilicet, quæ colloquium diſtulerunt noſtrum. Sequere. *Erot.* Sequor. *Pamp.* Vt & intus domi madefiamus. *Erot.* Iſtud jamdudum deſidero.

FINIS DIALOGI.

COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

COMMENDATIO ARTIS NATANDI,

CORONIDIS VICE.

QVam præclara, quam item utilis & neceſſaria ſit natandi peritia, nemo facile dixerit. Teſtantur vero miſerabiles exitus eorum, qui undis pereire, qui ſi hujus artis gnari extitiſſent, vivi ad ſuos alarum remigio tranaſſent. Hylas Herculis puer, fruſtra jam à nautis vocatur, teſte Verg.8.Ecloga:

His adjungit Hylam, nautæ quo fonte relictum,
Clamaſſent, quum littus Hyla Hyla omne ſonaret.

Socii Æneæ, naufragio paſſo, omnes ſalvi ad littora veniſſent, ſi arte hac non deſtituti, fato potius interire debebant. vide Verg.1.& 6.Æneid.

Cernit ibi mœſtos, & mortis honore carentes,
Leucaſpim, & Lyciæ ductorem claſsis Orontem,
Quos ſimul à Troja ventoſa per æquora vectos
Obruit auſter aqua, involvens navemque viroſque.

Palinurus gubernator navis, ubi natando aliquandiu luctabatur in aquis, portui Velino vicinus ab incolis pro belua marina, horrendum, obrutus eſt. Verg. in 5.

O nimium cœlo & pelago confiſe ſereno.
Nudis in ignota Palinure jacebis arena.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Sic Miſenus Æneæ tubicen deturbatus in mari perit: Verg. 6.

Qui cum forte tamen &c.

Tyberinus rex, Tyberi ſubmerſus, enatando ſalutem quærere potuiſſet. Ovidius 4. Faſt.

Accipimus regnum poſt hunc. Tyberinus ab illo
Dicitur in Thuſco gurgite merſus aquæ.

Helle ut Colchos veheretur, ariete aurei velleris uſa, in Ponto perterrita decidens, arte natandi deſtituta, miſere perit. Vnde Helleſponto nomen indidit Ovidius in Epiſt.

Forſitan ad pontum mater pia venerat Helles,
Merſaque turbatis nata fleatur aquis.

Ovid. 4. Faſt.

Propertius lib. 2.

Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellem,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.

Icarus volans cereis pennis, in mare cadens enataſſet, ni ſimili ratione ſuæ ſtultitiæ & temeritatis pœnas luiſſet merito, Ovid. 1. Triſt.

Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icareis nomina fecit aquis.

Idem 8. Meta.

Leander ad Amaſiam ſuam Ero natans, tempeſtatibus par eſſe non poterat. Martial. lib. 1.

Quum peteret dulces audax Leandrus amores,
Et feſſus tumidis jam premeretur aquis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Sic miſer inſtantes affatus dicitur undas,
Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Ovid. in Epiſt. & Triſt.

Eupolis poëta naufragio non periiſſet, ſi hac arte noſtra ſuæ potuiſſet conſulere vitæ. Si neque Menander cum exiguo nataret imperite fluvio ſubmerſus fuiſſet.

Ovid. in Ibin.

Comicus ut liquidis periit dum nabat in undis.
Et tua ſic Stygius ſtrangulet ore liquor.

Sic neque Marullus poëta Pontani diſcipulus, qui in amne Cecina periit. Hi atque alii ſane multi ſatis arguunt, quantum ſpei, ſalutis & vitæ in peritia natandi ſita atque repoſita ſit. Ideo ſani ſaltem mente, oculis atque auribus ſeſe in hoc quoque ſtudio ſtrenue exerecant. Romani olim, atque adeo Græci, ſtudio liberali artium & literarum, natandi peritiam addidere non inferiorem; quibus nimirum & animo & corpori rectius conſulitur: Vnde etiam hodie etiamnum adagium ea de re jactatur in eos, qui ſupra modum indocti, nihil prorſus bonarum artium in pueritia didicerunt: μήτε νεῖν, μήτε γράμματα ἔγνω· ſic Delius quidam natator Græcus, Græcis proverbium dedit, quibus celebratur; ad quod Socrates in Platone alludit. Apud Romanos Hor. Cocles natator egregius fertur, qui inprimis ea natandi arte fretus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſolus hoſtium impetum ſuſtinit atque repreſſit, donec à tergo pons ſolveretur à ſociis, quo ſoluto armatus ſe in Tyberim demiſit,& ad ſuos tranavit. Sic Clœlia trajecto Tyberi Romam redit, ſeque exemit captivitate. Verg. lib. 8.

—— Pontem auderet quum vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.

Iuvenal. Sat. 6. plura. Atque hæc de Græcis & Romanis utcunque ſufficiant. Quid vero de Germanis noſtris dicamus? quos merito omnibus nationibus, ut virtute, fortitudine, animi moderatione, ita artium omnium ingenuarum, ſive liberalium ſive mœchanicarum, adde etiam ſtudio & peritia natandi, præferam; teſtantibus & Græcis & Latinis ſcriptoribus. Scribit Herodianus lib. 8. Hiſt. Germanos ſemper peritiſſimos fuiſſe ſtudio natandi, eoſque in fluviis tantummodo, quorum Germaniam refertam ſcribit, lavaſſe, ſeque ſubinde natando tradidiſſe fugæ. Idem Plutarchus de Cymbris ſcribit: Cymbros autem Germanos eſſe, nemo eſt qui dubitat. hos hodie vocamus Danos, Norvegioſque. Corn. Tacitus. lib. ſuo 20. ex profeſſo Germanos ad cœlum uſque tollens, ipſe homo Romanus ait, Germanos omnino fluminibus ſuetos. Idem & Cæſar lib. 6. Pomponius Mela lib. 3. Hyeme quoque flumina traje-

ciſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ciſſe natando Germanos ſolitos. Atque ea eſt illis naturalis & pene divinitus inſita notitia,qua,ut dixi, omnes ſuperant nationes. Non deſunt autores, qui rationes Aſtrologicas ejus rei conſtantiſſime producunt, ut apud Iulium Firmicum vides. Eam rationem & Beroaldus de Germanis confirmat. & Manilius lib. 4.

Vltima quos gemini producunt ſydera piſces,
His erit in pontum ſtudium, vitamque profundo, &c.

Hoc vero miraculi loco ponendum arbitror, quod de Germanis Ammianus Marcellinus ſcribit, fugatos Germanos in armis ſervato eodem ordine etiam fluvios tranaſſe maximos,nec unum ex ipſis fuiſſe deſideratum. Corn. Tacitus lib. 2. ſcribit Batavos Germaniæ populos, quos Hollandos vocamus,inſultaſſe aquis,artemque natandi hominibus primos oſtentaſſe atque edocuiſſe. Herodianus autor Græcus, ult. ſuo lib. ait, Solos Germanos auſos ſe ſimul & equos natandi peritos alveis concredere: vide Franciſcum Irenicum. Hæc in laudem Germanorum data opera omittere malui, ut habeant noſtri adoleſcentes patrum exempla, ut eo acrius veſtigiis inſiſtentes, ſimiles ſeſe effingerent, atque omnino conarentur ea exercitia poſteris tradere,quę per manus quaſi ipſi à majoribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

bus acceperint, niſi degenerare malint, atque omnino ignavia ſua virtutem patrum traducere atque obfuſcare, atque inde ſe nothos potius declarare, quam veros filios. Extat Epigramma Græcum incerti authoris, quomodo hujuſmodi degeneres veteres Germani, quos Græci communi vocabulo cum Gallis Celtas vocabat, probarint quod Ioannes Baptiſta Pius vertit in hunc modum.

Audaces rapido Celtæ nova pignora Rheno
Explorant. non hos genitrix prius ubere largo
Alma fovet, vitreas fluvii quam venit ad undas.
Lympha novum capit alta genus, quod remigis inſtar
Umbo regit, fluvidique effulcit corpus alumni:
Et fœtum ſic unda probat, lectumque jugalem
Damnat adulterii fœdo ſi decolor igne.
Poſt dubios genitrix caſus memor Ilithyiæ
Ancipitis, fulcit gelidis in fluctibus ortum:
Anxia diſpiciens cui mobilis annuat unda.

PHILIP-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

PHILIPPI MELANTHONIS,

LAVS FORMICÆ.

NEmo in hoc cœtu dixit unquam, quantum equidem judicare poſſum, cui perinde benevolentia veſtra, atque mihi opus eſſet, non modo quia hæc ætas mea ſingulari favore confirmanda, & adjuvanda eſt, ſed etiam quia argumentum adfero, quod etiamſi novitate placere poſſit, tamen ita eſt exile, ut nullam magnopere admirationem mereatur. Alii res geſtas clariſſimorum Imperatorem recitarunt, & tum honeſte facta ſummorum hominum, dicendo ornaverunt, tum aut populorum, aut Tyrannorum turpiter facta graviſſime vituperaverunt. Ego quoniam deerat eloquentia par tantis cauſis, infirmitate virium humilius argumentum quærere coactus ſum. Qua de re dum aliquot dies delibero, dumque reputo quas res exiguas laudaverint veteres ſcriptores, à * Luciano video muſcam,

* *Parvarum rerum illuſtres imagines.*

muſcam, à Virgilio apes mirifice ornatas eſſe. Cum igitur mihi honeſtum eſſe putarem, veterum exempla ſequi, formicas ſumpſi laudandas. Neque nullum operæ precium eſſe judico in tanta naturæ varietate hæc minuta animantia contemplari. Etenim non modo Ethnici ſcriptores dignam hanc materiam in qua elaborarent putaverunt, ſed etiam principes Chriſtianæ doctrinæ, mentione parvarum in natura rerum delectari videntur. Chriſtus jubet nos paſſeres intueri: Solomon præcipit non modo contemplari formicas, ſed etiam nos ad eas tanquam in ludum diſcendi cauſa mittit. Quid commemorem quam multa animantia Baſilius diligentiſſime deſcripſerit? & Baſilium ſecutus Ambroſius, eandem animantium hiſtoriam in enarratione operum ſex dierum pene ad verbum recenſet; docetque, in illis propoſita nobis eſſe à Deo, & tanquam picta plurimarum virtutum ſimulachra, quæ nos officii noſtri admonerent. Turpiſſimum eſt enim homini tam longe à ſua natura degenerare, ut à beſtiis etiam virtute ſuperetur.

Non igitur inutile videbatur, ingenia, moreſque, & totam quaſi *πολιτείαν* formimicarum deſcribere, quod inde plurima pulcherrimarum virtutum exempla, & vere, quod ajunt Græci, *μυρμήκια ἀγαθῶ.*

capere

capere liceat. Videte autem quantum mea me fefellerit opinio. Quod enim argumenti genus arbitrabar propter tenuitatem ſine magno negocio exponi & perpoliri poſſe, id in experiundo cognovi longe ſecus eſſe. Comperi enim non mediocris artificis eſſe, honore verborum res exiles ornare ac illuſtrare. Quanquam igitur ſentiebam me ſuſcepto oneri imparem fore, tamen quoniam non ad ingenii famam, ſed exercendi ſtyli cauſa ſuſceperam, deſiſtere nolui, ſed peregi fabulam quam inceperam. Quæſo igitur vos, ut pro humanitate veſtra, me benigne audiatis; quod ſi nulla alia res, tamen ſcholæ conſuetudo à vobis impetrare debet: &, ſi ſuam laudem honeſtus conatus meretur, non indigni favore judicandi ſumus honeſtiſſimo argumento ſuſcepto, etiamſi rei, quam inſtituimus, difficultate victi ſumus. * Sed ut Philoſophi in deſcriptione animantium, primum de cujuſque procreatione diſputant, ita & nobis formicarum ortus, inde uſque ab ovo, ut ajunt, repetendus erit. Verum hiſtoria formicarum longior Iliade futura ſit, ſi omnia commemorare velim: ſed hoc ad earum laudem magnopere pertinere exiſtimavimus, quod, cum tam multa divinitatis veſtigia

* *De ortu formicarum divino.*

veſtigia in eis extent, intelligi poſſit, eas non ſine certo Dei conſilio natas eſſe, multoque verius quam Poëticos heroas genus à Iove ſummo ducere, ut Poëta inquit. Quomodo enim in hac terrena natura futuri præſcientia ſine divina vi exiſtere poteſt? Non hanc tantam haberet hic vermiculus induſtriam, longe alienam à brutorum captu; nulla gregalium noticia, nulla mutua collocutio inter eas eſſet, nulla noſſent temporum diſcrimina, niſi mentem Deus indidiſſet tantarum rerum, tamque variarum capacem. Etenim ſapere, meminiſſe prȩterita, conſequentia cernere, futura prævidere, ne homines quidem, niſi divinitus commoti, excitatique, poſſunt.

Quis enim, quamvis ingenioſus, ſine Dei ope, varios motus ſtellarum, magnitudineſque, molem terræ, & alia multa deprehendiſſet? Multo minus igitur beſtiæ ratiocinari, & futura videre, & animadvertere præſentia, niſi Dei beneficio poſſunt. Neque enim hæc aliunde, quam à Deo in terrenam naturam propagantur. Habent igitur formicæ non dubium generis ſui authorem Deum, cujus rei id quoque ſignum eſſe intelligi poteſt: *Nam cum ſacræ literæ mittant nos ad formicas, tanquam ad Magiſtros, profecto

 ſigni-

* *Formicæ noſtri doctores.*

ſignificant, hoc conſilio à Deo fabrefactas, & his ingenii dotibus inſtructas eſſe, ut docere nos utilia poſſent. Vt enim nullus paterfamilias, ſi ſapiat, filium docendum tradit ei, cujus non probat eruditionem: ita credibile eſt, nec divinum ſpiritum nos ad hujuſmodi Magiſtros mittere, qui non doceant cœleſtia. Neceſſe eſt igitur eas artes, quas nobis iſtæ diſcendas proponunt, divinitus in ſenſibus ac natura formicarum ſcriptas atque ſculptas eſſe, vereque eſſe in eis, ut Poëta ait, partem aliquam divinæ mentis, & hauſtus æthereos. Dixi hactenus de formicarum ortu & nobilitate, quæ non parvam commendationem habet: Adfert enim nobilitas non modo in hominibus, ſed etiam pecudibus, quædam virtutis ſemina, quæ à parentum natura in poſteros propagantur. * Nunc de ingeniis ac moribus, deque omni vitæ conſuetudine illarum dicendum eſt. Atque hæc pars orationis, quid aliud habet, quam honeſtiſſimam quandam formam recte vivendi? Nemo Philoſophorum non tradidit bene vivendi præcepta. Sed hujus inſecti hiſtoria, quid ſit rectum, quid turpe, quid utile, quid non, quid deceat, melius Chryſippo & Crantore dicit. Quis non hæc ſingularis prudentiæ

* *Ingenium ac mores illarum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dentiæ diligentiæque indefeſſæ opera eſſe dicat? * Colligendi victus tempora intelligunt, proinde acervum frumenti in meſſe comportant, condunt, comparcuntque in hyemem. prævident enim hyeme in vacuis agris fruſtra ſe pabulum quæſituras eſſe. Onera morſu gerunt, longe majora, quam pro corporis portione ferre poſſe credibile ſit. Quædam grandiora protrudunt tota corporis mole obnixæ: ſemina priuſquam condant, arrodunt, ne rurſus exeant in fruges è terra; madefacta imbre, proferunt atque ſiccant. Nec noctu, plena luna vacuæ ſunt: Vſque adeo turpe ducunt feriari, ut nullum ſibi tempus idoneum labori perire ſinant. Interlunio ceſſant ab opere. Si, quæ in itinere ferendis granis gravatæ ſunt, gregales norunt, & quoniam ſæpe tanquam ex diverſis civitatibus in eadem via conveniunt, in unum aliquem locum omnes univerſum commeatum comportant, ibique ſua ſigna recognoſcunt; ibi velut exercitum recenſentes, agmina ſeparant, & ſuum cuique avehendum tradunt. Obviæ inter ſe quaſi colloquuntur, ac percontantur, donec agnoſcant ſingulæ ſuos cives.

Nulla tam ſapienter conſtituta civitas fuit unquam, quæ ad hanc formicarum po-

* *Colligendi victus tempora, & modus.*

litiam conferri poſſit. Nam cum nullum urbibus venenum nocentius ſit, quam ocium, videtis hanc peſtem procul ab hoc animalculo abeſſe. *Nunquam ardentiſſimi æſtus à labore abſterrent, non noctu vacuæ ſunt, quod tempus aliis animalibus natura ad quietem dedit. Non magnitudine itinerum, aut aſperitate viarum defatigari ſe patiuntur. Sed ſæpe ex longinquo frumentum convehendum eſt. Sæpe per confragoſa ſaxa, magna vi grana in adverſos montes protrudenda ſunt. Ita omnes difficultates, non virium magnitudo, non corporis moles, ſed animi robur, & induſtria ſuperat: ut adpareat, hic etiam verum eſſe id, quod eſt apud Hiſtoricum quendam: Nihil tam altum à natura conſtitutum eſſe, quo non poſſit virtus eniti. Non dubium eſt autem, quin, ut omnia ex ocio vitia naſcuntur, ita labor pleraſque pulcherrimas virtutes gignat. Proinde nec cęteræ virtutes deſunt huic generi. ¶ Quis enim non videt ſingularem juſtitiæ intellectum in eis eſſe ? qui certos dies conſtituunt recognoſcendis oneribus, ut cuique agmini ſuum tenere ſine injuria liceat. Facile eſt enim ab alieno abſtinere his, quibus in ſua virtute induſtriaque ſpes poſita eſt: ſed illi qui per luxum atque libidines ſua

effu-

* *Induſtria.* ¶ *Iuſtiitcia.*

effuderunt, poſtea rationem ineunt, quomodo de alieno heluentur. Hinc in civitatibus novæ tabulæ flagitatæ, bella civilia, & innumerabilia alia mala, quæ civium diſcordia parit, nata ſunt.

* Quid autem de parſimonia formicarum dicam, quæ in hoc genere maxime cernitur? Non enimt antum in præſens ſibi conſulunt, ſed comparcunt, & proſpiciunt ſibi in futurum: quæ virtus cum per ſeſe magna ſit, & mirabilis, tamen hoc etiam gratior eſſe debet omnibus, quod juſticiæ veluti cuſtos eſt. Neque enim tolerare infinitos illos ſumptus ſine alieno decoctores poſſunt: ſed longe digniſſima bono cive virtus eſt, in commune quærere, & communia bona ſumma diligentia augere. Quæ res enim alia omnibus civitatibus exitio eſt, quam quod privata bona, publicis utilitatibus plerique omnes anteferunt? Atqui ita ſentire nos oportuit, quoniam patriæ ſalute, noſtra ſalus continetur, & quoniam ipſi à patria in qua nati, educati, ad humanitatem & religionem inſtituti ſumus, cujus legibus vitam noſtram ac fortunas defendimus, tam multa beneficia accepimus, æquum eſſe, ut nos etiam, illius utilitates pro virili juvemus, imo quidquid aramus, quidquid

* *Perſimonia.*

ſerimus, quicquid metimus, ad patriæ utilitatem referendum eſſe exiſtimemus. Denique illius ſalutem, ac tranquillitatem antiquiorem dignitate ac ſalute noſtra, ducamus. Hanc virtutem licet in formicis cernere ad communem uſum adſiduas operas conferentibus. Videtis quam multarum virtutum exempla nobis formicæ proponant: ad quam imaginem ſi maximam hominum partem contuleris, quotuſquiſque erit his virtutibus præditus? Bona pars voluptatibus atque ocio dediti, nulla de re in omni vita ſunt ſoliciti, quam de convivio adparando, aut aliis ſimilibus voluptatibus comparandis. * Seneca ſcribit, Pacuvium quendam prætorem in Syria fuiſſe, qui quotidie ſplendide convivatus, cum ſe copioſo vino de die ingurgitaſſet, ſolitus ſit veſperi funus ſibi adparere, accerſere tibicines, qui funebres modos canerent, & hoc genus alia curare ad funeris ſpeciem repræſentandam. A cœna cum jam ſuſtinere ſe ebrius non poſſet, jubebat ſe lectulo impoſitum, tanquam funus inferri in cubiculum, & cantari funebres modos *βεβίωται βεβίωται*. Indicabat enim eum demum diem præclare ſe vixiſſe, quo ita eſſet convivatus: nec ducebat eſſe vitam adpellandam, cum non liceret

* *Seneca de quodam Pacuvio convivante.*

ret ejuſmodi voluptatibus perfrui. Quis non ſtatuat plus eſſe mentis formicæ, quam huic Pacuvio, qui vitam homini hanc unam ad rem, ad pecudum voluptates perfruendas, datam eſſe credidit? Et quamvis exemplum Pacuvii in funere faciendo non multi imitentur, dogma tamen hoc præclarum maxima pars hominum profitetur, qui nihil in omni vita dignum homine ſuſpiciunt ac gerunt, ſed in ocio, & inter pocula temulenti ætatem exigunt. Sed quoniam ſanorum hominum judicio, ventres iſti non homines, ſed verius monſtra hominum ſunt, deſino formicas cum his conferre, quos non modo formicarum exempla, ſed ne quidem publicæ leges ad ſanitatem revocare poſſunt. Nulla autem inter omnes laudes formicarum amplior eſſe mihi videtur, quam ea, quæ apud Solomonem eſt: Is enim inquit, formicas non modo ſtultos, ſed ſapientes anteire prudentia. Neque ego, niſi tam gravem authorem haberem, auderem hoc paradoxum inter doctiſſimos homines dicere. Sed quia formicarum laudes colligere inſtitui, non fuit hæc prætereunda, præſertim cum eſſet ampliſſima. Quid audio? omnibus Philoſophorum ſcholis, omnibus Rempubl. gubernatoribus, denique

* *Salomon.*

omnibus ſapientibus viris, formicæ præferuntur. Hoc plane eſt juxta proverbium. Formica camelus. Et cum non poſſim hoc loco omnes cauſas, cur ita ſcripſerit Solomon, recitare, ſunt enim multæ, quas ex ipſius Chriſtianæ doctrinæ fontibus longe repetere opporteret, tamen unam hanc commemorandam eſſe duxi.

Tanta deſidia eſt humani animi, ita penitus hæret in noſtris medullis voluptatum atque ocii amor, ut nulla tanta ſapientia ſit, quæ non voluptatum illecebris uinci, & expugnari poſſit, ut induſtriam, laboremque remittat. * Quod cum etiam Poëtæ animadvertiſſent, finxerunt Herculem tot domitorem monſtrorum, Omphales amore captum, muliebri veſte, in gynæcio tenentem colum. Atque hoc illi de ſummo viro fingebant, ut ſignificarent, nullam tantam eſſe vim animi, quæ non frangi ac debilitari blanditiis voluptatis poſſet. Compara vero mihi formicas ad hunc Herculem, aut ſi mavis ad Alexandrum; harum induſtriam ſedulitatemque nulla res unquam retardat. Illi ſcilicet heroes ſumma ſapientia ac fortitudine præditi, quam immutati ſunt, alter amore mulierculæ, alter etiam magis beluinis voluptatibus? Huc igitur

ſacræ

* *Animi humani deſidia in Hercule notata.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſacræ literæ ſapientes etiam viros accerſunt, & in hanc Academiam vocant, ut diſcant, non modo ſimilem in laboribus conſtantiam præſtandam eſſe, ſed etiam ut videant quanta ſit infirmitas humanorum animorum, qui tam facile defatigari ſe patiantur, ut formicæ etiam robore animi ſummis viris præſtent. Et has ideo intueri jubet, ut cum viderint tantam vim viliſſimæ beſtiolæ divinitus datam eſſe, petant & ipſi, expectentque à Deo ſimilem conſtantiam induſtriamque. Sed de hoc toto loco, alii rectius dicent.

* Vos autem optimi Commilitones, quoniam ita jubent ſacræ literæ, intuemini formicas, & cum aliarum virtutum exempla ab eis petite, tum inprimis earum ſedulitatem exprimere contendite. Etenim ſi vel nulla propoſita eſſent nobis laboris noſtri præmia, tamen quoniam Deus præcipit ut laboremus, parere illius voci debemus. Nunc autem, cum etiam tanta præmia propoſita ſint, quæ eſt amentia, tantarum rerum magnitudine non excitari, aut acui ad laborem? Nil ſine magno vita labore dedit mortalibus, inquit, Poëta. Proinde nolite putare, ſine magna animi contentione ulla vitæ præſidia comparare vos, aut retinere poſſe. Qua de re cum

* *Orationes virtutis & voluptatis ad Herculem.*

omnes omnium doctorum virorum libri pleni ſint,& referti hoc genere exhortationum,ego vobis,quoniam propter ætatem, vel ad monendos vos,vel ad cohortandos parum authoritatis habeo, recitabo vobis graviſſimum locum, qui extat in Xenophonte,quemque ſe Xenophon ex Prodici libro transſcripſiſſe fateatur. Sunt autem contrariæ orationes Virtutis & Voluptatis ad Herculem,deliberantem,utram vitæ viam ingrediatur, voluptatis ne, an virtutis ſequatur.ſic enim ait.

* Cum Hercules ex pueritia egreſſus, jamque prope pubertatem eſſet, qua ætate ſui compotes facti adoleſcentes,ſignificant utram viam, virtutis, an ignaviæ ingredi velint, exiit in ſolum locum, ſeditque tacitus,ſecum deliberans, utram viam iniret.Hic adparuerunt ei duæ mulierculæ majores humana ſpecie, quarum altera vultu modeſto & liberali erat, nullo peregrino cultu aut fuco ornata, ſed genuina bonitas formæ adparebat,in corpore mundicies,in oculis pudor,in inceſſu modeſtia, veſtem præterea candidam gerens. Altera erat habitior, & fucata, nam & robur, & candor, major erat nativo. Et incedebat ſupina, oculos late pandens, veſte induta, quæ

* *Orationes virtutis & voluptatis ad Herculem.*

quæ formam maxime commendabat, contemplans interim ſe, & circumſpectans, an alii ſe viderent, nonnunquam etiam umbram ſuam reſpiciens. Poſtquam autem propius ventum eſt, illa prior modeſte pergebat. * Hæc autem ut anteverteret, accurrit ad Herculem, ac inquit: Video te Hercules deliberare utram viam ad vitam agendam ingrediaris: Quod ſi me tibi adjunxeris, ducam te jucundiſſima & facillima via. Nulla res jucunda eſt, qua non potieris, & moleſtiam nullam perpetieris. Neque enim aut bella, aut alia gravia negocia curabis, ſed hoc unum cogitabis ac quæres, ubi aut cibum aut potum ſuaviorem invenias, aut quod delectet oculos, aut unde olfaciendo, aut tangendo aliquam voluptatem percipias, aut ubi amoribus perfruaris, aut quomodo molliſſime cubes, & quomodo hæc omnia ſine aliquo labore conſequaris. Etſi quis inciderit metus egeſtatis, non eſt quod timeas, me tibi aliquid laboris impoſituram eſſe, efficiam enim, ut fruaris his, quæ alieno labore parta ſunt in promptu. Nec ulla re abſtinebis, unde modo ſperes te aliquam voluptatem poſſe lucrifacere: Ego enim meis ſodalibus poteſtatem facio, ex omnibus rebus voluptates decerpendi. Hæc hercules audiens, inquit: Mulier, quod eſt tibi no-

men? Tum illa: Mei ſodales vocant me Fœlicitatem. Qui me aſpernantur, vocant me Ignaviam.

*Interea acceſſit & altera mulier, dixitque: Venio & ego ad te adoleſcens: Novi autem tum generoſos parentes tuos, & indolem educationemque tuam: Hæc mihi ſpem faciunt, fore, ut ſi me ſecutus fueris, magnas & honeſtas res geras, & me multo clariorem apud homines efficias. Nec longa te præfatione, quæ ad voluptatem fingi ſolet, morabor, ſed ſimpliciter id quod res eſt, vereque narrabo, quod Dii conſtiuerunt. Nulla vera bona, ſine labore curaque mortalibus Dii dederunt. Sed ſive Deos tibi vis eſſe propicios, placandi ſunt: ſive ab aliis diligi vis, beneficiis adjungendi ſunt: ſive honore adfici à civibus cupis, bene mereri te de patria oportet: ſive vis in admiratione eſſe apud omnes Græcos, bene factis id te conſequi oportet: ſive vis ut terra pariat tibi fruges, colenda eſt: ſive ex pecudibus diteſcere vis, paſcendæ ſunt. Sive bello opes tuas augere voles, ut ſocios in libertatem adſeras, & inimicos in ſervitutem redigas, belli artes diſcendæ ſunt ab his, qui eas norunt, & exercendæ, ut quomodo eis utendum ſit, ſcias. Si robur corporis vis confirmare, conſuefaciendum eſt, ut rationi obediat,

* *Virtus.*

diat, & exercendum magno labore ac ſudore. Quod cum dixiſſet virtus, interpellat eam ignavia, inquiens: Vides Hercules, quam aſperam & longam viam ad fœlicitatem hęc tibi mulier oſtendat, quo ego tibi compendiariam & planam viam monſtravi. Tum virtus: O miſera, dic nunquid habeas boni, & nunquid ſuave unquam cognoveris? quæ nullum laborem vis illorum conſequendorum cauſa ſuſcipere. Et ne quidem expectas naturale deſiderium ſuavium rerum, ſed antequam natura expetat eas, imples atque obruis te, edis priuſquam eſuris, bibis antequam ſitis, condimenta varia ad irritandam famem excogitas, vina precioſa, ut invites ſitim, comparas, in æſtate nivem quæris: Et tu ſuaviter dormias, non modo mollia ſtrata, ſed etiam lectos facis; ſomnum enim accerſis, non ut per laboris intervalla quieſcas, ſed inopia negocii. Sine pudore ac legum metu amori operam das, nocte abuteris, & optimam diei partem ſomno perdis. Et cum Deam te eſſe glorieris, ex Deorum numero ejecta es, aſpernantur te & honeſti homines. Neque unquam ſuaviſſimum carmen, tuas laudes audiviſti. Et pulcherrimum ſpectaculum nunquam vidiſti: Nullum enim unquam recte factum tuum ſpectaſti. Quis tibi improba credet? quis

legenti

legenti dabit aliquid? Quis ſanæ mentis in tuo choro eſſe velit? ubi juvenes imbecilli corpore ſunt, ſenes fatui, qui cum adoleſcentiam in ocio perdiderint, ſenectutem miſeram & calamitoſam agunt. Tunc & pudet anteactæ vitæ, & piget primum quærere neceſſaria ætati ſubſidia. Suavia in adoleſcentia ante tempus præcerpſerunt, laborem & ærumnas in eam ætatem diſtulerunt. Ego vero apud Deos verſor, & apud honeſtos homines. Nullum honeſtum facinus, neque Dii neque homines ſine me faciunt, ideoque me & Dii & homines honore adficiunt. Grata ſum opitulatrix artificum, fida cuſtos familiæ dominorum, benevola adjutrix ſervorum, jucunda comes laborum in pace, firma periculorum in bello auxiliatrix, optima amicitiæ ſocia. Et mei amici ſuaves voluptates ſine faſtidio percipiunt ex cibo & potu, expectant enim illorum naturale deſiderium. Somnus etiam ſuavior eis eſt, quam ocioſis, quem etiam cum opus eſt, ſine moleſtia abrumpunt, nec propter hunc, neceſſaria intermittunt. Et juvenes ſenum laudibus gaudent, & ſenes delectantur juvenum honoribus, & incredibili voluptate rerum à ſe geſtarum meminerunt. Et ſine difficultate præſentes labores conficiunt, per me Diis chari, chari amicis, chari patriæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

triæ. Et cum ex hac vita diſcedendum eſt, non obſcuri aut ignoti jacent, ſed laudes eorum perpetuo à poſteris prædicantur. Hæc tibi ô fili bonorum parentum Hercules continget,& veram fœlicitatem ſtabilemque ita conſequeris, ſi laborem non defugies.

Sic virtus apud Xenophontem concionatur, & ad labores ſuſcipiendos,non tantum Herculem, ſed omnes adoleſcentes, veriſſima graviſſimaque voce hortatur. Qua oportuit aures veſtras undique circumſonare, & inertes animos tanquam claſſico exuſcitari. Atque hanc ipſam virtutis orationem divinitus in formicis ſcriptam putate: quas quoties videbitis, veniat in mentem, hanc vobis imaginem, quæ vos ad laborem incitet, in terris à Deo propoſitam eſſe. Et ſicut comœdiæ exhibentur, ut in illis exemplis diſcamus, quid in vita deceat: Ita Deus in hac rerum natura varia ſpectacula fecit, quæ nos officii noſtri commonefacerent. Proinde cum formicas convehentes grana, condenteſque in commune ſpectabitis, exiſtimate hanc tanquam Dei vocem eſſe, quæ jubet ocium, nocentiſſimam peſtem fugere, & ſuſcipere honeſtos labores, quibus & nobis ea quæ in omni vita neceſſaria ſunt, comparemus, & ſocietatem communem ho-

minum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

minum juvemus. Quod ſi facietis, favebit veſtris illis laboribus Deus, & omnem vitæ curſum fortunabit. Contra, qui capti amore ocii voluptatumque, non volent formicam audire, atque imitari, ad quam à Deo tanquam ad magiſtros miſſi ſunt, hi ſciant ſe graviſſimas pœnas contemptæ magiſtræ, imo contempti cœleſtis mandati, daturos eſſe: odit enim ocium Deus, ideoque non unum calamitatis genus ex ocio naſcitur. Dixi.

FINIS.

M. ANTONII MAIORAGII LVTI ENCOMIVM.

PLVRIMIS in rebus imperitæ multitudinis & vulgarium hominum ignorantiam, ac mentis cœcitatem licet intueri, Quirites qui tam præcipiti ac temerario in rebus fere omnibus judicio utuntur, & cogitationes ſuas ita diſtrahi patiuntur, ut ea ſæpiſſime vituperent, quæ maxime laudanda eſſe videantur, contraque ſæpenumero mirifice probent, quæ plurimum eſſent improbanda. Quotus enim quiſque reperitur, qui ſaluberrimis potius quam jucundiſſimis cibis delectetur? aut qui malit cum abſtinentia ſanus eſſe, quam cum intemperantia ſemper ægrotare? Similis eſt etiam opinionum ratio: Trahitur ſua quiſque cogitatione, eaque laudat quæ putat eſſe magnifica, vituperatque contraria: ſed pauci admodum rerum naturas vere perſpiciunt, & ad id tantum omnes, quod in præſentia utile eſſe videtur, toto impetu rapiuntur, cætera, quæ ſunt à ſenſibus

remota, non ita diligenter conſiderant. Quamobrem cum falſis opinionibus tantopere fallantur homines, nulla repente ſpernenda eſt oratio, quæ vulgi ſit opinioni contraria: quamvis enim initio propter inſolentiam abſurda eſſe videatur, tamen exitu plerunque utiliſſimo atque jucundiſſimo concluditur. Sed vobis adhortatione mea nihil opus eſſe intelligo, quos jam erectos omnes, cum hilaritate quadam expectare video, quid hac nova atque admirabili cauſa, de Luto, hoc eſt, de re, quemadmodum fortaſſe vos exiſtimatis, tam humili atque abjecta, dicturus acceſſerim. Hoc enim ita natura comparatum eſt, ut inſignis ſemper novitas mortalium animos erigat, atque excitet: quæ ſi talis eſt, ut eos audita commovere poſſit, affectos aut ſumma jucunditate, aut ingenti triſtitia derelinquit. Ac mihi quidem, Quirites, hoc unum erit in hac oratione ſtudium, ut quæcunque dixero, non ſolum jucunda, ſed etiam admiranda vobis eſſe videantur. Quod ſi quis mihi Deus veſtram ad me audiendum benevolentiam conciliarit, efficiam profecto, ut intelligatis, nihil eſſe luto nobilius, nihil pretioſius, nihil utilius, nihil denique magis neceſſarium: modo quam opinionem jam veſtris mentibus comprehendiſtis, eam ſi

ratio

ratio convellet, ac labefactabit, ſi deni-que veritas extorquebit, libenti & æquo animo remittatis. Tunc certe illa præ-clara quorundam hominum ingenia, ne-gligentiæ nomine condemnanda eſſe ju-dicabitis, qui cum eloquentia ſua genus humanum ab hoc tanto errore liberare poſſent, ne rem adeo pretioſam & excel-lentem aſpernaretur, maluerunt in nugis quibuſdam puerilibus, & anilibus fabulis ocium ſuum fruſtra conſumere, dum alius quartanam febrim, alius calvitium, alius muſcam, alius item aliquid ridiculum lau-dat. Quin etiam noviſſime (ſi Diis pla-cet) inventus eſt, qui ſtultitiam & ſcara-bæum laudarit, & qui aſinam ad aſtra lau-dibus evehere conatus ſit. Quæ poſtea-quam in vulgus diſſeminata fuerunt enco-mia: Supereſt (inquit vir quidam è popu-lo) ut lutum etiam laudetur. Quam ego vocem cum audiviſſem, qui jam antea ſæ-pius luti virtutes animo reputaveram, ad-didiſſetque vir ille: Fortaſſe verius hoc poſſet, & magis jure laudari: ſtatim ho-minis ſolertiam exoſculatus ſum, & ejus ſententiam magnopere comprobavi. Quorſum enim quis ingenium, aut dicen-di facultatem oſtentet, ubi non opus eſſe videatur? Ibi ſunt eloquentiæ vires expro-mendæ, ubi vel innocentes ab iniqua cri-

mina-

minatione liberentur, vel ab hominum mentibus falſæ opiniones refellantur, quæ magnam humano generi perniciem atque ingentes calamitates apportare ſæpenumero ſolent, quemadmodum apud Platonem Socrates ſapientiſſime diſſerit. Quæ me ratio potiſſimum ad hanc cauſam impulit, ut hæc quæ jam penitus inſedit & inveteravit in animis hominum opinio, ſi fieri poteſt, evellatur, & jam tandem intelligant homines, quod in omni ſeculorum memoria ſemper antea latuit, nihil univerſo cœli ambitu contineri, quod utilitate atque excellentia Lutum antecedat. Quod quamvis incredibile primo aſpectu eſſe videatur, tamen cum rationes meas diligentius audieritis, vos ipſi ſponte veſtra veriſſimum eſſe non dubitabitis confiteri. Primum igitur mihi videtur de nobili atque excelſo Luti genere, deinde de præſtantia, tandem de utilitate eſſe dicendum. Genus eſt enim ejuſmodi, quod antiquitate ac nobilitate, quæcunque in terris gignuntur, antecellit. In quo declarando, ſi fortaſſe paulo altius exorſus, repetere memoriam antiquitatis viſus fuero, ignoſcite, Quirites; hoc enim ipſius rei magnitudo poſtulat, quæ me breviter orationem perſtringere non ſinit. Antequam cœli rotunda converſio fieret, cum nondum eſſet humanum genus procreatum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

creatum, neque ulla adhuc in terris eſſent animantia, non herbæ, non frutices, non arbores, nulla denique rerum earum, quæ è terra naſcuntur, ſpecies ac forma.

** Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,*
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles.

Horum quatuor omnium gignentium corporum, terræ, aquæ, aëris, ignis, natura permixta erat, neque unum ab altero dignoſci poterat, cum tamen maxima eſſet inter eos diſcordia. Siquidem

Ibid. *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.*
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Donec ratio Dei ſempiterna propter incredibilem ſapientiam ſuam agnovit, quam excellentium rerum eſſet in eis naturis materia, ſi probus artifex acceſſiſſet. Itaque cum ipſe Deus probitate maxime præſtaret, naturas illas, non tranquillas & quietas, ſed immoderate agitatas & fluitantes aſſumpſit, eaſque ex inordinatis in ordinem adduxit. Hoc enim judicabat eſſe præſtantius. Et ſuperiorem igni locum tribuit, quia leviſſimum omnium eſſe videbat: proximum aëri, tertium aquæ, quartum & ultimum in medio totius mundi, quo gravia omnia deferrentur, terrę tradidit, ubi cujuſque generis, vel inanimi, vel animan-

* *Ovid. 1. Metamor.*

animantis, vel muti, vel loquentis origo eſt, ubi vita, ubi interitus, ubi ex alio in illud aſſidua viciſſitudo atque mutatio: Nam ex terra gignuntur omnia, rurſuſque in eam omnia recidunt: atque ita frequenter immutata, corrupta, deinde rurſus generata, viciſſitudine quadam æternitatem obtinent. Hic mihi forte ſucclamet aliquis, cui hæc, quæ commemoro, diphthera, quod ajunt, Saturnique rebus antiquiora videantur? Quid iſta tam obſoleta, tam rancida proſunt ad Luti tui laudes, & genus celebrandum? Iam profecto intelligetis, Quirites, non hæc ſine maxima cauſa me tam ex alto repetiiſſe. Hanc enim quam nos terram, & rerum omnium parentem ac procreatricem appellamus, cui locus omnium honorificentiſſimus in medio datus eſt: quæ nos gignit, alit ac ſuſtinet, quæ denique non tantum hominum, ſed etiam immortalium Deorum domicilium gratiſſimum eſt: nihil aliud quam Lutum, & totius cœli reliquorumque omnium elementorum purgamentum eſſe, perſpicuum eſt. Nam cum conſtituiſſet Deus, bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiſcere, quoad natura paretur, in medio totius, locum præſtantiſſimum, ubi generatio fieret, elegit, quo facil & cœlum ipſum, & reliquæ naturæ di-

mittere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

mittere ſemina ſua detractioneſque confecti & conſumpti alimenti poſſent. Hac de cauſa factum eſt, ut quæcunquue gravia ſunt & ſolida, naturæ ipſius inſtinctu atque impetu medium mundi locum petant, neque quicquam omnino gravitate præditum poteſt alibi, quam in medio, conſiſtere: quoniam ſemper ex vi naturæ premitur, quod gtave eſt: quis autem eſt, qui neſciat, Lutum eſſe graviſſimum, ideoque neceſſario fieri, ut in medio mundi loco perpetuo conſiſtat? Quod cum terræ proprium ſit, vere concludi poteſt, terram nihil aliud eſſe, quam Lutum. Ignoſcite, Quirites, ſi vobis nimium videor agere philoſophice. Nam in hoc uno rei cardo vertitur, unde Lutum generari putemus, aut quid ipſum eſſe ſtatuamus: quod ſi recte ſemel intellectum fuerit, cætera deinde omnia facillima videbuntur. Sed ad rem redeamus. Cum igitur in loco omnium maxime honorifico, hoc eſt, ἐν τῷ μέσῳ, ut ajunt Philoſophi, terra ſit, cætera autem omnia circumſiſtant, & eam quaſi cuſtodiæ gratia muniant, & quicquid habent purgamenti atque fæcis, in eam procreandi cauſa demittant: nemini dubium eſſe poteſt, quin aut tota, aut ſaltem maxima ex parte terra reliquorum corporum purgamentum atque Lutum ſit .Sed ne fortaſſe

nobis

nobis idem quod Sophiſtis accidat, qui ſolent ex iis, quæ probabilia videntur, neque ſunt, argumenta ſua concludere: quærenda eſt ex graviſſimis auctoribus Luti definitio, quæ nihil aliud eſt, quam involutæ rei, atque obſcuræ naturæ explicatio. Sic enim facile, quod quærimus, Luti genus inveniemus. Quis autem poſt homines natos fuit unquam Platone gravior? Quis intelligentior? Quis ſapientior? Equidem huius ego ſingulis verbis, centum aliorum teſtimonia digne comparari poſſe, non exiſtimo. Is igitur optimus definiendi magiſter in Theæteto, ſub ejus perſona, quem ſemper graviſſimum introducit, hoc eſt, Socratis, Lutum ita definivit: γῆ ὑγρῷ φυραθεῖσα πηλὸς ἂρ ἐστί. *Lutum, inquit, terra eſt humore permiſta. Iam igitur Luti præclariſſimum genus invenimus, hoc eſt, terram & humorem: ut humor Luti pater ſit, terra vero mater. Quis autem adeo rerum ignorans eſt, quis tam imperitus, tam rudis, quin intelligat, quanta terræ ſit & humoris excellentia? Nam humor ille eſt, quem poſt conditum orbem DEVS Opt. Max. rerum omnium generationi præfecit, ut ſine ejus auctoritate nihil quicquam omnino gigneretur: quem non tantum iis, quæ è terra naſcuntur, ſed etiam ſempiter-

* *Ariſtot. 4. Top. c. 5.*

piternis illis ignibus, quæ ſidera vocamus, alimentum præſtare voluit. Perſuaſum enim habent plerique Philoſophi, Solem, Lunum, cæteraſque Stellas omnes humore paſci. Quid, quod tanta eſt humoris excellentia, ut per eum ſolum Dei cultores jurare ſoleant, & eum iratum habere magnopere caveant? quippe qui præclare intelligant, quanta ſit ejus apud ſummum Deum auctoritas, cui tanta ſit adminiſtratio demandata, ut omnia gignat, atque nutriat. Hac de cauſa ſapientiſſimus vir Thales Mileſius, humorem rerum omnium parentem eſſe pronunciavit. Quid autem de terra dicam? quam non tantum hominum, ſed etiam Deorum matrem eſſe dicunt. Itaque plurima telluri apud ſapientes illos veteres dicata fuiſſe templa legimus, eamque inter ſummos Deos fuiſſe cultam & honoratam. Sed mihi nequaquam omnes humoris & terræ laudes commemorandæ ſunt, quæ ſunt prorſus innumerabiles atque infinitæ, neque vobis, ut opinor, ignotæ. Satis eſt, hoc tempore docuiſſe, natum eſſe lutum ab iis parentibus, qui omnium præſtantiſſimi atque excellentiſſimi eſſe videantur. Hoc ſe genere, hoc ſanguine procreatum eſſe lutum gloriatur. Nunc ejus etiam præſtantiam atque excellentiam videamus. Quæ tanta

eſt, ut non modo parentibus ſuis, humori ac terræ, non cedat: ſed eos etiam longo intervallo ſuperet. Quamvis enim, ut jam antea diximus, humor generationi præſit, & ſine ejus auctoritate nihil gignatur: tamen nihil ei ſua poteſtas proderit, niſi terræ commixtus locum procreet, unde poſtea naſcantur omnia. Quis enim non intelligit, nihil inveniri poſſe, quod non ex luto generetur? Deme lutum ex hac admirabili mundi machina, non jam erit id, quod proverbio dicitur, ver ex anno tollere, ſed idem, quod ſolem extinguere, aut Deos è cœlo diripere. Quid enim fiet? Quid naſcetur? quid procreabitur? quis non omnia videt ſtatim interitura? Nam unde genus hominum? unde tot animantium terreſtrium, aquatilium, volucrium genera? unde tot arborum formæ? tot herbarum ſpecies? tam varii flores? tot jucundi fructus? tot frumenta? An non omnia primo vitam, deinde etiam vivendi facultatem Luto acceptam ferunt? Nam ſi tandem omnia, quemadmodum Philoſophi docent, in idem abeunt, ex quo prius conſtituta fuerant, & quotidie videmus, quicquid interit, in lutum converti: profecto lutum rerum omnium principium eſſe neceſſe eſt; de quo ſane, niſi plane in Phyſicis (ut ait Cicero *) plumbei ſumus, dubi-

* *Tuſc. Quæſt. lib. 1.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dubitare non poſſumus. Quis enim neſcit illud in ſcholis ab omnibus Philoſophis tantopere jactatum, & celebratum theorema, quod ab Ariſtotele * ſummo naturæ interprete ſumpſerunt, Vniuſcujuſque rei interitum atque corruptelam, alterius eſſe ortum ac generationem? Atque in hoc quidem, cum in aliis pleriſque rebus mirandum in modum diſſentiant, & pene inter ſe digladientur Philoſophi, mirum quam conveniant, ut nullus unquam aliter ſenſiſſe videatur. Omnem autem alicujus rei corruptionem à nobis Lutum appellari, nemo eſt, quin intelligat: ex quo cum omnia gigni Philoſophi dicant, idem eſt, ac ſi clariſſima voce prædicarent, rerum omnium parentem eſſe Lutum. Quid ad hæc contra dici poteſt? Non nos contortis fallaciter argumentis, aut falſis concluſionibus, hæc tam vera colligimus: ſed ab ipſa natura rationes noſtras accipimus: ipſa nobis hæc argumenta ſuppeditat: ipſa nobis manus injicit, & paulum conſiſtere jubet, atque hæc diligentius explanare: cupit hunc errorem ex hominum mentibus radicitus evellere, cupit eximias Luti virtutes omnibus notas ac planas fieri: ut tandem aliquando deſinant homines ei maledicere, parentemque rerum omnium

* *Lib. 1. de ortu & int. Contex. 17.*

& auctorem ſuſpiciant, ac revereantur. Quemadmodum igitur figulus ex argilla vaſa ſua format & effingit: ita natura illa melior, quem Deum vocamus, ad omnium rerum creationem luto ſemper utitur. Itaque vir optimus ac ſanctiſſimus Agapetus, ad Iuſtinianum Imperatorem ſcribens, admonet, ut ne quis majorum nobilitate glorietur, quoniam nulla eſt in ortu differentia: Omnes enim, inquit tam qui Reges ſunt & Imperatores, quam qui humili & obſcuro loco nati ſunt, eundem primum parentem, Lutum habent. Sed quid multorum teſtimoniis opus eſt, cum nobis ipſa veritas ſacris in Literis *Gen.* 2. aperte dicat, & clara voce teſtetur, ex luto fuiſſe homines primo conformatos? Quod ideo de hominibus potiſſimum ſcriptum eſt, non quod ipſi ſoli ſint ex luto procreati, ſed ne quiſquam parentem ſuum poſſet ignorare. Quod etiam Homerus, omnis philoſophiæ pater, intellexiſſe mihi videtur, graviſſimus & ſapientiſſimus auctor, à quo, ceu fonte perenni, quicquid in omni doctrina eximium eſt, emanavit, qui cum in Iliade ſua *lib.* 7. Menelaum Græcorum ignaviam increpantem refert, quod cum Hectore ſingulos ad certamen provocante nemo congredi auderet, his verbis uſus eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε. Optat enim ut intereant, atque ideo precatur, ut in humorem & terram convertantur, hoc eſt, in idem diſſolvantur, ex quo prius conſtituti fuerant. Sic enim acutiſſimus Philoſophus Alexander Aphrodiſęus. * Homeri ſententiam interpretatur: Ex terra (inquit) & humore gignuntur omnia, & in terram atque humorem omnia diſſolvuntur. Quod etiam ſenſit Epicharmus Siculus (a), cum dixit: ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω. Denique etiam Ariſtoteles in Rhet. indicat,; olim eos, qui ſervos ſe profiteri vellent, terram & aquam domino tradere ſolitos, tanquam omnium rerum jure ſeſe abdicantes.

Quæ cum ita ſint, jam profecto, Quirites, perſpicuum eſt, quam magnus exornandi Luti campus nobis apertus ſit, quam ample, quam graviter, quam copioſe luti laudes exequi poſſimus. Cum enim, ut omnes eruditi cenſent, ex terra atque humore, quicquid eſt ubique pretioſum, quicquid eximium, quicquid utile generetur, cumque (quod caput eſt) etiam nos ipſi, cum cæteris animantibus, ex eadem terra

* *Lib. 2. Probl. 7.*

(a) *Plutarch. in Conſol. ad Appell. lib. 2. citante Eraſmo in Adagiis: Aqua & terra reddamini.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

atque humore fingamur, terra vero humore permiſta lutum ſit, ut ex Platonis auctoritate paulo ante demonſtravimus: quod ingenium inveniri tam ſublime poteſt, quæ lingua tam volubilis, quæ dicendi copia tam præcellens, quæ minimam earum laudum partem, quibus lutum digniſſimum eſt, recenſere commemorando poſſit? Etenim, ſi magnum quiddam aſſecuti videntur ii, qui rem aliquam pretioſam, ut argentum, aut aurum, aut aliquid ejuſmodi ſatis egregie laudarint, ſi difficillimum eſſe fatentur omnes, oratione res honeſtas atque laudabiles poſſe vincere; quid tandem in Luto laudando? quod unum omnia complexum eſt, quanta difficultas exiſtimanda eſt? Si quis enim ejus præſtantiam animo diligentiſſime volvat, is nimirum intelliget, majus eſſe quiddam, non modo quam homines opinentur, ſed etiam quam cujuſquam eloquentia capere poſſit, perfecte Lutum exornare velle, tantoque eſſe difficilius, idem recte laudare, quanto rebus omnibus pretioſis & præſtantibus antecellit. Hic non Iſocratis jucunditate, non Lyſiæ ſubtilitate, non Hyperidis acumine, non Æſchinis ſonitu, non Demoſthenis vi, ſed divina quadam potius opus eſſet eloquentia, quæ nunquam antehac audita, nunquam nota, nunquam ex-

cogitata fuiſſet. Non enim hac in oratione ſic nobis agendum, ut in reliquis exornationibus agi ſolet: majori quadam ingenii ſublimitate, uberiore dicendi facultate, graviori modo utendum eſt. Solent enim reliquis in rebus exornandis Oratores ſemper aliquam adhibere contentionem atque comparationem, ut rem eam, quam laudant, altera, quæ tamen egregia ſit, longe præſtantiorem eſſe demonſtrent: qua rerum inter ſe collatione plurimum florere atque eniteſcere ſolet oratio. Sed quid eſt ex omnibus rebus, quæ cœlo continentur, tam eximium, tam excellens, tam rarum, quod ſi luto comparetur, non ſtatim viliſſimum atque abjectiſſimum eſſe videatur? Ponite ante oculos quidquid ubique pretioſum eſt, ponite argentum, gemmas, margaritas: Quid? an non in mentem vobis venit, unde hæc omnia nata ſint? Nonne paulo ante docuimus, ex luto, quæcunque in terris naſcuntur, omnia procreari? Hæc omnia, quæ tantopere mirantur homines, quæ magis, quam propriam vitam amant, quæ diligentiſſime cuſtodiunt, pecunias, theſauros, divitias, facultates, qui recte reputat, Lutum plane eſſe intelligit. Quam igitur abſurdum fuerit, ſi quis unum aliquem terræ fructum è luto natum velit ipſi rerum omnium pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

renti Luto comparare ? Proh Deum atque hominum fidem ! quis adhuc de Luti præſtantia dubitare poteſt ? quis non illud ad aſtra tollat? quis non Divinis laudibus efferat? cum intelligat, è luto tot egregios viros, tot Reges & Imperatores, tot ingenia præſtantiſſima, tot ſapientes, tot Philoſophos eſſe profectos. Quid ? an non tot egregiæ ſubſtructiones, tot oppida clariſſima, tot nobiliſſimæ civitates, jacerent prorſus omnes, neque earum extarent veſtigia, niſi lutum prius extitiſſet. Quid, ut minima commemorem, tot herbarum genera, depellendis corporum morbis utiliſſima ? quid frumenta ? quid glandiferas, ac fructuoſas arbores ? an non in lucem omnes lutum edit ? Quot animantium genera? quam pulchra? quam varia? quæ naturæ totius varietas ? quot hominum ſpecies ? Hæc omnia Lutum edit, fovet, exhilarat. O mortalium genus ingratiſſimum! O deteſtabilem perfidiam! O mentem penitus execrandam ! Ergo quod te procreat, quod nutrit, quod educat, quod omnem jucunditatem affert, id tu negligis ? conculcas ? aſpernaris ? Sine quo ne unum quidem diem vitam agere potes, id à te non aliter atque rem abjectiſſimam rejicis ? Quod tibi lucis hujus atque vitæ cauſa eſt, id apud te commorari non ſinis?

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Quod omne tibi commodum, omnem voluptatem præſtat, id abigis, expellis, exterminas? Proh Dii immortales! non intelligitis, homines, cum lutum contemnitis, vos quidquid in terris bonum eſt contemnere? non intelligitis, parentem veſtrum vos negligere, cum lutum negligitis? non venit in mentem, quæ veſtra fuerit creatio? unde nati ſitis? ex qua materia conditi? Formavit, inquit Moſes, *Gen.* 2. Deus hominem ex limo terræ. Vide quanto ſit te Lutum præſtantius, quanto ipſe luto ſis inferior. Quid ſupra lutum criſtas tollis? quid exeris cornua? quid ſuperbis? Ex limo terræ creatus es. Ecquid hoc intelligis? ecquid conſideras? ecquid genitorem tuum agnoſcis? Quid aliud eſt, ex limo terræ, quam ex purgamento luti, cum initio docuerimus, terram ipſam eſſe Lutum? Iam tuum, homo ſuperbiſſime, parentem agnoſce: non aſpernare, cujus ex genere prognatus es: reverere, quod tibi vivendi cauſa fuit. Si te ipſum aliquid exiſtimas, ſi rerum generationem honeſtam eſſe tibi perſuades, ſi quid in orbe terrarum utile atque honeſtum eſſe credis, cur non id utiliſſimum & honeſtiſſimum eſſe, à quo nata ſint omnia, confiteris? Nati ſunt homines è luto, natæ pecudes, natæ arbores, nata frumenta, natum denique

 quic-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quicquid in terris invenitur. Et quiſquam dubitabit id eſſe pretioſiſſimum dicere, à quo ſunt omnia quæ pretioſa ſunt? De luto ſumus, in luto vivimus, à luto paſcimur, in lutum convertemur. Itaque nihil à ſcarabeis in hac parte differimus, & tamen excellentiam Luti non agnoſcimus, imo tanquam rem immundiſſimam repudiamus. Cur? quia falſa trahimur opinione, neque recta animi ratione res definimus. At cæteras res amplectimur: aurum, veſtes, frumenta, pecunias, & id genus cætera, magna cum diligentia conſervamus: qua de cauſa? Quia præſentem vidimus utilitatem: ſed unde ſint hæc omnia, quæ tantopere diligimus, nemo conſiderat. Quid illud eſt, quod in arca centum clavibus clauſum tam accurate ſervas? Lutum. Quid eſt, quod in horreis tuis ſtudioſiſſime congregas? Lutum. Quid in apothecis & doliis tam cupide cuſtodis? Lutum. In ſumma quicquid amas, quicquid amplecteris, quicquid obſervas, quo factus es, quo veſtiris, quo paſceris, lutum eſt. I nunc & illud improba, quo carere nullo modo poſſis, niſi plane velis ex hac vita demigrare. Nam in te quidem nihil eſt luto præſtantius, præter animum generi humano Deorum munere datum: qui ſi bonus fuerit, atque omni virtutum genere cumulatus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tus, non dubium, quin divinus ſit & felix ac beatus; ſin autem malus & ſceleribus imbutus, non ſolum luto eſt inferior, ſed etiam rerum infimarum omnium viliſſimus & abjectiſſimus. Reliqua omnia mutantur, & viciſſitudine quadam oriuntur & intereunt, eamque mutationem & viciſſitudinem omnem lutum efficit; quod & Philoſophorum auctoritate, & Phyſica ratione & Divinæ etiam Scripturæ teſtimonio facile comprobatur. Quare jam profecto videtis, Quirites, quem mihi aditum ad Luti laudes patefecerim, quam patentem campum habeam, in quo plurimum exultare poſſit oratio. Sed mihi ſigillatim omnia complecti, nec animus eſt, nec, ſi eſſet, ego par eſſem oneri ſuſtinendo. Nam ſi quis perfecte lutum exornare voluerit, eum per ſingula, quæ in orbe terrarum laudabilia reperiuntur, ire neceſſe eſt: quam rem, quis, niſi plane ſit inſanus, præſtare ſe poſſe commode ſperet? Itaque licet ea, quæ luto conſtant, maxima laude digna eſſe videantur: tamen ne nimium longa ſumatur oratio, prætermittere omnia conſtitui. Sed mehercle certo ſcio, vos intelligere, Quirites, quantum ex luti laudibus abſciderim. Poſſem enim argentum & aurum celebrare, poſſem uniones, gemnas, quicquid ubique putatur eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

pretioſum, poſſem ipſos homines, omne genus animantium, poſſem herbas, ſegetes, arbores, omnia denique poſſem in encomio luti nominare: cum omnia, quemadmodum antea diximus, ex eo promanarint: ſed me reprimam, malo enim ut veram aliquam luti laudem à me deſideretis, quàm falſam, afflictam eſſe exiſtimetis. Quare lutum ipſum per ſe ſolum conſideremus, cujus tam eximia virtus eſt, ut Deum etiam immortalem ad ſeſe plurimum amandum alliciat. Sed ne fortaſſe veſtrum aliquis hoc eſſe maledictum aut convitium in Deum arbitretur, quod ab eo lutum vehementer amari dixerim: ejus opinioni mihi ſatisfaciendum eſſe judico: cum ut omnes vos ab hoc errore liberem, tum ut etiam hac occaſione luti virtutes, quæ jam in oblivionem plane conceſſerant, tandem aliquando magis atque magis eminere atque apparere incipiant. Verum ad ea, quæ dicturus ſum, reficite quæſo animos veſtros, Quirites: nova quædam, & ante hunc diem inaudita proferre in lucem molior: ſed mihi veſtro erecto atque attento animo opus eſt: ſi quid enim attentionis forte remiſeritis, nullo modo fieri poterit, ut hæc, quæ jam aggredior dicere, myſteria eſſe intelligatis. Nam proh Deum atque hominum fidem! non in men-

in mentem vobis venit, quanta res, & quanti ponderis agatur? Agitur de ſumma luti exiſtimatione: id autem ejuſmodi eſt, ut nihil omnino dici gravius, aut excogitari poſſit. Cum enim omnes fere mortales immeritiſſimo Lutum odio proſequantur: quamvis pauciſſimi ſint, qui, quo ſit in illud animo Deus, intelligant: quid futurum putatis, ſi ſemel in animis hominum hæc opinio prorſus inſederit, Lutum à Deo non diligi? Quis enim illud eximium eſſe credat, quod Deus amare non videatur? Quis non potius id vile & abjectum putet, quod à Deo reprobetur? Quod ſi certiſſimis argumentis, Lutum & à Deo diligi, & cæteris omnibus rebus, quæ in terris creatæ ſunt, anteponi docuero: quid erit cauſæ, cur non etiam nos id omnium rerum excellentiſſimum judicemus? Iam igitur vos illud mirificum veſtræ mentis acumen intendite; ego rem ipſam aggredior. Principio cum à Luto diſceſſum eſt, nihil in terris homine præſtantius inveniri, nemo eſt qui dubitet. Quin etiam illud omnes boni confitentur, hominem ex omnibus animantibus à Deo plurimum amari. Quod etiam ipſa nos ratio credere pene cogit. Videmus enim quæcunque in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari: videmus etiam ac ſentimus, Dei providentiam in ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

in hominibus adjuvandis & cuſtodiendis ſemper excubare. Non ignoramus, à Deo proprium Filium, ut ab erroribus homines & ab æternis ſuppliciis liberaret, è cœlo demiſſum, & vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum, ac necatum fuiſſe. Sed innumerabilia Dei ſunt erga homines ſummi amoris indicia: cum præſertim etiam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut ſacræ Literæ teſtantur, eos creare voluerit, & rationis atque conſilii participes effecerit. Videamus igitur, ex qua materia Deus hoc animal, ſui ſimile, ratione præditum, providum, ſagax, acutum, multiplex, memor, plenum conſilii, quod maria, terras, cœlum, mente atque cogitatione complectitur: quod unum ex tot animantium generibus ſibi ratione ac ſapientia ſocium aſſumpſit: videamus (inquam) ex qua Deus hoc animal materia finxerit. Credibile eſt, præſtantiſſimum omnium animal ex ea materia, quæ Deo maxime grata eſſet, conformatum fuiſſe. Quid igitur ajunt ſacræ Literæ? unde formatum hominem ab initio commemorant? Non ex argento, quod ad omnibus pretioſum æſtimatur: non ex auro, quod plurimi homines majore, quam Deum ipſum, amore proſequuntur: non ex ſmaragdis, unionibus, chryſolithis, aut aliud

id ge-

id genus lapillis, qui pretioſiſſimi creduntur: ſed ex limo terræ, hoc eſt, è luti flore. Quid amplius poſtulatis? Obſecro vos, Quirites, hoc Dei factum vobiſcum diligentius perpendite: tum facilius ſtatuetis, quanta luti ſit excellentia. Deus optimus maximus, qui pro ſumma ſua ſapientia, rerum omnium naturas, etiam antequam eas crearet, optime noverat, qui facillime quid cuique pręſtet, & exquiſitiſſime diſcernit, cum ſimile ſibi, & ratione ac lege ſocium vellet animal procreare, lutum ex omnibus rebus potiſſimum elegit, ex quo formaret eum animantem, quem cæteris omnibus prę ficere ſtatuerat. Cujus rei quid aliud in cauſa fuiſſe dicemus, præter mirificam quandam Luti præſtantiam, quæ Deum etiam ipſum ad ſe amandum allexerit? Veniant nunc irriſores hujus orationis, & illud ſanctiſſimi vatis atque Regis Davidis *Pſal.* 112. interpretentur: De ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Quid eſt, quæſo, quod de ſtercore pauperem erigit? quid eſt, quod eum cum principibus ſuis collocat? niſi quod luto ſummopere delectatur, & eos plurimum diligit, quos omni ſtudio curaque lutum obſervare videt? Quid hoc loco mihi reſpondebitis, ô luti vituperatores? Huc,
quæſo,

quæſo, mecum in arenam deſcendite, conferte pedem, vibrate tela, promite veſtram illam maledicam orationem. Quid præliantes, ut ajunt, à muro judicatis? cur infixo jaculo, Parthorum more, fugitis? cur in portu ſpernitis tempeſtatem? Facile eſt accuſare, nullo defendente: facile vituperare nullo contradicente. Huc adeſte, ſi quid eſt in pectore roboris, & in me, Luto patrocinante, criminationes veſtras exponite. Efficiam profecto, ut intelligatis, longe aliud eſſe, contra veritatem, ipſa præſente, diſſerere, quam ad ventos verba facere, & innocenti nulla cauſa, nulla ratione maledicere. Cur enim, obſecro, Lutum improbatis? Quo crimine damnatis? Cui culpæ Lutum affine judicatis? Tacent, & ora pallor albus occupat. Proh Dii immortales! tanta ne quemquam mentis caligine circumfundi? tantis erroribus excæcari? ut quod in primis Deus diligit, id audeat improbare: quod præſtantiſſimum eſſe Deus cenſet, id exiſtimet eſſe viliſſimum. Malum eſt, boni viri judicio non acquieſcere, pejus eſt, amici verum condemnare judicium, peſſimum vero, parentis ſui ſententiam optimam non admittere. Quid dicam, quantum tandem ſcelus exiſtimandum ſit? immortalis Dei judicium vituperare? Sed jam querelarum ſa-
tis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tis. Id quod inſtituimus perſequamur. Non enim in hac re ſolum amorem ſuum erga Lutum Deus indicavit, ſed in aliis etiam quam plurimis, quas hoc tempore ſingulas, enumerare non neceſſe eſt. Vnum etiam aut alterum erga Lutum Divinæ benevolentiæ ſignum commemorabo, deinde ad alia vertam orationem meam. Iam plurima Dei filius (ut in ſacris Hiſtoriis legimus) admiranda ſuæ divinitatis indicia dederat, & quotidie magis erga homines incredibilem amorem oſtendebat, dum alios dæmonibus oppreſſos liberaret, alios jam vita functos à mortuis excitaret, ſurdis auditum, mutis locutionem, ægrotis integram valetudinem redderet; ſed illud etiam reſtare videbatur, ut in hominum parentem Lutum, aliquod benevolentiæ ſuæ ſignum oſtenderet. Ecce autem cum per quandam regionem iter faceret, hominem ab ipſo natali die cæcum reperit, quem cum vidiſſet, veniſſe tempus exiſtimans, ut eundem ſe eſſe oſtenderet, qui mundi initio genus humanum ex Luto formaverat, & ut Luti præſtantiam omnibus notam faceret: quid fecit? expuit in terram, & propriis manibus lutum compoſuit, atque eo luto cæci illius oculos perunxit. quo facto, confeſtim ille nunquam antea guſtatum videndi ſenſum accepit. Quis igitur non intelli-

intelligit, omnium hominum conſervatorem Chriſtum hoc ſuo facto declaraſſe, Luto nihil prorſus eſſe nobilius, ex quo viſum, ſenſuum omnium excellentiſſimum, reformavit? Multa alia prius & egregia facinora geſſerat, innumerabiles & varios morbos depulerat, nullo unquam pharmaco, nullis herbis, nulla arte medica uſus eſt, ſermone tantum aut tactu morborum genus omne profligabat. Itaque nemini dubium eſſe poteſt, quin hunc etiam cœcum, ſi voluiſſet, uno verbo ſanare potuiſſet. Cur igitur luto potiſſimum ejus oculos unxit & ſanavit? Non alia quidem (ut opinor) de cauſa, niſi ut luti præſtantiam atque nobilitatem indicaret, & parentis ſui, mortales admoneret. Quanto enim quis Luto parenti ſuo ſimilior efficitur, tanto major atque beatior eſſe ſolet. Sed hoc obſecro myſterium, Quirites, diligenter advertite. Qua enim in re vera eſt ac ſumma felicitas? nempe opinor in eo, ſi quis plurimum à Deo diligatur. Quis autem vehementius amatur à Deo, quam qui Luti naturam, quoad ejus fieri poteſt, imitatur, & qui præclare intelligit, quantæcunque ei fiunt acceſſiones & fortunæ & dignitatis, ex Luto ſe ad eas aſcendiſſe, & non ita multo poſt ab eis ad Lutum ſe rediturum? Hoc eſt quod ubique Deus præ-

cipit,

cipit, ut qui voluerit omnium effici maximus & feliciſſimus, is primo minimus & abjectiſſimus fiat. *Math.* 18. Quid aliud in ſacris literis magis quam ſummiſſio commendatur? Volvite divinos libros, nullam in eis pene dixerim paginam invenietis, in qua non humilitas & abjectio majorem in modum comprobetur. Atque illi demum ſoli felices ac beati futuri prædicantur, qui ſe Lutum eſſe cognoverint. Sed quam hujus rei cauſam aliam afferre quiſquam poteſt, præter ſingularem quandam Dei erga Lutum benevolentiam? Age vero, quis unquam ex omnium ſeculorum memoria Deo gratior fuit, quam Hebræus Iuba? *Iob.* 1. & 2. atqui hunc divinis in hiſtoriis legimus, non tantum in luto, ſed etiam in ſterquilinio ſedere ſolitum. Quid? quod ipſe Dei filius à vate ſanctiſſimo *Pſal.* 22. ita loquens inducitur: Ego vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. Quid enim aliud eſt, plebis abjectio, quam lutum? Clamat igitur Dei filius, cum hoc noſtrum terrenum atque mortale corpus aſſumpſiſſet, ſe lutum eſſe factum: quin etiam ſubmiſſionis gratia, ſe filium hominis, hoc eſt, luti nepotem frequenter appellabat. Sed jam ſatis, ut opinor, à nobis declaratum eſt, nihil in toto mundi complexu Luto

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

eſſe præſtantius, nihil excellentius: cuju tanta auctoritas eſt, ut ſine eo nihil quic quam in terris fiat, quod omnia generet alat, augeat, ex quo pretioſiſſima quæqu res originem trahant, unde nos etiam ip formati ſumus: quod denique majorem in modum à Deo diligatur. Reſtat, ut et iam de ejuſdem utilitate verba faciamus. Quæ quamvis ex iis, quæ dicta ſunt, maxi ma cognoſci poſſit: tamen, ut clarius et iam eluceat, & de illa dubitare nemo poſ ſit, ad ea, quæ ſuperſunt, aggrediar. Vo vero pauliſper etiam dum huic oration meæ coronidem imponam, non tantun aures, ſed etiam mentes atque animos ve ſtros accommodate. Non enim mehercl ita nunc agam, quaſi uni alicui aut alter rei tantum utilitatem afferre Lutum di cam, quod in cæteris rebus exornandi præcipuum eſſe judicatur. Nihil in hac oratione vulgare, nihil demiſſum expecte tis: omnia ſumma, omnia præſtantiſſima. Nihil in omni rerum natura dico eſſe, nihil toto cœlo contineri, neque parvum, neque magnum, modo ſit animatum, cui rei Lutum non utiliſſimum eſſe videatur. Cum enim in rebus, quæ ex intima atque naturali motione vitam habent, animarum tria genera dicantur inveniri: quarum una, vitam tantum nutrientem, ſine ſenſu, cor-

pori

ori ſubminiſtrat,& herbas,frutices,arbo-
es educit,alit,atque auget : altera non ſo-
um vitam , ſed etiam ſentiendi atque in-
grediendi vim cunctis animantibus ſuppe-
itat : tertia omnium perfectiſſima atque
ptima , ſolis hominibus intelligendi, co-
gitandi, reminiſcendi virtutem affert : his
mnibus viventium generibus plurimam
tilitatem afferre Lutum ad vitæ commo-
litatem oſtendemus. Sed ne fortaſſis ali-
qua cadat in nomen ambiguitas,quoniam
nultis cognominibus Lutum eſt decora-
um , ea mihi declaranda eſſe cenſeo , quo
acilius omnes ejus utilitates perſpici poſ-
int. Atque illud primo ſciendum,omnem
nobis putrefactionem atque corruptio-
em Lutum appellari , ſive ea ſit in ani-
nante detractio confecti conſumptique
ibi , ſive ſit humoris & terræ permiſtio,
ve quocunque alio modo res aliqua pu-
ida facta ſit: hanc etiam communi voca-
ulo fimum atque limum nuncupare con-
uevimus : ab agricolis vero lætamen dici-
ur, ob id credo , quoniam , ut paulo poſt
ſtendemus,lætari agros faciat. Quod au-
em in corpore gignitur animalium , id
ommuniter ſtercus vocatur,unde ſterco-
ari dicuntur agri,cum eo Luti genere re-
ituatur.Sed generatim Lutum omne,cœ-
um etiam dicitur. quæ ſane Græca eſt
appella-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

appellatio ; quam ſi Latine velis interpretari, commune ſignificat : nihil enim luto communius, quod , ut dicere inſtitueram, rebus omnibus animatis maximam afferre ſolet utilitatem. Primum enim, Quirites, quis veſtrum eſt, quin intelligat , Luto ſegetes, atque omnia ſata, majorem in modum exhilarari? Nam tellus ipſa rerum omnium parens , niſi Luti filii ſui præſidio ſuſtentetur , vires integras iis rebus , quæ naſcuntur ex ea, ſubminiſtrare nullo modo poteſt : unde factum eſt hominum ſolertia, ut agri, quo fæcundiores eſſent , Luto veſtirentur ; quæ res ab agricolis ſtercoratio nuncupatur. Cujus tantam utilitatem eſſe ſentiunt omnes , ut quamvis primum auctorem ignorant , tamen eum propter hanc ſolam inventionem in Deorum numero collocandum eſſe cenſeant. Scribit enim Macrobius , à Romanis Saturnum fuiſſe Stercutium vocitatum, & eo nomine pro Deo cultum, quod primus ſtercore fœcunditatem agris comparavit. Sed Auguſtinus in libris de Civitate Dei, Pici patrem Stercon fuiſſe ſcribit, à quo peritiſſimo agricola ſit inventum, ut fimo animalium agri fœcundi fierent ; atque ab ejus nomine ſtercus dictum. At vero (Plinius * inquit) Italia regi ſuo Stercutio , Fauni filio,

* *Natur hiſt. lib. 7. c. 9.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

filio, ob inventum ſtercorationis, immortalitatem dedit. Sunt qui dicant, Augiam regem in Græcia ſtercorationem primum excogitaviſſe, quam Hercules in Italia deinde divulgarit, unde nata fabula ſit, Augiæ ſtabulum ab Hercule fuiſſe repurgatum. Illud certe conſtat, ſtercorationis auctorem ab antiquis indigitatum, & Stercutium nuncupatum fuiſſe, & merito: quid enim in tota agricultura ſtercoratione utilius? De qua doctus Heſiodus, ut apud Ciceronem * ait Cato, ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri ſcriberet: unde vehementer à doctis atque intelligentibus viris improbatur. Nam Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante ſeculis fuit, Laertem lenientem deſiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum ſtercorantem facit. Hac de cauſa vir ille ſapientiſſimus Cato, cum de re ruſtica ſcriberet, præceptum optimum his quidem verbis reliquit: Sterquilinium magnum ſtude ut habeas, ſtercus ſedulo conſerva. Videtiſne quanta cura ſtercoris graviſſimo viro Catoni fuerit? Quis enim neſcit, quanto lætiores veniant in agris ſtercoratis ſegetes, & quanto meſſem afferant uberiorem? Hoc nimirum illud eſt, quod agricolæ cum agnoviſſent, Luto cogno-

* *Cic. de Senect. Cic. ibid. & Hom. Odyſſ. 4.*

cognomen indiderunt, &, quod lætiſſimas fruges faciat, lætamen vocitarunt. Itaque magnam ejus rationem habere ſolent, & magno ſtudio atque diligentia colligunt, quo ſuos quiſque agros, quam fieri poteſt optime, veſtiant. Quinetiam lutum undique venantur, & in vaſis (quod ego hiſce oculis vidi) accuratiſſime collectum, domum portare non dubitant: eumque maxime ſtrenuum atque induſtrium exiſtimant, qui plurimum ex eo diligentiſſime collegerit. Neque ſatis habent illud colligere, quod ſponte natum invenerint: ſed artem etiam, & diligentem curam adhibent, ut, quam plurimum fieri poteſt, augeatur. Quare non ſine cauſa præter cæteros omnes mortales, agricolæ ſanctitatis & juſtitiæ laudem adepti ſunt: ut etiam in operibus ſuis ingenioſiſſimi viri Poëtæ finxerint, apud agricolas longiſſimo tempore Deos habitaſſe, cum propter hominum ſcelera de civitatibus expulſi fuiſſent. Quæ quidem fictio nihil aliud ſignificare videtur, quam longe ſapientiores agricolas eſſe, quam cives. nam quotidie fere lutum ex civitatibus in agros exportatur. Quod ſi verum eſt id, quod proverbio dicitur, Deum eſſe illum, qui mortales adjuuat: nemini dubium eſſe poteſt, quin Lutum maximum numen ſit, quod pulſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſum è civitatibus apud agricolas habitet. Quid autem utilitatis frugibus Lutum afferat, id in agris ipſis verno tempore, cum prope, ut ſpicas incipiant emittere, videre licet. Ibi tum bene ſtercoratos agros aſpicias hilares luxuriare, ſegetes in eis magnitudine præcellentes, viriditate conſpicuas, culmo craſſiore, calamo longiore, ſpica prominentiore, quæ jam eo tempore non dubiam ſpem uberrimi fructus afferat. Confer huic alium à Luto non adiutum campum, vides primo quaſi triſtitiam ſoli, culmorum raritatem ac tenuitatem, ſegetes humiles, quodam pallore ſuffuſas, ante tempus areſcentes, ſpicis minimis, aut nullis. Illic vides eximiam ubique lætitiam, hic autem ſqualidam triſtitiam: illic meſſis abundantiſſimæ ſpem maximam, hic omnis annonæ deſperationem. Ecquid intelligitis, Quirites, in quorum uſum atque utilitatem cedat hæc frugum abundantia? ecquid agnoſcitis, quanta ſit in hac parte luti potentia? Non adeo vos tardo aut hebeti puto eſſe ingenio, quin hæc facillime cognoſcatis. Deſinite Luto veſtros agros obducere, tum demum facilius ſtatuetis, quid Luti præſentia conducat, & quid abſentia detrimenti ferat. Iam vero non frumentis tantum, ſed etiam arboribus Lutum maxime prodeſt. Quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

enim eſt qui neſciat, vites, ut reliqua genera prætermittam, quanto magis ſtercorantur, tanto copioſiorem afferre vindemiam? Nam Luti ſuccus ille pinguis & vividus, quem hebetes & imperiti homines viliſſimum & ſordidiſſimum eſſe judicant, in ſuaviſſimum vini ſaporem convertitur. Quod ne fortaſſe meum eſſe commentum putetis, ſummus Philoſophus & rerum naturalium diligentiſſimus indagator Empedocles hoc affirmat, ut Ariſtoteles in (*a*) Topicis auctor eſt, cujus hæc verba notavimus: οἶνος ὕδωρ ἐστὶ σεσηπὸς, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς φησι, σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ. Vinum igitur nihil aliud Empedocles ajebat eſſe, quam aquæ putrefactionem in vitibus. Quid autem aliud eſt aquæ putrefactio, qnam Luti ſuccus? Ergo quod tanta cum jucunditate bibimus, quod tantam nobis lætitiam affert, tantam voluptatem, quod tam ſuave eſt, tam dulce, tam jucundum, quod (ut ait Horatius (*b*)) curas abigit, quod cum ſpe divite manat, luti ſuccus eſt. Quid autem attinet hoc loco vini laudes commemorare, cum pauciſſimi homines reperiantur, qui non illud majorem in modum appetant, & avidiſſime bibant? Quid enim eſſet inter homines lætitiæ, quid hilaritatis, quid voluptatis,

(a) *Top. 4. cap. 5.* (b) *Lib. 1. Epiſt. 5.*

tis, quid ingenii, niſi vinum eſſet? Nam vini magnus amator Horatius eleganter ita clamat:

** Fœcundi calices quem non fecere diſertum?*
Viniferæ dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Denique vir ſapintiſſimus Cato vino tantopere delectabatur, ut ebrius ſæpenumero fieret. Sed neminem prorſus eſſe arbitror, quin intelligat, rem utiliſſimam & optimam eſſe vinum. quare ſi quis hunc Deum Liberum amat: quem quis non vehementer amat? is etiam Lutum, ejus parentem, ut plurimum amet, neceſſe eſt. Iam vero quantum hortis, oleribus, viretis Lutum utile ſit, ne commemorandum quidem eſſe cenſeo, cum ignotum nemini ſit, eum demum hortum feracem fieri ſolere, ea olera tenera, & ampla perpetuo videri, maximam in eis viretis amœnitatem ſemper eſſe, quæ luto fuerint optime ſaturata. Quis neſcit, olitores adeo Luti ſtudioſos eſſe, ut civitates etiam cum gerris & ſportulis peragrantes, illud accuratiſſime colligant, atque etiam pretio frequentiſſime comparent? Quis non magnopere lætetur atque exhilaretur, cum pinguis horti vultum aſpexerit, quem luto diligens olitor ſaturarit? Quid illo virore ſpecioſius? Quid illa amænitate jucundius? Hic

* *Lib. 5. Epiſt. 6. & 19.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ingentes braſſicæ ſolido caule brachia late fundunt, illic virentes amplo capite pori ſubarbeſcunt: hic longe diffuſæ betæ luxuriant, illic ciborum requies lactuca criſpatur: hic gravis cucurbita ventrem in longum porrigit, illuc aſparagi ſub luto tenerrimi caput ampliſſimum exerunt. Sed næ ego ſtultus, qui ſingula proſequi velim, cum omnem hunc ſermonem poſſim uno verbo concludere. Quicquid enim in hortis naſcitur, id luto mirifice delectatur, alitur, augetur. Sequitur, ut animantibus etiam cujuſque generis utiliſſimum eſſe Lutum oſtendam. Atque illa ratio potiſſimum animum meum inducit, ut conjunctim de hominibus atque belluis agendum eſſe arbitrer, quod neutrum genus video ſine luto poſſe diem unum vivere. Hic mihi, Poëtarum more, linguas centum, oraque centum, & ferream vocem in mentem venit exoptare: tantam enim rem, & tam egregiam nullus verborum ſplendor, nulla ſententiarum gravitas, nulla vis eloquentiæ, nulla denique animi contentio digne poſſet explicare. Mihi quidem certe voluntas non deeſt: ut cætera in dicendo digna re, digna voluntate ſuppetant, elaborandum eſt. Etenim hæc, quam dicturus ſum, luti utilitas ejuſmodi eſt, ut quamvis veriſſima ſit, tamen prope incre-

incredibilis eſſe videatur. Quis enim ita facile credat, univerſos homines, tam agreſtes, quam domiſticas belluas, luto vitam acceptam ferre oportere? Quid igitur faciam? cum jam dudum de luti eximia virtute dicam, cum jam prope vim omnem verborum effuderim, cum jam quicquid in me facultatis erat, in dicendo conſumpſerim, neque illud omnino providerim, ut aliquid ad hunc locum mihi reſervarem. Quibus igitur verbis rem tantam aggrediar? Opinor unus modus, atque una ratio eſt. Hanc Luti tam magnam utilitatem in medio ponam. Quæ per ſe tam clara eſt atque perſpicua, ut nullius hominis ad eam amplificandam oratio requiratur: vos ipſi pro veſtra prudentia, quanta ſit, videre facillime poteritis. Niſi forte hoc non intelligitis, Quirites, quod, ut omnibus cognitum eſt, ſic à pauciſſimis conſiderari ſolet, vos, niſi ventris onus deponatis & comedatis, nullo modo poſſe vivere. Sed cur tandem riſum non continetis? Non equidem dixi, ventris onus vos comeſſe oportere, ſed ὕστερον πρότερον Homerice locutus ſum. Omnem enim animantem ventrem prius explere neceſſe eſt, deinde etiam exinanire. Sed ne ſolertiam meam rideatis, qui hoc excogitarim, videte quam pauci hoc advertant, neque expleri ven-

trem, neque exinaniri ſine luto poſſe. At dicet fortaſſe quiſpiam: Ego vero ſine luto vivere poſſum, neque unquam luto ventri vacuo ſatisfeci. Quid? illud, quo veſceris, unde natum ſit, non intelligis? tamne cito prioris orationis oblitus es? An non meminiſti, fruges omnes, vinum, cæteraque omnia, quibus utuntur homines, ex luto nata, fuiſſe demonſtratum? Qui tibi cibus, quæ potio, qui victus, ſi lutum non ſit, adeſſe poteſt? Proh Deum atque hominum fidem! tu ſine luto vivere diem unum poſſes? Qua re, obſecro, aut quo cibo ventris egeſtatem ſublevares? Panem ſcimus è frugibus confici, quæ ſine luto naſci non poſſunt; poma omnia de luto nata docuimus. Carnes, ais, devorarem. Iam vero te non poſſum ſtultitiæ non condemnare. Carnes comederes? quas obſecro carnes? nempe aut volucrium, aut aquatilium, aut terreſtrium animalium: quod autem horum eſt animal, quod ſine luto vitam agere poſſit? Mitto jam de reliquis dicere: hoc unum premo, quod omnium maximum eſt; qualis hominum eſſet vita ſine luto? Non equidem poſſum, quod animo concipio, verbis exprimere, ſed quanto minus eloquentia valeo, tanto diutius in hoc inſiſtam, in quo ſummam Luti utilitatem video non poſſe denegari.

Veniant

Veniant omnes Oratores, Sophiſtæ, Philoſophi, Theologi, quid tandem contra hanc orationem meam afferre poterunt? An erit eorum quiſquam tam impudens, qui negare audeat, homines, pecudes, volucres, piſces, omne genus animantum, luto ſolo vitam propagare? Quamvis erit fortaſſe aliquis, qui cum ſemel omnes rationis metas tranſgreſſus fuerit, etiam aperte veritati contradicere, & Soli, quod ajunt, tenebras offundere non dubitabit. Cæterum ſi carnes & cupedias ei detrahas, mare ſtatim (ut dicitur) cœlo permiſcebit. Sed non video, qua ratione poſſit huic hominum genere perſuaderi, ſine luto nullam eſſe vitam, niſi validiſſimis pharmacis, quæ vim habeant expurgandi, multos dies exinaniantur, deinde cibus eis triduo denegetur: tunc demum intelligere incipient atque alta voce clamare, nullo modo ſe diutius ſine Luto vivere poſſe. Quam enim impudentis eſt, id inficiari, quod abſcondi non poteſt? Nullum eſt anni tempus, ſeu vigiles, ſeu dormias, ſive ambules, ſive ſedeas, quo non ſemper tecum lutum habeas. quod ſi fortaſſe caſu aliquo paulo abundantius egeratur, ſtatim infirmus ac debilis efficeris, nec pedes, nec manus, nec ulla corporis pars ſatis officium ſuum facit: quin etiam ſæpiſſime nimio fluxu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

mortales intereunt, quem Græci morbum διάῤῥοιαν appellare ſolent. Et erit aliquis, qui Luto ſpoliatum ſe vivere poſſe diutius exiſtimet, cum ſola ejus imminutione videat ſtatim homines fato concedere? Quod autem de hominibus dico, idem etiam de cæteris animantibus intellectum volo, quorum nullum adempto luto ſupereſſe ullo modo poteſt: cibus enim omnis in ipſo ſtomacho priuſquam alat atque nutriat, ut in lutum convertatur neceſſe eſt. Vnde perſpicuum eſt, non tantum utile lutum eſſe, ſed etiam omnino neceſſarium. Videte, Quirites, quam ſimpliciter, quam non fucate, quam non artificioſe vobiſcum agam, ut nihil ſubdole, nihil verſute dicam, ut nulla fallaci concluſione, nullis mendaciis utar, ut artis illius phaleratæ prorſus obliviſcar, ut nihil denique dicam, quod non mihi paulatim ſuggerat ipſa veritas. Nullam enim hactenus de Luti neceſſitate mentionem feci: cum tamen, quamvis utiliſſimum ſit longe magis neceſſarium eſſe, quam utile videatur. Id enim à nobis utile ſolet appellari, quod ad uſum corporis aliquo modo poteſt accommodari, de quo fructus aliqui percipiuntur: neceſſarium autem, ſine quo nullo modo eſſe poſſumus. itaque cum ſine Luto nullum ex omnibus animantibus omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

omnino poſſit eſſe, quemadmodum apertiſſime demonſtratum eſt, ſequitur ut prorſus eſſe neceſſarium ad cujuſque animantis ſalutem concludendum ſit. Qua in re ſtultitiam hominum admirari maxime licet, qui, quod omnium maxime neceſſarium eſt, oderunt atque rejiciunt: quod autem mare (quod ajunt) malorum ſecum adfert, id obviis (ut dicitur) ulnis amplectuntur. Quis enim eſt, qui non lutum ſpernat, & aurum diligat? Atqui lutum jam videtis præſentia ſua vitam, abſentia non dubiam mortem præſtare. quo fit, ut ed vitam conſervandam ſit omnino neceſſarium: aurum autem, ſi quis recte conſideret ad nullam vitæ commoditatem conducere prorſus inveniet, quin potius ingentium ac prope innumerabilium malorum ſæpenumero cauſam eſſe. Hinc enim cædes, incendia, rapinæ, bella inteſtina, civitatum direptiones, agrorum vaſtitates, tumultus, inſidiæ, fraudes, patriæ proditiones, quicquid dici, aut excogitari ſceleris poteſt: cum interim à luto nihil mali, nihil detrimenti, ſed, ut ab optimo parente, vitam, fortunas, commoda, voluptates habeamus. Quod ſi quid etiam aliud præter lutum, utile fortaſſe reperitur, quod fieri non poſſe inficior, id tamen quicquid eſt utilitatis, acceptum ferri luto neceſſe eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quoniam ab eo, ſicuti antea docui, cuncta proveniunt. Age vero, quale ſit in cæteris etiam rebus erga homines lutum: videamus. Non enim ſolum nos educat, alit & oblectat, verum etiam ita ſeſe rebus omnibus accommodat, ut nihil ſit, in quo nobis prodeſſe non poſſit. Quis enim ignorat, ædificandi rationem omnem prope luto conſtare? Quis non intelligit nullam poſſe civitatem ſine luto, nullum oppidum, nullam domum extrui, nulla Deis immortalibus templa dedicari? Quis non videt, cæmentum, bitumen, cretam, calcem, cætera, quibus omnes fieri ſubſtructiones ſolent, lutum eſſe? Iam non longius ab inſtituto digrediar in declamando, ne me putetis aliquid Rhetorum more confingere. Sed profecto videtis, Quirites, quem orationis ſplendorem prætermittam? Poſſem enim dicendo ſubjicere oculis, quod ornamentum, quæ venuſtas, quæ dignitas, terrarum orbi deeſſe videretur, niſi eſſent domus, oppida, niſi civitates: nam aut in ſylvis ferarum more pervagari, aut in cavernis ac terræ foraminibus, ut Troglodytæ feruntur, habitare neceſſe eſſet. Sed quoniam ad finem jam ſpectat oratio mea, tantum unum illud addam, quod à multis etiam antiquis eruditiſſimis viris animadverſum eſt, eſſe mirificam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

rificam quandam in luto vim ad omnes è languenti corpore morbos depellendos: pleni ſunt omnes Medicorum libri, plena omnia pharmacorum quæ de luto componuntur. Quod ſi quis minime habendam putet, Plinium legat & Galenum, & quicunque de arte Medica ſcripſerunt: tum demum intelliget, quid ægris corporibus utilitatis lutum afferat. quod etiam ea luti ſpecies, quam nos maxime fugimus, quæ de noſtro egeritur corpore, maximi eſt uſus in medendo? (*a*) Nam Plinius certe ſtercus hominis inter magna morborum remedia connumerat. Et Dioſcorides tradit, hominis & canis ſtercus, cum exaruerit, melle permixtum & gutturi annexum, anginis mederi cura nunquam fallente: quod etiam mihi belluæ quædam intelligere præclare videntur. Nam Pantheram ajunt, cum aconitum guſtaverit, quod venenum eſt ei lethiferum ac pernicioſum, hominis ſtercus diligentiſſime quærere, quo deguſtato, facillime ſanatur. Iam upupam tradit (*b*) Ariſtoteles ex hominis ſtercore ſibi nidum coaſtruere: credo quod in eo maximam & pullis ſuis utilitatem experiatur. Has tam ſingulares & eximias Luti virtutes etiam à majoribus noſtris,

 quam-

(a) *Nat. hiſt. l. 1. c. 27. l. 8.*
(b) *De hiſt. anim. l. 9. c. 10.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quamvis ruſticanis hominibus aliquo modo perſpectas & cognitas fuiſſe facile crediderim, quippe qui mutato nomine atque genere Lutum divinis honoribus dignati ſunt. Cum enim viderent ſummum deorum Iovem marem eſſe, Lutum etiam ſuum eo genere inſigniri voluerunt, Stercutiumque Deum appellarunt: cumque de luto viderent omnia creari, Iovem etiam ex eo prognatum crediderunt: itaque Strucutium & Saturnum eundem eſſe dicebant: atque hac (ut opinor) de cauſa pedes lecti, in quo Flamen Dialis cubaret, luto tenui, ſicut * Gellius ſcribit, circumlitos eſſe oportebat. Neque vero expectetis à me, Quirites, ut hac extrema orationis parte, quod à Rhetoribus fieri ſolet, ea repetam amplificando, quæ de Luti laudibus à me commemorata ſunt. Quid enim ea repetam aut amplificem, quæ ne ſemel quidem ſatis pro rei dignitate potuerunt explicari? Quid an iterum ea dicam, quæ nemo penitus inficiari poteſt, nihil eſſe Luto nobilius, quod à clariſſimis parentibus terra atque humore ſatum ſit, quibus Deus ipſe, rerum omnium curam atque adminiſtrationem demandavit: nihil eſſe Luto præſtantius; unde quicquid eſt in orbe terrarum, eximium generetur; unde non tantum

* *Noct. Att. lib. 5. R. cap. 15.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tum belluæ, ſed etiam homines ipſi formati ſint; quod ab immortali Deo mirifice diligatur. An iterum commemorem, utile neceſſarium eſſe Lutum? quod nullum animal eo privatum, vivere diutius poteſt? quod eo frumenta, ſegetes, arbores nutriantur & fœcundiores efficiantur? quod ex luto fiant, quæcunque ſunt ad victum neceſſaria? quod ex luto civitates, oppida, domus, templa conſtruantur? An iterum tot tantaſque luti uilitates, quas nemo cogitatione, nedum oratione complecti poteſt, exponere contendam? Non faciam, Quirites, non diutius incredibiles atque divinas Luti laudes ingenii mei culpa diminuam. Quamobrem hanc ultimam orationis partem integram cogitationi veſtrę totam relinquam. Vos quicquid excellens eſſe exiſtimatis, quicquid in rerum natura pretioſum, quicquid amplum, quicquid magnificum, ante oculos ponite. Ponite ante oculos hanc admirabilem naturæ varietatem, tot & tam egregios terrarum fœtus, tot animantium genera, tot res & tam varias ad uſum hominum procreatas, ipſos denique homines: & cum diligentiſſime rerum omnium præſtantiam atque utilitatem conſideraveritis, tunc ad Lutum mentium veſtrarum aciem revolvite, & cogitate, niſi Lutum eſſet, nihil earum

rerum

rerum tam excellentium potuiſſe generari. tum facilius apud vos ipſos ſtatuetis, quantis laudum præconiis digniſſimum eſſe putandum ſit; & quantopere fallantur homines in opinionibus ſuis: tunc omnino decernetis, non eſſe temere cuiquam aſſentiendum; cum in hac re luce clarius videatis, uniuerſos fere mortales maximopere decipi.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

IVLII CÆSARIS SCALIGERI,

De

LAVDIBVS ANSERIS

DECLAMATIO.

QVum omne ſtudium ſapientiæ duabus legibus, comprehendatur, cognoſcendi, & judicandi, cognitio non paucis brutis, judicium paucis hominum contigit. Quocirca plurimæ atque maximæ res in abdito & ſæpe & diu latuerunt. Omitto quæ recentibus eruta ſæculis ex ipſo medio naturæ gremio præ oculis noſtris erant, neque cernebantur. In iis erat, quod ſcires, & te neſcire profitereris. Scilicet magna quædam res eſt, modus ipſe, quo metiamur ea, quæ intellectioni noſtræ opponuntur. Quare quod ab antiquis omnibus omiſſum eſt, in præſentia eſt mihi declarandum: ac cujuſmodi operam illi poſuere in rebus non neceſſariis oſtentandi gratia mihi hodierna die inſtituendum eſt, & ut, quoad fieri poſſit, par ponatur ſed merito. Nam quantum illi eloquentia me anteivere, tantum materia ipſa

ipſa fuerunt inferiores : quantumque acceſſionis ab ingeniis ad cauſam factum eſt in illis , tantum apparatus oſtentetur ab re ipſa mihi. Dicendum enim mihi eſt de naturæ conſiliis quæ ipſa expedivit in orbis hujus ſupplemento, quod ad rerum numerum, magnitudinem, plenitudinem tantum fuit, quantum ipſa eſſe & voluit, & velle potuit. Nam qui MVSCAM ante nos laudarunt , rem quidem naturæ placitam propoſuerunt , verum exiguam ſane : ingentes autem ingenii ſui laudes explicarunt. Ego vero ante cogitationes veſtras ponam ea, quæ per ſe magna eo in periculo verſantur , ne oratione mea deteriora fiant. Nam quum hominum genus per ſe vel magnum vel princeps ſit rerum omnium mortalium, ita ſecundum ſe habuit ab opifice ſummo creatum genus avium , ut ſecum haberet quiddam, ſine quo minus commode ageret ſemper, ſæpe etiam cui Lares patrios, vitam, dignitatem deberet ipſam. Hoc eſt quod me valde afficit, quum naturam contemplor hanc , ne par ſit (prope dixi) humanæ , re ipſa etiam eloquentiam ſuperet. Etenim ſi conſtitutionem concretionemque ipſius corporis latius conſideremus, fuere philoſophi , qui terreſtria hæc noſtratia è terra potiſſimum conſtare crederent , ex aqua piſces , ex aëre volucres.

Neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Neque enim fieri poſſe, ut naturæ principia rebus ipſis, quarum principia ſunt, non reſpondeant. Quod ſi ita eſt, avium genus (pace non tam veſtra, quam etiam mea dixerim) etiam nobis nobilius ſit. Sin hoc eſt ambitioſius ac veritati ſuſpectum habeatur, quod reliquum eſt, neque ab ullo expugnari poteſt, cives ſaltem eſſe aves puriſſimi elementi. Neque enim omnibus in locis aërem ab æthere diſtinxit Plato. Et eſt æther, in quo DII ſunt, ut ſint aves indigenæ aëris, incolæ ætheris, accolæ deorum, non ſolum magnum munus, ſed & rarum, & illis tantum à principe rerum datum. Nam ſi montanas herbas & Arabes & Græci potiores ſunt arbitrati idcirco, quia cœlo ſunt propiores: cujuſmodi naturam iis in rebus exiſtimemus, quæ ſuis principiis cœlo propinqua ac cognata, DEORUM immortalium è cœlorum ſinu conſilia deducere ad nos conſuevere? Aves dico ipſas, ſine quibus imperium generis humani, quod maximum ac ſanctiſſimum penes ROMANOS fuit, vel nihil egit, vel etiam fuiſſe nihil. Non ineptiam apud vos. Scio vos non ignorare, quæ in AUGURUM libris olim ſcripta eſſent ad ſcientiam, quæ obſervata ad ſalutem, quæ neglecta ad interitum. Sed hæc omnia omittimus; alio majora vocant me. Nam

quanto

quanto excellit genus hoc cætero generi animantium, tantum eſt quo ſuperet genus divinum animal illud, cui pop. Ro. ſalutem, Camillus gloriam, imperium Rom. pop. jam debeat: neque id ſolum verum ortum originemque novam, ſed veram, & quæ plus quam inchoata ſit. Quid enim loqueremur nunc nos, ſi tunc Romanæ eloquentiæ ſemina perdita fuiſſent? Si qua in me ſunt inde profecta, ſi qua in vobis gloria, eam univerſam ſanctiſſimæ ac ſapientiſſimæ aliti acceptam referre debetis. Age vero, quum vos video attentioni propiores, depoſito faſtidio ignobilitatis, ut vanitas cedat veritati, ab ipſo nomine mihi eſt incipiendum; quod ea cætera ſuperat excellentia, quo beatius eſt dare, quam accipere: ipſa res vobis nomen dedit ſecum natum, non acceptum à vobis aut inconſulto, aut etiam temere (ut plæraque ſunt) à natura allatum ad cogitationes veſtras, quo rem intelligeretis ex nota vera, non à vobis ficta. Nam quo cantu vigiles, tanquam turba, excitavit, quo dejecit hoſtes, quo IMPERII domicilium, patriæ auſpicia, ſummam rerum ſervavit, eo cantu offert nulla ambitione ſeſe cognoſcendum. Nam eſt ANSER.

Riliqua deſiderantur.

IOAN·

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

IOANNIS PASSERATII ENCOMIVM ASINI.

TANTVM approbationis, ſuo quodam quaſi genio, Plauti fabulæ conſequutæ ſunt, auditores, ut nullam acclamatione adverſa vel paſtoritia fiſtula, omnes incredibili plauſu populus ſemper exceperit: neque verba facturis magiſtratibus plus ſilentii præcones in foro, quam attentionis, earum ſolo nomine, hiſtriones in theatro à multitudine impetrarint. Id autem ſive Plauti fato, ſive, quod probabilius eſt, lepore atque urbanitate contigerit, mihi perſuadet, tam elegantium fabularum ut actori ſic interpreti, minime de colligenda benevolentia eſſe laborandum. Vereor tamen, ne quis inſulſe facetus hoc meum irrideat conſilium, quod ab Amphitruone, gravi Tragicomœdia, profectus ad Aſinariam recta contenderim: vetuſque verbum in me contorquens, à diis ac regibus, tanquam ab equis ad aſinos me tranſiiſſe cavilletur. Quamobrem officii ratione admoneor, ut pervagatum vulgi ſermonem quo aſini tantopere abjiciuntur ac conteruntur,

falſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

falſum eſſe demonſtrem: & cum opinione tot ſæculis inveterata, cominus argumentis congrediar: etſi difficile eſt errorem, qui tam alte radices egerit & propagarit, ſtatim evellere: ſed quo difficilius, æquum eſt ut hoc me benignius attentiuſque audiatis. Quæramus igitur cur auctor ejus proverbii, quiſquis tandem fuit, ſane obſcurus & ignobilis, viliſſimos eſſe aſinos ſomniarit, nec ulla ex parte cum equis comparandos. An propter tarditatem? At in India, Syria, & ad Euphratem, perniciſſimi reperiuntur, quemadmodum Ælianus & Xenophon memoriæ prodiderunt. An propter virium imbecillatem? At equis ipſis judicibus, aſini cauſſam ſuam obtinebunt; qui ſi loqui poſſint, ut Achillis equi apud Homerum, laudem iſtam aſinis ultro concedant, ac ſponte fateantur, niſi aſininum ſemen equarum ſemini mixtum eſſet, mulos, omnium animalium, quæcumque collo dorſorve domantur, validiſſimos, non eſſe naſcituros. Vnde cum alia multa, tum hæc ſequerentur incommoda, quod medici ægrotos viſentes, ubi properato eſt opus, ſuis, non alienis pedibus, ambulare cogerentur: & innumerabiles futuri eſſent ſenatores pedarii; lunæque currus, quem mulæ junctæ trahunt, ingenti mortalium damno, frugumque calami-

calamitate, conſiſteret. An quod equi ſtrenuam in bello navant operam, aſini ad committendum prælium, & rem gerendam, parum idonei exiſtimantur? Facile hoc dici patior, equos ad hominum perniciem plurimum, aſinos nihil conferre niſi ad ſalutem, & ad pacis artes recolendas atque retinendas. Huc accedit quod equos plerosque omnes refractarios, ſuccuſſatores, umbram metuentes, mordaces, ſternaces, calcitrones, videmus: quibus à vitiis nemo neſcit abeſſe aſinos longiſſime. Idcirco magna mater, ſive illa Cybele, ſive Ceres, ſiue quo alio gaudet nomine, aſinis, non equis, ſe ac ſua myſteria committit. Inſidentem aſino Silenum prætereo; ad te venio

——— cui prima frementem
Fudit equum Tellus magno percuſſa tridente
Neptune.

Tu conſualibus, feſto tibi die, aſinos non minùs quam equos floribus coronari voluiſti, licet in equos inclinatione voluntatis magis propendeas. Nec immerito hic aſino habitus honos, qui tot tantiſque laboribus in varios humanæ vitæ uſus exercetur. Ex ea enim ſegete quam ſtercoravit, aravit, iteravit, tertiavit, ac liravit, collectam meſſem convehit in horreum; poſt trituram in piſtrinum defert, ibi mo-
lam

Iam verſat, inde domum refert farinam: &, ut ait Virgilius:

Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli,
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.

Quas in miſerrimi quadrupedis ærumnas non abſque magna juſtaque commiſeratione, intuenti, venit mihi Ptolemæi regis in mentem, cui cum Heraclides Lycius librum obtuliſſet quem inſcripſerat πόνου ἐγκώμιον, primam Rex urbaniſſimus literam delevit, ut oſtenderet πόνου ἐγκώμιον re vera ὄνου eſſe ἐγκώμιον, eamque virtutem, qua tolerandis rebus adverſis gloriamur, aſinum ſibi poſſe jure ſuo vindicare. Quid ego de temperantia dicam? Poſtquam immaniſſimos labores exantlavit, & quibus ne Hercules quidem par fuerit, vix ſub multam noctem ab opere dimiſſus, & ſub dio relictus, carduis, tribulis, paliuris, veſcitur: tam arido horridoque paſtu contentus, ne ad ſingularem patientiam non adjungatur frugalitas in philoſophorum ſcholis, qui eam profitentur, inaudita. Ex qua frugalitate fructus capit uberrimos; quando & tardius deficit quam ullum aliud armentum, & morbis rariſſime tentatur. quibus aſſidue conflictantur noſtri Philoxeni, Apitii, Gallonii, ejuſmodique gurgites atque ventres, qui, ut Pli-

ut Pliniani ſues, animam pro ſale videntur accepiſſe, ne tantiſper dum ſunt in vita, putreſcant. Niſi forte ficus ab aſinis quondam appetitæ in gulæ ganearumque loco ponantur: quod tamen ſpectaculum prodigii ſimile ex admiratione nimia riſum immodicum, ex immodico riſu repentinum interitum Philemoni Comico fertur attuliſſe. Ejus porro virtutis quæ jus ſuum cuique tribuit, & cæterarum Regina ſapientum ſuffragiis conſtituitur, in aſino præcipue vis & ſplendor eluceſcit; qui pabulo ſemper abſtinet alieno, prodeſt omnibus, nocet nemini: inſignis adeo cultu deorum, ut religione numinum, & ſimulachrorum quæ geſtat ſanctitate, conſecratus ſit. Ob eximiam quoque, & valde ſpectatam in dominos fidem, vagatur ſine cuſtode, non cohibetur ergaſtulis, vinculis non coercetur: cum neceſſe ſit equum aſſervare, haud minore ſtudio quam fugitivum aliquod mancipium: quoniam noctes dieſque fugam meditatur, in qua impotenter exultantem, & ſimilem furenti Q. deſcribit Ennius.

Et tum ſicut equus qui de præſepibus actus,
Vincla ſuis magnis animis abrumpit, & alte
Inſert ſe campi per cærula lætaque prata
Celſo pectore, ſæpe jubam quaſſat ſimulatam:
Spiritus ex anima calida ſpumas agit albas.

Sum-

Summis vero laudibus tollenda eſt aſinarum in fœtus ſuos caritas, ad quos per medios ignes penetrant, ut eripiant periculo, nec ullum ardorem flammæ pietas materna pertimeſcit; Tantum abeſt ut mulierum ſcelus, importunoſque mores imitentur, quæ partus ſuos interdum projiciunt: ne facinus horribilius eloquar, & cujus ſolam cogitationem mens mea reformidat. Sentio non defuturos qui doctrinæ omnis expertes aſinos eſſe contendant, & in nos velitentur arreptis ex trivio maledictis, quæ à pueris aviculiſque vulgo jactantur, *aſinus ad Lyram*, *aſinus ad tibiam*, & id genus quiſquiliis, atque ineptiis. Horum me certe miſeret, qui non animadvertunt ſe in apertum ſtultitiæ crimen incurrere, cujus alios inſimulant, dum adverſus aſinorum prudentiam ſtolidæ plebeculæ leviſſimis ſermonibus & teſtimoniis utuntur. Verum iſtuc, quicquid eſt quod objicitur, diluamus. Aſinus, ut ajunt, neque lyræ modulis afficitur, neque tibiæ cantu mulcetur. Sit ita ſane. Lyra delectatus eſt ſcilicet! Themiſtocles; & fortiſſimus ille Iovis filius, qui Linum præſtantiſſimum ejus artis magiſtrum, à quo erudiebatur, plectro interfecit, haut eo minus rerum geſtarum gloria floruit quod lyræ molles infractoſque nume-

numeros pro nihilo putarit. De tibia duo ſunt quæ reſpondeantur. Vnum, optimas ex aſinorum oſſibus fieri tibias; nec ejus rei contemptum vel inſcitiam vivis exprobrari oportere, cujus materia petitur à mortuis. Alterum, aſinos, ſi maxime tibiam negligant, ſe deæ ſapientiſſime exemplo tutari poſſe, cui tibia vehementiſſime diſplicuit: &, ſi Propertio credimus,

vado Mæandri jacta natavit
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.

Quod ſi quis acumine ingenii, & celeri mentis agitatione præditum eſſe neſcit; doctiſſimorum hominum, Origenis & Porphyrionis, fuiſſe condiſcipulum ignorat: vitiiſque putandæ rationem abroſo palmite vinitores primum docuiſſe: ob id lapideum aſinum Naupliæ grata poſteritatis memoria dedicatum; eademque de cauſſa Romæ aſellorum capita vite alligata fuiſſe in tricliniorum fulcris; ac liberum patrem eos in fidem ſuam & clientelam recepiſſe. Præterea, nullis hoſtiis æque litatur Apollini apud Hyperboreos, ubi

τέρπουσι λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.

inquit Callimachus: non quod inviſi ſint Aſini Phœbo, ut Cereri porca, & caper Baccho, ſed quod eſſe conſtet κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας, ſicut à Lyricorum principe nominan-

 minan-

minantur, quæ Apollini immolantur ut Iunoni pavones, & Veneri columbæ. Diis, inquam, aſinus cariſſimus eſt, nec ullum lætius feliciuſque augurium aſini occurſu, ut tritus Ariſtophani ſermo declarat, ὄνος ὄρνις. Teſtis ille qui C. Mario in ſumma rerum deſperatione ſpem ſalutis oſtendit, cum eſſet Minturnis in Fanniæ cuſtodia. Teſtis & alter cum Eutycho agaſone literarum monumentis nobilitatus Nicon, qui Auguſto in aciem deſcendenti obviam factus, certam ei de M. Antonio victoriam protendit. Liberatus variis, indigniſque calumniis aſinus, auribus adhuc tenetur, quarum magnitudo irriſione multorum immerito luditur, cum eadem in leporibus nequaquam reprehendatur. In promptu tamen eſt quod contra referam: Nimirum id aſinis vitio verti, quod à geographis univerſis quibuſdam nationibus, Scythiæque populis, uſui & ornamento tribuitur, quorum aures tam late patent ac diffuſæ ſunt, ut iis totum hominis corpus facile contegatur. Liceret etiam exclamare,

Auriculas Aſini quis non habet?

niſi mallem tenebricoſi Satyrici verſiculum leviter immutare:

Auriculas aſini quis ſanus nolit habere?

Legimus enim in Græcorum Commentariis, ἢ ἐπεὶ ὄνος μᾶλλον τῶν ἄλλων ζώων ἀκούει

ἀκούει πλὴν μυὸς : hoc eſt, nulli animantium, uno mure duntaxat excepto, acriorem audiendi ſenſum quam aſino largitam eſſe naturam. Vnde explicandum eſt quod in tegumentis fabularum à poëtis implicatur, Midam Phrygiæ regem aſininas aures habuiſſe: in quibus involucris latet hæc hiſtoria: Midæ omnia quæ à ſuis agerentur dicerenturve comperta explorataque fuiſſe, prudentiaque ac conſilio res ſuas ita compoſuiſſe, ut florentiſſimum beatiſſimumque regnum ejus extiterit. Hinc alia nata & ſparſa fama eſt, aurea ſolitum efficere quæcumque manibus contrectaſſet. Watereſſe nihil eorum video quæ aſinis objici ſolent præter vocem. Quam ut raucam & aſperam qui minus probant, meminerint, in Gigantum adverſus Deos pugna, inclinata jam deorum acie, ridentem Sileni aſinum rem reſtituiſſe, terribilique ac ſtentoreo ſtridore præterritos Titanas in fugam vertiſſe; Iovique plus in aſini voce tum præſidii quam in ægide & fulmine fuiſſe. Idcirco, parta conſtituaque victoria, Iuppiter tam bene de ſe & de diis omnibus meritum aſinum inter ſidera collocavit. Quæ cum ita ſint, auditores, ne quis veſtrum excandeſcat, ſi forte aſinus vocetur, non magis quam Cleanthes, qui cum ab iniquis aſinus appellaretur, placide re-

 ſpon-

ſpondit, quod nullam ſubeſſe exiſtimaret ei verbo contumeliam, ſe aſinum quidem eſſe, ſed qui ferre poſſet ſarcinam Zenonis. Longum eſſet faſtos Romanorum evolvere, ut inde Aſelli viri conſulares, Aſinæ prætorii, Aſelliones hiſtorici, Vinnii Aſellæ, Aſinii Galli, Aſinii Dentones, & Aſinii Polliones proferantur: quibus omnibus antiquiſſimis nobiliſſimiſque familiis id cognominis honoris cauſa inditum fuit. Præſtat huic aſininæ laudationi modum adhibere, ne copia rerum obruar: de quibus me garrientem verius, quam diſſerentem, minime mirum eſt ſi benigne & attente audiviſtis. Nam ipſum eloquentiæ lumen, ac prope numen, Demoſthenes, abalienatam à ſe, abeuntemque concionem, ſola aſini umbra revocavit; & ad aſinum, tanquam ad aſylum, ſummus orator confugit, ut languentes jacenteſque Athenienſium animos ad ſe benevole audiendum excitaret. Habetis orationem, ſi temporis anguſtias quibus urgemur ſpectatis, ſatis longam: ſin, exploſa imperitæ multitudinis opinione, rei dignitatem expendatis, nimium brevem: & in qua præſtantes ingenio viros, multiplici doctrina inſtructos, longoque uſu confirmatos, par eſſet omnem vim dicendi conſumere. Sed quia neque eruditione, neque uſu, neque orationis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

nis ubertate, abundamus, rem incompte & inornate complexi ſumus, ut ipſa, quæ ſimplici ſermone delectatur, veritas poſtulabat. Hanc ſi quis melius exornandam ſuſcipere velit, haud equidem invidemus, & illi majore artificio expoliendam, vel etiam calamiſtris inurendam, libentes relinquimus. Nobis enim ſatis eſt purgaſſe & aperuiſſe viam, ut ad interpretationem Plautinæ fabulæ, quæ ab aſinis nomen accepit, ſine ulla offenſione perveniremus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

IANI DOVSÆ F.
IN
LAVDEM VMBRÆ
DECLAMATIO
ET
CARMEN.

V. C.
IVSTO LIPSIO.

ET admiratio eruditionis tuæ, & beneficiorum erga nos frequentium recordatio tantum potuit, ut non ſolum ad grati animi ſignificationem animum adderet, ſed & viam ad hanc audaciam, ineptias tibi noſtras inſcribendi, præmuniret. Qui enim ita Philoſophiam cum politiori literatura conjungeres, & ut illius inexhauſti fontis perennes aquas per nitidiſsimos Eloquentiæ alveos derivares, & iſtos Adonidis hortos limpidiſsimis irrigares Sapientiæ rivulis, ſciebam te hanc opellam noſtram, quum & primo aſpectu arriſerit, propius inſpectam non rejecturum, quæ tum in ea diſciplina, quam philoſo-

phiæ

*phiæ ipſi, & imprimis divinæ illi, maxime convenientem dixit * Ariſtoteles, verſaretur, tum argumenti genere adhuc intentato luderet ad animi noſtri remiſſionem. Ac tametſi tenuioris operæ & pene abortivæ eſſet, tamen quum ſummos omni ævo & viros & Philoſophos iſtiuſmodi luſus ſibi permiſiſſe viderem, æquum fuit eam, ſive bona videretur, optimo doctiſſimoque viro inſcribi: ſive bonitatem eam per ſe tueri non poſſet, tenebrarum ſuarum caliginem nominis tui ſplendore diſcutere.*

QVod ſi ſummus orator Demoſthenes, quum in capitali cauſſa vix illis dicendi fulminibus, quibus Græciam permulcere dictus eſt, ſibi judicum attentionem poſſet impetrare, non aliunde quam ab umbra & ipſius quidem umbra aſini præſidium imploravit: neque mihi eam rem fraudi futuram ſpero, ſi maximorum virorum exemplo, qui muſcas, pulices, ſcarabeos, & iſtiuſmodi quiſquilias in cœlum ſuſtulerunt, aliquam & ipſe ſuper umbræ laudibus declamatiunculam inſtituero, quum inter eximios illos artifices, & Zeuxidis Parrhaſiique ad omnem æternitatem conſecrata,

* 12. *Metaphyſ.*

nomina, etiam Pyreicus celebretur. qui tonſtrinas ſutrinaſque & aſellos ac opſonia atque id genus vilia exprimendo ſummam adeptus eſt gloriam. Nec plus credo laudis meruiſſent imperiti pictores, ſi pulcherrimos homines deformiter expreſſiſſent, quam Pauſias aut Euphranor, ſi deformes pulcherrime. Neque vero ego, ut Myrmedices aliquis aut Callicrates, minutiſſimorum operum, ac tantum non viſum effugientium, fabricatores, in apum formicarumve perfectione elaborabo; ſed rem omnium latiſſime fuſam, & quæ pene cum univerſa hac inferiore rerum natura finium regundorum agere poſſit, ex jure manu conſertam in poſſeſſiones ſuas reſtituam, & terminos per contemptum vel invidiam propulſos vel exaratos reponam. Quum autem in vindiciarum actione antiquis obſervatum fuerit, ut in una gleba, quam inde attulerant, velut in toto agro vindicarent; idem mihi hoc tempore faciendum cenſeo, ut quum vix milleſimam pertem ac ne umbram quidem laudum umbræ attigero; in iis tamen ipſis, quæ in ſolum, quod dicitur, venient, tanquam in univerſa vindicem poſſeſſione. Sed jam tempus eſt vos in rem præſentem perducere, ut totam hanc de præſcriptionibus controverſiam accuratius cognoſca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

gnoſcatis. Quum vero omnis, quæ via & ratione procedit oratio, à definitione debeat proficiſci, placet ante omnia definire quid ſit VMBRA. Vmbram itaque nihil aliud eſſe ſtatuimus, niſi privationem lucis impeditæ ab opaco corpore.

* *Nimirum quia terra locis ex ordine certis*
Lumine privatur Solis, quacunque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit, uti videatur, quæ fuit umbra
Corporis, è regione eadem nos uſque ſequuta.
Semper enim nova ſe radiorum lumina fundunt,
Primaque diſpereunt, quaſi in igne lana trahatur.
Propterea facile & ſpoliatur lumine terra,
Et repletur item, nigraſque ſibi abluit umbras.

Ridebitis credo me in re tam nihili, & in ea re, quæ ne res quidem appellanda videatur, ſic omnium aures arrexiſſe, & taciti vobiſcum muſſabitis:

Quid dignum tanto dabit hic promiſſor hiatu?

At ſi penitius introſpicias, non ſecus atque in Silenis ſuis Alcibiades, divina omnia atque admirabilia reperietis. Vmbra enim, ſeu generis antiquitatem ſpectemus, nobiliſſima eſt: ſeu ingenium, acutiſſima; ſeu virtutem, fortiſſima; ſeu gloriam denique, honoratiſſima. (*a*) Ac de antiquitate primum videamus. Quum enim non ſolum inter Philoſophos ac Poëtas, ſed etiam

* *Lucret lib.* 4.
(a) PARS I. *De Nobilitate Vmbræ.*

inter Theologos ſatis conſtet à privatione & Chao omnia incepiſſe, & ante orbem conditum tenebras abyſſum opacaſſe Moſes ipſe teſtetur, atque hac ratione noctem die priorem extitiſſe dubium non ſit, quod & (a) Thales affirmabat, nox autem aliud nihil ſit, niſi terræ umbra, Vmbram rebus omnibus antiquiorem eſſe neceſſum eſt. id quod Achillis ſcutum depingentem principem Poëtarum (b) Homerum non latuit, neque Heraclidem Ponticum fabularum ejus diligentiſſimum interpretem, nec Orpheum quidem, qui in Hymnis noctem omnium antiquiſſimam appellat, & eandem alibi rerum cunctarum generatricem. ut optima ratione illi mihi feciſſe videantur, qui æquinoctiali circulo à nocte potius quam à die appellationem tribuerunt. At occurret mihi quiſpiam: quomodo umbra tum potuerit eſſe, quum lumen nondum fuerit, ſiquidem umbra ubicunque eſt, ibi eſſe & corpus & lumen oſtendit. cui pro me abunde reſpondebit (c) Baſilius: Solem quidem ac Lunam & illa cœli inſignia nondum fuiſſe, ſed ſpiritus & cœleſtes exercitus Angelorum in ea luce, cui nec ſtellarum fulgor, nec Solis claritas comparari poteſt, conſtitutos.

(a) *Aped Laert. in ejus vita.* (b) *Iliad. E.*
(c) *In Hexem. Homil.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tos. neque tenebras illas per ſe exſtitiſſe, ſed aliorum comites corporum cogitandum eſt. Itaque quod ad Nobilitatem attinet, videtis quâ origine glorietur umbra, ea videlicet, quæ ante omnem rerum originem fuit. Et quis parentes ejus aut genus invenire poſſit, quæ ante nata ſit, quam ille humani generis parens omnem occaſionem poſteris oſtentandi ſanguinis claritatem præripuiſſet? niſi forte Abſentiam, Vmbræ matrem fuiſſe dicamus: nam pater cum in cæteris fere incertus, tum hic incertiſſimus eſt; & abſurdiſſimum eſſet credere, quod tamen * aliqui prodere auſi ſunt, Tempore genitam, quum Tempus ipſam aviam ſuam jure poſſit agnoſcere. etenim & ab eo motu, qui à cœlo ſideribuſque conficitur, fluit tempus, & Vmbram Heſiodus Ætheris, Tibullus ſiderum eſſe matrem teſtatur. Quod ſi locum quoque natale requiritis, quandoquidem id vel inprimis ad Nobilitatem facere exiſtimatur; non illius primordia aut inſtabilis Deli aut mendacis Cræte finibus circumſcripta; ſed in ipſo primum, in ipſo, inquam, parturientis Naturæ ſinu eſt edita. ut veriſſime illi competat id quod Socrates ſibi falſo adſcripſit, qui mundanum ſe ferre & gloriari ſole-

* *Vt Heracl. Pont. in Alleg. Homer.*

bat. Nec per quoſdam infantiæ & pueritiæ gradus ad adoleſcentiam ac deinde ad juventæ maturitatem pervenit, ſed ſtatim totum hoc univerſum complexa ferrugineo ſuo pallio opacavit,

* *Quaque die partu eſt edita, magna fuit.*

(*a*) Iam quod ad ingenii laudem pertinet, certe ea apud vos omnes, qui in excolendo eo plurimum laboratis, quam maximum momentum habere debet. Cur enim non vel inprimis ingenioſam umbram dixerim, potiori certe jure, quam aut timorem Ovidius, aut gulam Petronius; cum illa ingenium non dormientibus, ut Parnaſſus, ſed vigilantibus ſubminiſtret? unde & præ cæteris εὐφρόνης id eſt ſapientis cognomine digna eſt habita à Poëtis. Hæc eſt, quæ Demoſthenem ad id eloquentiæ faſtigium eduxit, qui antelucanas fabrorum operas prævertere magna cum ambitione conſueverat. nec ingratum ipſum experta eſt, quum in ſanctiſſimo Iudicum conſeſſu ſeriis maxime rebus mentionem ejus intexere non fuerit dedignatus. Hæc mortales animos ſubducit in cœlum, ac velut inde contemplantibus trium nobiliſſimorum in rerum natura corporum amplitudinem detegit. Namque quum ſint tres umbrarum diverſitates;

* *Ovid. 5. Faſtor.* (a) PARS II. *De ingenio.*

ſitates ; conſtetque , ſi par lumini ſit materia, quæ mittit umbram, utique æqualem columnæ effigiem jaci, nec habere finem : ſi major, in turbinis formam diffundi,ut à cuſpide incipiens in latitudinem creſcat; ſi minor materia opaci quam lucidi corporis , metæ exiſtere effigiem in mucronem deſinentis : cumque talis umbra cernatur deficiente Luna : hinc primum Mathematici conſtantiſſimis rationibus nixi collegerunt , ut nulla amplius dubitatio relinquatur , terram à Sole magnitudine ſuperari, atque ab illa Lunam. neque enim hæc poſſet in metam noctis incurrere,quæ ipſa multis partibus minor terra eſt , niſi plurimum hujus magnitudini cederet. Eadem quoque formam telluris , quaſi in ſpeculo, oſtendit mortalibus : quum enim illi tympani Leucippus,trapezii Anaximenes,Heraclitus ſcaphæ, cylindri Anaximander figuram tribuerent ; & cavam Democritus, planam Empedocles exiſtimaret : illa velut mediam ſe interponens juſto cum univerſis ſacramento contendit , & æquitatis fiducia ſatis freta Lunam in eam rem, quamvis infeſtiſſimam ſibi , arbitram cepit ; quæ veritatis & oculorum teſtimonio victa litem ſecundum ipſam dedit , terramque rotundam eſſe pronunciavit. Vmbra enim , quæ corporis ſui figuram

imita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

imitatur, & in Lunæ deliquio obſcuratam ſemper à lucida partem abſoluta circuli rotundatione ſecernit, Sphæricam eſſe telluris ſuperficiem declaravit. Sed & ſitum ejuſdem, de quo non levis controverſia inter Philoſophos fuit, evidentiſſimis rerum argumentis patefecit, ac duplici ratione in medio univerſi poſitam hominibus demonſtravit; * tum gnomonum umbris, quæ in æquinoctiis orto & occaſo Sole in eandem rectam lineam congruunt, tum Eclipſium indicio, quæ etiam in locis Soli non oppoſitis, terra extra medium conſtituta, viderentur. Nimis exigua adhuc dixi. neque enim illa Solis amplitudinem modo, ſed excurſus omnes, ſeu in dextram attollatur, ſeu in ſiniſtram devergat, permenſa eſt. illa ſegmentorum æquidiſtantiam, quæ turbinata vertigine funiculi inſtar in ſpiram collecti ſibi mutuo adhæreſcentia ſtellarum altitudinem monſtrant, illa analemmatum rationes invenit, illa dierum noctiumque atque horarum dimenſionem Mathematicis oſtendit. Nam & Sciothericis etiam nomen dedit. Quin & Eccentricorum ſubtilitatibus cauſam præbuit. Eſt enim Sole Cancrum luſtrante, ubi ſupremam aſida conſtituunt Aſtrologi,

**Vtriuſque rei demonſtrationem pete à Theone in lib. I. μεγ. συντάξ cap. 4.*

logi, productior, brevior hieme circa brumalem circulum, ubi proximum terræ ſidus quum ex opticorum demonſtrationibus conſtet: ſi opacum corpus lucido opponatur, tam magis umbram in longum diffundere, quam magis à lumine removetur. Quæ obſervatio & ad defectuum moras pertinet. ſiquidem æſtivis menſibus acutiore umbra Lunam hebetari, brumalibus contractiore compertum eſt. Idque ipſum maxime (*a*) Peripateticos quoſdam ad Eccentricos, quibus tamen acriter renituntur, admittendum invitos coëgit. Quid? de umbræ ingenio in cœleſtium rerum inveſtigatione quod dicamus, nihil eſt præterea? imo maxime. Nam quum Sol irrequieto lapſu per orbem ſuum diſcurſans, licet eundem ambitum reciproco ſemper volumine metiatur, tamen tum propter (*b*) appulſus ad Æquatorem propriores aut ab eodem receſſus, tum propter variantem earum ſtellarum, quas fixas dicimus, progreſſum, ægre ad certas metas & quaſi carceres quoſdam aſtringi poſſit, ideoque nec certa anni quantitas liquido definiri: umbra non indignam ſe judicavit, cui pulcherrimæ rei diſceptatio deferre-

(a) *Vt Averroem in 7. de Cœlo comment. 32.*
(b) *Mutationem maximarum declinationem intellige.*

ferretur, quæque exactiſſimam ejus temporis rationem, quo Sol ad eadem Signiferi diverticula revertatur, oſtenderet. itaque, cum tempore meridiano alicujus diei ex Sciothere in planiciem cadens lineæ ſuæ extremitatem certo termino deſignaſſet; ad eandem notam non niſi Sole ad idem Zodiaci ſcruplum reverſo rediit; dieſque & horas toto hoc temporis ſpatio elapſas velut digito indicavit. Huic igitur ſoli tribuendum videtis, quod mens hominis in hunc corporis carcerem conjecta eo uſque ſeſe attollere atque alas primogeniæ ſuæ divinitatis potuerit reparare, ut dædalæ rationis ſubvecta remigio ad ſpatioſi illius ætheris campos, & ad cœli potius quam ad Cumarum templa penetraret. Et tamen, quæ tam diligenter cœli plagas ac cœleſtium corporum dimenſiones ſcrutatur, optime ſibi cavit ab eo convicio, quo anicula quædam Thaletem perſtrinxit. Quis enim credat eorum curam negligere, quæ ante pedes ſunt, & in hujus inferioris mundi diſquiſitione verſantur, qui ſciat, quemadmodum * terræ univerſæ ambitum ex umbrarum diſcrimine ac proportione ad ſuos umbilicos collegerit; ut

cœli

* *Vide Cicom. libr. 1. cap. ult. Vide Ptolem. lib. 2. μεγ. σωντάξ. cap. 5. & 6. & Theonem. ib.*

cœli inclinationes ſuas,quæ climata & parallelos vocant, Soliſque metas & temporum viciſſitudines continent, unicuique loco aſſignarit; utque in ipſo Lunæ deliquio ex horarum differentiis locorum interſtitia computare conſueverit? ita ut non minus in cœlo terreſtrium, quam in terra rerum cœleſtium rationes exquirere videatur. Quid quod rerum humanarum faciem immutat hominum cauſſa, profligataque luce cœli tectum nobis pulcherrime laqueatum ac ſupremas illas imagines repræſentat? Quum enim oculos non alii uſui,quam ad cœli palatium ſuſpiciendum, datos hominibus dixerit Plato, fruſtra certe nobis tot pulcherrimarum rerum ſpectaculum Natura paraſſet, abſque hac Editrice & quaſi Muneraria fuiſſet. Adhæc quis tam bardus, ut non ſentiat hanc varietatem & diſtinctam tenebrarum viciſſitudinem jucundiorum multo & gratiorem efficere lucis uſuram? Quod igitur Solem laudant, æquo animo ac libenti accipimus, dummodo ſciant: id ipſum,ut laudari poſſit, umbræ eſſe tribuendum. id quod & Heſiodus intellexiſſe videtur, ubi diei ortum atque natales ad noctem refert. Ita enim movetur umbra, ut, poſt terras Solis ardore vexatas, eaſdem modo his modo illis partibus opacet. Neque vero

metuen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

metuendum eſt, ne quis hac lege cum ea experiatur, quæ adverſus deſides & otioſos ab Athenienſibus lata eſt; ſiquidem haud unquam quieſcit; ſed cum Solis progreſſu ſemper mobilis altitudinem ejus ac celeritatem converſis anni temporibus imitatur, cumque eo non minus circumagitur, quam flos ille qui ab ea ipſa converſione nomen accepit: ut non immerito alas ei veteres affinxiſſe videantur. Inter quæ omnia moderationem ejus ac modeſtiam admirari licet: nam & iis, quos videt beneficio ſuo maxime indigere, diurni vaporis damna noctium opacitate compenſat, & his, quibus Sol remiſſior incumbit, ſub noctem brevius decurrit: atque ita frigoris & caloris modum temperat, ut, quum ſub Æquatore partitis vicibus dimidiam fere anni partem tenebræ occupent, ſubpolares contra regiones vix trimeſtri ſpatio Solis ac crepuſculorum luce deſtituantur. nam ſi abſque hoc eſſet, quis aut ſub frigidis plagis hyemem aut ſub torrida æſtus toleraret? Quorum omnium recordatio facit, ut Ægyptios magnæ arguam inſcitiæ an ingratitudinis dicam neſcio: qui cum aſpidem & ſcarabeum, hunc quod rotundam ſphæricamque materiam ceſſim in contrarium impellendo Solis Symbolum repreſentet; illam, quod ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

motum nullis utens inſtrumentis ſe facili lubricaque convolutione contorquens ſideri comparetur, utrumque divinis honoribus conſecrarint; umbram, quæ tam lubricas ſiderum obambulationes non modo aſſequuta eſt, ſed & Solis ac Lunæ magnitudines dimetiendo & quaſi ad libellam ac normam expangendo cœli ipſius interpretationem ſibi vendicavit, ita penitus extra numerum habuerint: quæ tamen ipſos Pyramidum menſuram citra funiculi aut decempedæ præſidium edocuerat in plano. Sed optime injuriam ſuam ulta eſt umbra, cum certis anni temporibus, ut Sole ad lineam ſupra caput permeante, penitus ſui copiam Ægyptiis denegaret; quæ loca ἄσκια id eſt ſine umbra dixerunt veteres. His adde quod ſi magni Reges immortalitatem ſibi paratam putavere, quod de ſuo nomine quaſdam herbas appellaverint; quanto præclarior præſtantiorque umbra exiſtimari debet, quæ non herbæ uni aut floſculo; ſed hominum, quadrupedum, piſcium generi nomina à ſe dederit? Primum enim orbis univerſi incolas triplici umbrarum genere deſtinxit. Amphiſcios in zona torrida collocavit, quibus meridiana umbra, ſi tamen ulla eſt, nunc ad Septeptriones, nunc ad Auſtrum procedit. Periſcios in frigidis, inde dictos, quod

eorum

eorum à Solis vertigine incertæ umbræ molarum modo circumagantur. Heteroſcios in temperatis,qui alteram ſolum habent,Arctoam vel Auſtrinam. Quin;& regnum ſibi peculiare ſub ipſa torrenti plaga, ubi tamen minime illi locus eſſe videtur, conſtituit;nempe apud Sciopodas populos, ſeu quis *Vmbripedes* malit dicere, ita appellatos,quod in majori æſtu jacentes reſupini umbra ſe pedum protegant, quos toto corpore majores habent. Nec in ea re hominibus ſolis eſt gratificata, ſed & beneficium hoc cum quadrupedum genere communicavit: inter quæ animalculum Sciurus(ſic dictum à cauda villoſiore,qua ſupra dorſum reflexa ſub dio pro tecto utitur) ea eſt ſollertia, ut in maximis Solis fervoribus ad frangendum calorem inſtar pavonis erecta cauda ac patula ſeſe opacet & inumbret. Et quis Sciænam ſeu Vmbram piſcem expetitum unice divitum menſis ignorat? ſive à colore id nominis adeptus ſit; ſive à celeri ſuo natatu, quo aciem oculorum effugiens umbra piſcis magis, quam verus piſcis intuentibus appareat; ſive potius à lineis quibuſdam obliquis & obſcuris à dorſo deſcendentibus, quæ aliarum videantut umbræ. Vt ut ſit, calculos quos hic piſcis in capite gerit, collo appenſos,colico dolori abigendo præſentiſ-

ſima

ſima remedia eſſe volunt medici. Cæterum & ſolennibus in conviviis Paraſiti, honorificum olim nomen, qui venirent non ipſi quidem vocati ſed comites eorum qui vocati fuerant, VMBRAE dicebantur: id quod à Socrate natum exiſtimant, qui Ariſtodemo perſuaſerit, ut invocatus ſecum ad Agathonis convivium accederet. Accidit autem Ariſtodemo ridiculum quiddam. Siquidem cum inter eundum non ſentiret Socratem à tergo relictum, prior ingreſſus eſt, plane velut umbra corpus præcedens lumine à tergo ſequente. Sed & homines, quum homines eſſe deſinunt, in umbras abire creduntur. & fratrum illa ſors tertia, regnum inquam Plutonis, non niſi umbris conſtat. Quin Scenæ olim, cum è ramis & frondibus conficerentur, ita ſunt ad umbris appellatæ, & VMBRAE apud Feſtum vocantur Neptunalibus caſæ frondeæ, pro tabernaculis & nox ipſa apud Poëtas Vmbræ nomine ſæpiſſime deſignatur: eamque ab Homero θοὴν, id eſt acutam, appellatam Heraclides Ponticus tradit; non tam quod curſu acuta ſeu velox ſit, quam quod figura ejus in acutam lineam & quaſi mucronem terminetur. Prorſus; ſicut in fabulis, quidquid Midas tetigiſſet, aurum erat; & ut illa apud * Perſum optat, *quidquid calca-*

* *Sat.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

calcaverit hic, roſa fiat; ita, quidquid umbra contigerit, etiam ejus appellationem ſortitur. Nam & huic architecti Sciographiam; & pictores inumbrationes ſuas acceptas ferunt. Itaque maximum illud in pictura, quod, quo loco ſuperficies turgeant, quove in cavum recedant, flexuſque omnes corporum & declinationes appareant, umbrarum adminiculo pictores efficiunt, & earum aptiſſima temperatione in rerum natura quaſi alteram naturam adumbrare conantur, inter quos Pauſias ſpectatam poſtea in Pompeii porticibus boum immolationem ea gratia fecit, ut eam deinde imitati ſint multi, æquaverit nemo. idque hac potiſſimum ratione, ut tradit * Plinius: Quum enim alii, quæ volunt eminentia videri, candicantia faciant, coloremque condiant nigro; hic totum bovem atri coloris fecit, umbræque corpus ex ipſa dedit, magna prorſus arte in æquo exſtantia, in confracto ſolida omnia oſtendens. Sed quid mirum, cum huic artis totius debeatur inventio? Siquidem picturam ipſam primum repertam umbra hominis lineis circumducta, in confeſſo eſt.

Atquæ hæc quidem ſatis ad ingenii commendationem eſſent, niſi id clarius multo in futurarum rerum præſagiis eluceret.

* *Lib. 35. cap. 12.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ceret. Quod ſi Beroſo ob divinas prædictiones ſtatuam inaurata lingua Athenienſes publico in gymnaſio poſuerunt, quæ hujus divinitate, quam tot ſæcula comprobarunt, digna ſtatua reperiri poſſet, niſi eam ipſi magnificentius multo, & quidem in cœlo, erexiſſet? ibi enim vitas, fata, fortunaſque mortalium moderatur. Nam & morbum letalem eſſe indicat ejus anni, quo in alicujus genitura deficere coëgerit Lunam, ac multo magis, ſi id eo in loco qui vitæ index eſt, quem Græci Aphetam, Barbari Hylech vocant, contigetit * & ſi quando eandem in cardinibus genituræ obnupſerit, certum aliquod infortunium nato portendit; utque diu ante præviſum conſilio poſſit averti, menſem diemque ex defectus ipſius ſpatio colligendum præmonſtrat. ut interea taceam, (a) quantam vim in natalium aſtrorum obſervationibus obtineant, quamque multos ſiderum effectus ſignificationeſque ab aſpectibus non indicatas patefaciant ea quæ ἀντίσκια appellant Aſtrologi, adeo ut eorum ratione ignorata quamplurimis erroribus ſe involvant, qui de cœtu poſituque ſtella-

* *Vide Pontanum in Ptol. Centil. Enunt. 24. & 96.*

(a) *Vide Firmicum lib. 2. cap. 32. & Pont. in Ptol. Cent. Enunt. 78.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſtellarum futura prædicunt. (*a*) Magna ſunt hæc ingenii decora, quæ audiviſtis. accipite nunc virtutis, propemodum in ſuo genere non leviora. Neque enim rem leviculam aut contemnendam eſſe umbram judicabit, qui conſideret, quantopeꝛe ſe adverſus eam Luna munierit. Ante omnia autem ſummus ille architectus optime conſtituit, ut Sol multis partibus terram magnitudine excederet. Quod ſi enim adeo exiguus eſſet ad orbem terrarum, quam oculis videtur, ut cenſuit Epicurus, vix unquam Luna lumen haberet, niſi omnino propinqua Soli: ſed & ille ipſe *limbus pictus bis ſex ſignis Stellimicantibus*, ut Varro inquit, cœlumque tot luminibus diſtinctum, quotidie deliquium paterentur. Quare cum umbra ita ſit in arctum redacta, ut audiviſtis; nondum tactum redacta, ut audiviſtis; nondum tamen ſatis ſibi ab ea cautum exiſtimat Luna, ſed ne uſpiam in eam cogatur incurrere, fluxuoſo draconum meatu inæqualis, paulumque à Solis & umbræ orbita declinans, curſus ſuos nunc in Auſtrum, nunc in Septemtriones detorquet: unde & TRIVIA dicta, teſte (*b*) Varrone, quod præter duos illos motus, qui in Sole ſpectantur, etiam in latitudinem moveatur. quod niſi face-

(a) PARS III. De Virtute.
(b) *Lib. 6. de Ling. Lat.*

faceret, numquam non defectioni eſſet obnoxia,

(a) *Menſtrua dum rigidas coni perlabitur umbras,*

inter quam nunc ad minimum quinque ſemper interjici menſes neceſſe eſt. Sed cum neq; hac cautione umbræ ingruentis definito tempore inſultus poſſet eludere, ſaltem ut maturius evaderet, quoties neceſſitas incidiſſet, ita ſe comparavit, ut in omni oppoſitione & (*b*) altiſſimum deferentis ſui locum obtineret, &, præter reliquorum ſiderum naturam, motu quam velociſſimo citaretur. Tamen, quum & tam cautam adverſariam nacta ſit, & hanc ipſam tam raro aſſequi poſſit Vmbra, numquam cum ea conſerit manus, quin victoriam conſequatur. Terra namque in medio ſita, cum umbræ ſuæ pyramide longe ultra Lunarem globum exporrigatur, ſi eam in ipſis ſignorum articulis, aut intra dimidium dimetientis umbræ ſpatium deprehenderit, tantiſper occupat, donec illa eluctata per horas plurimum tres, aliquando quatuor, vix evadat. Nec Luna ipſa, quamvis minime muliebri ceſſet ignavia, & quaſi in-

(a) *Lucret. lib. 5.*
(b) *Ex Ptolemæi Hypotheſi loquor, licet à Copernico emendata.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſi injuriam ulta erepti luminis (*a*) Solem ipſum obſcuret ac demat nobis, ulla ex parte retaliationis æquilibrium ad amuſſim in eo perpendere aut æquiparare poteſt. Primum, quod tam parvum ſidus ignem adeo vaſtum non niſi raro, & paucis, & ad exiguum tempus poſſit auferre. deinde, quod in Lunæ defectu lumen non opinatione ſed re ipſa extinguitur, in Solis dumtaxat impeditur; ut ſignificantius *obſtaculum* dici poſſit, quam defectus. tertio quod ille ubique locorum conſpicuus ſit, quæ quidem hoc orbis hemiſphærio continentur: Solis autem illis tantummodo, inter quos & ipſum Luna interponitur. tum, quod ille univerſis hominibus eodem temporis puncto videatur, hic vero minime. poſtremo, quod Lunæ deliquium omnibus locis ex æquo duret: Solis, quoniam major aliis, aliis minor portio tegitur, nequaquam. Sed quo non invidia pervadit? etiam hanc umbræ gloriam, cum in Luna veneficia argueret, detrahere ſunt conati mortales: & inter illos ipſos venatores inveſtigatoreſque naturæ, (*b*) alius defectum fieri perſuadere conatus eſt cœrula Lunæ parte ad nos obverſa: (*c*) alius rotę ore, quo, velut per

(c) *Inter Solis & Lunæ defectum quintuplex diſcrimen.*

(b) *Beroſius.* (c) *Anaximander.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

per guttur, occultum exſpirat ignem obturato: * alius corporum quorundam ſublunarium objectu: (b) nonnulli per ſcaphæ, cujus formam Lunæ dederant, converſionem. Neque id profecto mirandum; cum videamus, quo quidque magis arduum & in excelſo poſitum, hoc vehementius ab omnibus invidiæ ventis circumflari. Præaltam autem umbram eſſe nemo ibit inficias, qui norit eam ad Mercurii uſque globum pertingere: in quam ne incideret, multo ſibi ille melius, quam Luna, conſuluit, callidus alioqui & verſutus, qui, Solem nunc antevertendo, nunc ſequendo, nunquam ab eo XXIX. partibus longius diſcedit. Neque objiciat hic mihi quiſpiam; umbras à Pyramidibus Ægyptiis, quarum ultra omnem altitudinem, quę quidem hominum manibus confici poſſit, faſtigiata eſt excelſitas, vinci; cum nihil tam ſit illis contrarium, quam ignis: hæc autem figura, quod paribus angulorum lateribus ab imo in acumen deſinens flammæ ſpecie in conum extenuetur, in elementorum compoſitione igni adſcribitur à Platone. Quod tamen ipſum de Pyramidum nullis umbris Ammiano ac Solino traditum in controverſiam merito vocari poſſit ex illo * Plinii,

* *Anaxagoras.* (b) *Alcmæo & Heraclitus.*
(c) *Lib. 36. cap. 12.*

Plinii, ubi inquit: *Menſuram altitudinis Pyramidum deprehendere invenit Thales Mileſius, umbram metiendo, qua hora par eſſe corpori ſolet.* Atqui id ibi ſingulis diebus bis contingit, quando Sol ad quadrageſimumquintum gradum aſcendit. itaque illud de umbris tantum meridianis, aut paulo poſt meridiem intelligendum eſt. At neque illud poſſum ſilentio præterire, quantum Sciamachiæ, ſeu umbratili pugnæ veteres tribuerint, cujus & Cicero aliquoties mentionem facit, & Satyram eo nomine inſcriptam à doctiſſimo Romanorum Varrone conſtat, & à medicis recenſetur inter exercitamenta, quæ intenſione carent & violentia. Vnde & lepida fabella conficta eſt de eo, qui cum umbra ſua inimicitias exercebat, atque ita cum illa, quaſi cum hoſte, colluctabatur. & apud Ovidium bellua illa, cui Andromede erat expoſita, *

— ut in æquore ſummo
Vmbra viri viſa eſt, viſam fera ſævit in umbram.

Et quid quæſo aliud quam umbratilis pugna eſt hodie eorum laniſtarum, qui digladiandi artem profitentur? qui omnes numeros impetendi cedendique, vulnera inferendi ac declinandi, ubi cæſim, ubi punctim

ctim

* *Metam.* 4.

ctim feriendum, in umbra & ab umbra ediſcunt; quæ poſtea non modo in Solem atque pulverem; ſed ubi uſus venerit, in ipſum diſcrimen aciemque perducent. quod & umbra ipſa egregie præſtitit pro Romanis, quum inſignem victoriam in nocturno prœlio contra Mithridatem Pompeio peperit; ita ut potentiſſimus Rex denuo non in mari,ſed in umbra gloriæ imperiique naufragium faceret: acie conſtituta, ut Ponticorum quidem oculos adverſa Luna præſtingueret, Romanis autem à tergo in occaſum devergens commilitaret:quo factum ut per errorem Pontici longius cadentes umbras quaſi hoſtium copora impeterent, ipſique, telis ſemper citra cadentibus,conſpicui Romanis & illuſtres & occulto jaculantibus offerrentur. Videtis, quanto plus in bello valuerit objectum illud umbræ velamentum, quàm paulo ante fulgor ille auri atque argenti, quo inſequentium ſe Romanorum aciem præſtinxerat Mithridates,in id tantum ut vivus poſſet evadere. itaque hoc ad ſalutem duntaxat, illud etiam ad victoriam profuit. quo eodem ſtratagemate poſtea haud minus feliciter contra Vitellium uſus eſt Veſpaſianus. Nec minore cum hoſtium detrimento ante utrumque eorum, quos dixi, umbræ ac tenebra-

rum, officium contra Iugurtham expertus eſt Marius. Siquidem cum Numidæ crebris ignibus factis plerumque noctu more ſuo lætarentur, exultarent, ſtreperent vocibus, quæ cuncta Romanis per tenebras facilia viſu erant, plurimum hoſtium imperitia confirmatum ducem quam maximo ſilentio eos invaſiſſe, & omnes fuſos fugatoſque, pluresque eo prœlio, quam ſuperioribus omnibus, interemptos refert Salluſtius. Iam meridiano Sole clarius liquere exiſtimo, ut hoſtes ignis detexerit, Romanos umbra protexerit. Quare ipſam ita, Varron. verbis inflexis, alloqui lubet:

* *Non ſubſilis ac plaudis, &*
Ab Arato poſcis aſtricam coronam ?

nunc etiam à Romanis civicam; ut illa victoriæ, hæc defenſionis, virtutis utraque ſit ad poſteros monumentum. (*a*) Atque hactenus quidem ea fere, quæ ad umbræ ipſius interna bona, ut ingenium, induſtriam, ſagacitatem, ac fortitudinem, pertinebant, abſolvimus. quibus virtutibus in pretio certe ac dignatione ab omnibus haberi meruit, & habita eſt, iis præſertim ſæculis, quibus neque virtuti honor, neque bonis artibus ſua præmia defuerunt. cujus rei vel hoc certiſſimum argumentum eſt, quod platanus antiquis, umbræ

* *Sat* γνῶθι σεαυτ. (*a*) PARS IV. De honore.

ſolius gratia, tantum non ex alieno petita orbe, atque inter primas Italiæ donata, ad tributarium etiam pertinuerit ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra penderent. Quod tamen Imperatores Romani (ut vel hinc colligatur, qualis umbræ fuerit prærogativa) æquiſſimo animo tulerunt, nec ullum ſupplicium in eos, qui iſtam venderent, excogitarunt; cum tamen Thurino tam male ceſſerit, quod fumum vendidiſſet, ut eo ipſo Alexandri Severi juſſu ſit necatus. at quis umbra enecari potuiſſet tam placida ac amœna? niſi forte taxi arboris, ſub qua cibum ſumſiſſe aut obdormiviſſe letale eſt. certe ejuſdem non potuit. Hinc platano tantum poſtea acceſſit honoris, ut non niſi mero infuſo eam enutriri fas eſſe putarent. Sed & Xerxes ille, cum montes claſſibus pervios, maria equitibus feciſſet; in Lydia integrum diem juxta proceram platanum, caſtris circa arborem poſitis, commoratus eſt; ex eaque torques & armillas auro gemmiſque fulgentes ſuſpendit; ac diſcedens ei curatorem reliquit. Iam neminem ignorare exiſtimo, quanta ambitione olim Dii ipſi, ac poſtea Imperatores Romani, menſibus nomina à ſe dari cupiverint, quamque id à paucis & quam ægre ſit impetratum. Nam inter illos Venus & Iuno utroque pene menſo Iunio at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

que Aprili excluduntur: inter hos Domitianus & Commodus aliique complures extortum quidem metu, dum viverent, honorem, poſtquam occiderant, recentibus odiis amiſerunt; qui tamen umbræ jam per duo annorum millia & amplius abſque ulla controverſia eſt continuatus; ſiquidem menſis σκιῤῥοφοριών, qui Majo noſtro reſpondet, ſive, ut * alii cenſent, Iulio, ab umbellis ſeu umbraculis nomen invenit; ea enim σκιῤῥὰ appellant, quæ ex arce Minervæ ſacerdos ſollenni pompa cum Neptuni & Solis flaminibus certum in locum deportabat ædificandi argumento. Præterea quid aliud lucis religionem conciliavit, quam umbra, utpote nomen inde ſortitis, quod non luceant? unde Virg.

Lucus in urbe fuit media lætiſſimus umbra.

Hæc illis priſcis mortalibus fuerunt numinum templa. Nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulachra, quam lucos & horrore ſecreto venerabiles umbras adorarunt. unde & Euclio ille Plautinus, ambigens ubi aurum reponeret, Sylvani luco magis confidit, quam Fidei templo. ut non immerito *Fatalem umbram* inter Deos poſuiſſe videatur (a) Chryſippus. Nec quiſquam velim hoc nomine umbram reprehen-

* *Ioſ. Scaliger lib. 1. de emend. temp.*
(a) *Cic. 1. de Nat. Deor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

prehendat, quod Marcellus Octaviæ filius ea ſit abuſus: qui forum, quod Cato muricibus ſternendum cenſuerat, velis inumbrauit; cum nihil hominum generi tam ſit utile aut neceſſarium, quod non aliquando in abuſionem trahat perverſa mortalitas. Quin & gloriam nihil aliud eſſe quam virtutis umbram appetentiſſimus gloriæ (*a*) Cicero ipſe teſtatur: & omnes philoſophos de aſini umbra inter ſe digladiari (*b*) Lucianus eſt auctor. & *umbræ ſomnio* Pindarus; ac *fumi umbra* Æſchylus, pulcherrime uterque, humanam conditionem expreſſiſſe videntur. Verus enim homo animus eſt; corpus autem, ut Plato in Menone adſeverat, non homo, ſed hominis umbra & receptaculum. & quod ſi diligentius res noſtras pertractemus, propemodum agnoſcemus ferme omnes in eo Platonis ſpecu poſitas; ut tantum umbræ ac rerum ſimulachra ſeſe averſis ac conniventibus nobis offerant, res ipſæ lateant, minimeque ſub manum veniant. Quam multos enim hodie eſt invenire, qui Æſopici canis exemplo umbram corpori præferant? Quod ne & in nos retorqueri poſſit, finem dicendi faciemus; id unum prius vos obteſtati, ut, ſi qui nævi hic occurrerint, ſub umbra iis liceat deliteſcere.

(a) *Tuſcul. 1.* (b) *In Sectis.*

IN EANDEM REM CARMEN.

PROSOPOPOEIA VMBRÆ.

ÆMVLA *Dis, Diviſque prior; Diva ipſa futura,*
Me niſi perpetuum tenebris damnaſſet opacis
Iam Deus à prima creſcentis origine Mundi,
Quum Solis radios & cœli accenderet ignes,
Illa ego ſum terreni imitatrix corporis Vmbra,
Cœleſtiſque inimica: mihi ultima Tartara parent,
Plutoniſque domus, Atlantæique receſſus.
Neu proavos quæras, primamve ab origine gentem,
Ipſa tero membris ſemper redeuntibus ævum.
Atque mihi proprio vires reparantur ab hoſte.
Dant vitam, queis vitam adimo: nutricia præſtant,
Queis ego quotidie exequias & funera duco.
Maxima Naturæ populis arcana retexi,
Sideraque & vaſti laqueata Palatia cœli
Admovi aſtrorumque choros mortalibus oclis.
Quod tenebræ luces, quod lux optata tenebras
Excipiat, noſtrum eſt: requiem præbemus amicam
Omnibus, alterno recreantes frigore terram.
Quin &, dum nigris orbem circumvolo pennis.
Muſarum quicunque ſacris doctæque litarunt
Palladis, ingenii condunt monimenta, viamque
Affectant liquido ſuper aurea ſidera cœlo.
Per me Pyramidum quondam faſtigia menſus

Dicitur

Dicitur eſſe Thales. per me, (a) qui fulmine linguæ
Fregit Alexandri patrem, ſibi judicis aures
Attentas fecit. nec me tam credere vilem,
Quam videor, par eſt, & me Narciſſus amavit.
Cæteraque ut deſint; quantum eſt, oſtendere cœli
In terris faciem? quid, quod neque cætera deſunt.
(b) Seu formam aſpicias, non me Cepheia virgo
Pulchrior, aut blando vates dilecta Phaoni.
(c) Seu rapit attonitum generis te fama vetuſti;
Ante fui, quam tempus erat ſeu pectora tangit
(d) Ingenii ſollertis honos: mihi Cynthia, fratre
Cum nitido, & magni debent præcordia mundi,
Naturæ in latebris penitus penituſque repoſta,
Detecta eſſe oculis per me mortalibus ultro.
(d) Sive es mirator rerum; mirabere noſtras.
Nempe triumphatum Ponti de Rege ſuperbo
Præſidio unius noſtro quis neſcit? ego ictus
Suſtinui cunctos, quum tu, Romane, lateres,
Illuſtrem ex tuto jaculis dum conficis hoſtem.
Haud aliter molem clypei ſeptemplicis unus
Oppoſuit ducibus Teucriſque ruentibus Aiax.
Et tamen huic pugna, ſi verum quæris, in illa
Plus laudis merui. clypeum nempe ille: ego memet
Hoſtibus objeci; & quod plus mireris, inermem.
Nec virtus hæc una mea eſt. ſcit Flavius olim
Se mihi te victo multum debere, Vitelli:
Scit Marius, fuſis Numidis, captoque Iugurtha.
Quin ducibus magno ſtetit ignoratio noſtri.
Quos inter (f) Niciæ, qui, claſſem educere portu
Dum pavet Actæam, magico cantamine victum
Credens roriſluæ vultum intabeſcere Lunæ,
Cecropias afflixit opes, quæ Martia corda
Romuidum ſimili faceret trepidare tumultu,

(*a*) Demoſthenes. (*b*) Forma Vmbræ.
(*c*) Antiquitas. (*d*) Ingenium. (*e*) Virtus.
(*f*) Plin. lib. 2. c. 12.

Docti animos niſi firmaſſet ſollertia Galli.
Quid referam, quantos uſus mortalibus ægris,
Quos pecori præſtem? quis non umbracula, quis non
Audivit gratas platani potantibus umbras?
Munere quis noſtro Phœbæam lampada neſcit
Villoſæ ſylva caudæ prohibere Sciurum?
Quin, quibus uſque pedum Titan defenditur umbra,
Vmbripedes populi, qua Sol violentior arva
Æthiopum recta deſpectat cuſpide, noſtrum
Agnoſcunt meritum. Quin & decus addimus illi,
Quidquid Apellæi gaudent animaſſe colores.
Vtque artis pars nunc tantum, ſic decuit olim
Tota mihi, ad radios quum circumſcribere Solis
Humanam docui propria ſub imagine formam.
Sed taceo: ne, quod reprehendit Tullius, omnes*
Falſæ gloriolæ videar ſectarier umbras.

* Orat. in Piſone.

IN

IN PICAM

ORATIO FVNEBRIS.

Neque fruſtra quicquam & in uſum humanum omnia produxit natura. Itaque tametſi pica non tam eſt eſui, quam perdix, nihilominus voluptatem homini magnam conciliat. Neque enim avis eſt hac, præter pſittacum, ulla docilior, quæque ad noſtrum ſermonem accedat propius. Vnde per proverbium nonnulli tanquam picæ garrire dicuntur. Hujus porro animalis elegantias ex hac Oratione non ſine voluptate percipite.

QVAENAM aut Stentoris vox, aut Q. Catuli facundia verbis ullis dolorem, quem picæ meæ mihi adfert interitus, unquam poſſit exprimere? Equidem perpetuo lacrymaturus poſthac videor, Auditores, quanquam veſtrum pauci fortaſſe miſericordiam mihi tribuunt. Sed quis unquam picam aut loquaciorem noſtra, aut ſuaviorem vidit? Nihil enim non perdiſcebat, tantumque fabulabatur, ut ſervorum nequitias interdum proderet. quo factum eſt, ut eam illi tandem loquacitatis pertæſi fame necarint. Quod cum com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

comperiſſem, lingua quidem illos verberavi, ſed brachiis, quoniam infirma ſunt, parcere ſum coactus. Ceterum quid ego non tum facere, tum pati, hanc ut avem mihi compararem, ſuſtinui? Certe non ſemel & Thulen & Phaſin, ſola ejus fama percelebri commotus, luſtravi. Quid quod, ut à priore illam domino redimerem, tum Apellis Venerem, tum Ialyſum Protogenis, tum Cleopatræ uniones, tum alia illi precioſiſſima dona obtuli. tandem quidem jam non ſine maximo diſcrimine ſum conſuetus. Atque ea cum naſceretur, non pauca cælitus extitere præſagia, quemadmodum ab iis, qui tum interfuere, cognovi. Nam & arcus triumphales, coloſſi, pyramides, trophæa, coronæque multis in aëris locis apparuerunt; & cometa ſplendidiſſimus Orientem verſus fuit conſpicuus; & volucres omnes concentum edidere ſuaviſſimum. O beata, quæ picam protuliſti meam, regio! major ſiquidem tibi de hoc animali gloriandi ſuppetiit occaſio, quam vel Smyrnæ de Homero, vel de Pyndaro Thebis, vel Mantuæ de Virgilio, vel de Catullo Veronæ. Vnde porro tantam poſthac delectationem capiam? unde tam lethalis vulneris remedium ſumam? Nemo me poſthac hilarem, etiamſi vel cervi ætatem vel corvi imple-

implevero, conſpiciet. Sed plura nunc hac de re verba non faciam, poſteaquam graviſſimus mihi dolor & ingenium perturbat, & memoriam corrumpit, & ſermonis adimit uſum, neque me calamitates meas ex animi mei ſententia verbis complecti permittit. Dixi.

FINIS.

CASPA-

CASPARI BARLÆI

ORATIO DE ENTE RATIONIS,

Habita in Auditorio Theologico cum Logicam auſpicaretur, IV. *Non. Febr. Anni* 1618.

QVemadmodum citharœdi præluſiones ſuas in anteceſſum populo dare ſolent, tibicines in tibiarum inflatione τὸ ἐνδόσιμον ordiuntur, oratores à prooemio auſpicium faciunt, poëtæ prologum in ſcenam præmittunt, adeoque ſua cuivis ſolenniori operi præit παρασκευὴ; eundem quoque ad modum in profeſſionis Logicæ anteceſſum quaſi præcinere, præludere, ac præfari inſtitui; ne ſuo quoque apparatu careat hæc noſtra inauguratio, aut ſolus damnaſſe videar morem tot clariſſimorum virorum exemplis veluti lege comprobatum. Verum ne ſeria magis apud vos loqui, quam præludere videar, nequaquam de rebus moroſis, aut ſplendidis, aut obviis verba faciam, etiamſi moroſum forte vobis vi-

bis vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

bis videbitur, & venuſtatis omnis expers argumentum. Etenim cum hactenus, quotquot vel legere vel audire contigit Oratores, de rebus omnes dixerint, ego, ut novitate aliqua vos afficiam, de nulla re dicam. quid ſtupeſcitis? nec tamen de nihilo. Dicam tamen. at quædam ſubtilius, quia aliter ſe tractari non patitur id, de quo dicere inſtitui; quædam ad delectationem, ne ſuo condimento noſtra oratio, veſter animus honeſta careat refectione, plurima vero ad eorum utilitatem, qui Philoſophiæ ſacris operantur. Deſideratis opinor orationis meæ cognoſcere argumentum. Nondum dicam. Libet enim paulisper vobiſcum in atrio & periſtyliis orationis oberrare. Poëtæ fabulas vix triobolares modo admiranda carminis majeſtate illuſtriores reddunt, modo incredibili dictionis ſuavitate veluti nectare ac myrothecio perfundunt, lectori ut placerent, quas feciſſent fabulas. Viri Oratores priſci juxta ac recentioris ævi res nauci & umbra aſini viliores ſæpenumero laudibus dedecantare amant, & ingenii pariter ſui ac eruditionis ſpecimen circa illa edunt, quæ in Velabro teruncio emas, hoc glorioſum arbitrati, ſi è re viliſſima maximam laudem conſectarentur. Murium & ranarum pugnam ante tot ſecula luſit Homerus,

Culi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Culicem & Moretum Virgilius, nucis miſeram ſortem Ovidius. Eſt qui muſcam laudavit Lucianus, qui comam Dion, qui calvitium Syneſius. Non deeſt qui porcelli teſtamentum conſcripſit, cujus D. Hieronymus meminit; qui Grylli cum Vlyſſe Dialogum, & aſini aurei infandam calamitatem. Inter recentiores de laudibus anſeris dixit Iulius Scaliger, de umbra Ianus Douza. uterque in re, naturæ quidem placita, at exigua ingentes ingenii ſui laudes explicavit. Heroem Polypoda, quem Græci φθεῖρα vocant, erudita diſſertatiuncula æternitati conſecravit Vir clariſſimus Daniel Heinſius. Idem num Philoſophi poſſint in ſuis experiri libet. Sed experiri tantum. neque enim tantorum virorum egregios conatus exæquare noſtræ opis eſt. Propoſui de Ente rationis, ejuſque natura ac indole dicere. Quod ipſum ſi Metaphyſicorum more facere aggrediar, inter nubes Socraticas verſari, & ignoto multis ſermone loqui videbor, aut caballiſtica myſteria reponere: ſin oratotorum ſtylo, rem inceptabo arduam & novam,

Vnde prius nulli velarunt tempora Muſæ.

Quare mixto dicendi genere utar, & cum thema mihi ſumpſerim philoſophicum, dicam quamplurima quæ ex intimis Philo-

ſophiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſophiæ penetralibus deprompta res diffi-
cillimas expedient. Cumque apud eos mi-
hi dicendum ſit, quorum alii dicendi fa-
cultate excellunt, alii his ipſis artibus de-
lectantur, omnes vero orationem potius,
quam Philoſophicam διατριβὴν expectant,
ita dictionis meæ filum moderabor, ut ea
quæ dicturus ſum à Philoſophia, modum
quo dicturus ſum, aliunde petita eſſe intel-
ligatis. Vti enim jejuna eſt exſucca oratio,
ſalutaribus Philoſophiæ præceptis deſti-
tuta, ita putida eſt Philoſophiæ, quæ cum
Iavello, Scoto, Lombardo, βαρβαρίζειν,
quam cum politioris ſapientiæ principibus
recte loqui mavult. Vos auditores animos
advertite, & quod in Agyrtarum facitis
concionibus, ac ludis circulatoriis, quoties
ſaccarias iſtas artes excutiunt ingenioſi
impoſtores, attentum nobis ſilentium
commodate, donec de Entium Rationis
natura, origine, parentibus, antiquitate,
commodiſque diſſeruero.

* Ens nomen eſt barbarum, ſic fictum
à Philoſophis, non linguæ Latinæ igno-
rantia ac penuria, ſed conſulto. Licet
enim huic hominum generi ὀνοματοποιεῖν,
& voces fingere, ut res planiores dent.
Atque hoc jure freti, quod tamen nullo
Principum edicto aut Imperatoria facili-
tate

* *De vocabulo Entis.*

tate obtinuerunt, ſed velut αὐτοκράτορες uſurparunt ipſi, in Scholas dimanarunt Scoti hæcceitates & quodlibeta, Iavellicum ly, Thomæ aliorumque quidditates, formalitates, inſtantia, ubicationes, communicantiæ, realitates, modalitates, ſuppoſitalitates, aliaque Ciceronis ſeculo inaudita nomina. Hæc inter Ens eſt, vox licet minus Romana, tamen hoc cum Agamemnone populorum principe commune habens, * quod ſit εὐρυκρείων, hoc eſt, late dominans, aut ſi Horatium mavultis interpretem, late tyrannus: cujus tanta eſt amplitudo, ut ne quidem illis, quibus ſolis curſus, terminis claudatur; tanta evidentia ac perſpicuitas, ut vel balbutientibus infantibus conceptum ſui primo omnium ingerat; tanta antiquitas, ut cum antiquiſſimo dierum ætatem ſuam computet. Verum rationis Ens cum dico, nonnihil majeſtati veri Entis derogo, & licet plus quam nihil dicam, parum ultra id, quod non eſt, dico. Eſt enim hoc Ens ingenioſæ mentis perutile figmentum, & veri Entis ſimulacrum quoddam ac imago, nec exiſtentiæ aliam μορφὴν, præterquam quæ fingitur, habens. Philoſophi lata ſignificatione (a) Secundam notionem, non Primam, vocant.

* *Ejuſquè amplitudine, evidentia, antiquitate.*
(a) *Ens rationis quid ſit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vocant. Hæc enim ipſiſſima ac genuina eſt rei imago, atque exiſtentiæ extra mentem in mente repræſentatio. Illa vero mentis conceptus eſt ac fœtus ejuſmodi, cujus extra illam in univerſo nec vola eſt nec veſtigium. Et cum prima omnium noſtrum de rebus ſit cogitatio, hæc circa hanc ipſam occupatur, & altera eſt mentis velut παρέκβασις & digreſſio. * Magna eſt materiæ primæ excellentia, ſi cum hoc ipſo Ente comparetur. Et tamen illam puram potentiam vocat Ariſtoteles. Atomi quid ſunt? corpuſcula inſectilia, quæ volitantibus in ſolis lumine pulviſculis comparare ſolent Philoſophi. At his minus id eſt, de quo loquimur. Puncta Mathematica ne quanta quidem ſunt, ſunt tamen; nec à mente dependent. Hoc ens nec ſine mente eſt, & cum per mentem eſt, ne res quidem eſt. Lineæ Appelleæ, quæ miraculo fuere toti mundo, tantæ fuiſſe dicuntur ſubtilitatis, ut viſum pene effugerent, ac videbantur tamen. Hoc Ens nemo oculis vidit unquam, niſi forte tam Lynceus, ut ea quoque per tenebras videat, quæ nuſquam apparent. (*a*) Atque ob hanc pene οὐδένειαν deſpectiſſimum eſſe cœpit, iis omnibus, qui præter hoc alia

omnia

* *Quam debilis ejus ſit eſſentia.*

(a) *Quam in nullo apud quoſdam precio.*

omnia admirantur & ſuperſtitioſe curant. Qui de rerum Natura ſcripſerunt, & æthereæ pariter, ac elementaris regionis opes chartis explicuerunt, hujus nuſquam meminerunt. Metaphyſici ſcientiis hoc ſubſterni velut prætorio edicto cavent. Logici omnibus prædicamentis, ſed ſociis partibus integrantibus, punctis, momentis, totaque arte factorum congerie additis, miſellum embryonem, exulare jubent. Ambroſius Calepinus vir de quovis argumento breves diſcurſus faciens, ſilentio quoque hoc ipſum præteriit, & num mas ſit, num fœmina, num neutrum, nuſquam expedit. Cum vero artificum & operariorum tanta ſit ubique locorum copia, quanta vel æſtivo tempore in campis cicadarum, nemo tamen horum in hoc entium genere artis ſuæ documentum dedit unquam, cum & ſordidam lanam ſint qui tractent, & in bovis tergore ingenioſe luxurietur ſutor, & in vilibus Oceani conchis ſe torqueat argentarius. Ipſe rerum opifex Deus omnia cum conderet hoc ipſum non condidit, id unum veritus, ne ſi non * Entia crearet, contradictionem imprudenter implicaret. Et Plato qui omnium

* *Cum nec accidens ſit nec ſubſtantia, nec inter tranſcendentia.*

omnium rerum ideas eſſe dixit, hujus ullam extare non dixerit. Nolite mirari Audit. Cum enim omnia vel ſubſtantiis vel accidentibus definiantur, hoc Ens neutrum eſt. Amplius dicam. De Tranſcendentibus multa audiviſtis diſſerere Philoſophos, qualia ſunt Ens, Vnum, Verum, Bonum, Res, Aliquid. At hoc ens bonum non eſt, quia verum non eſt: verum non eſt, quia unum non eſt: unum non eſt, quia Ens non eſt. At idem cum ente eſt res & aliquid. Magis mirabilia audite, de quibus nec in Tuſculanis quæſtionibus diſputat Cicero, nec in moralibus ſuis Plutarchus. * Super hæc tranſcendentia finguntur Supertranſcendentia, opinabile, cogitabile, intelligibile, auguſta vocabula, ad quorum recitationem aſſurgat ipſe de curuli ſella Cato, aut ſtupeſcat C. Marius. Inter hæc num referri poſſit ſedulo diſquiritur. Non referri debere, niſi adhibitis circumſpecte diſtinctiunculis aliquot, omnes clamant. Adeo in ejus perniciem cuncta conſpirant. Quamobrem cum Ens voco, aut contradictoria ipſe loquor, aut ὁμωνύμως verum dico, uti hominem pictum hominem dicimus. Nebulas Ariſtophanicas legiſtis opinor. His ſimile quid habet, evanidam nempe nec ſtabilem natu-

* *Aut ſupertranſcendentia locum mereantur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

naturam. Qui ſomniorum generationem capiunt, norunt, opulentiſſimos & feliciſſimos ſæpe ſibi videri ſomniantes. Pariter qui hæc entia fingunt, dum fingunt, magnum aliquid ſe moliri credunt, ac plus Homero ſibi ſapere videntur, cum umbras ſolummodo rerum captent, & imaginaria cœna ſtomachum deludant. * Nec minus tam tremendæ interdum ſunt eſſentiæ, ut Hircocervus, Chimæra, Cerberus, Geryon, Minotaurus vocentur, modo tam debilis, ut cæcitas, vacuum, tenebræ, privatio dicantur, modo tam nullius, ut qui exempla horum daturi ſunt, purgatorium, Platonis rempublicam, Apuleji aſinum, ac univerſalem omnium Eccleſiarum Epiſcopum Pontificem é pergula pictorum depromant, modo tam variæ, ut his caſus, declinatio, figura, aliis theſis, hypotheſis, ſtatus, aliis ſubjectum, prædicatum, ſpecies, aliis æquator, horizon, polus (cogor reſpirare,) aliis par, impar, impariter par, aliis aliis vocetur nominibus, prout quiſque rebus ſuis expedire novit. quæ omnia in occulto erant tunc, cum rebus ſingulis nomina imponeret protoplaſtus Adamus.

Ne tamen vos vocis fallam æquivocatione, ſcitote à Philoſophis quædam Entia Ra-

* *Ejus varietas.*

tia Rationis ſic dici, quia à ratione formantur, qualia ſunt ea, quæ primo Epigrammate recenſet Martialis: quædam quia in ratione ſive mente velut domicilio alte reſident, uti ſunt ſcientiæ omnes, & rerum conceptus genuini: quædam quia ſoli menti objiciuntur, nec, ſi cogitare de iis deſinat mens, quicquam uel in mente vel in univerſo ſunt. Illa Scholaſticis Entia rationis effective, iſta ſubjective, hæc objective, dicuntur, habita argute paranomoſias ratione. De his poſterioribus nobis ſermo eſt. Quæ ſubtilius philoſophantes in * Entia Negationis, Privationis, & neſcio quas relationes ac denominationes extrinſecas diſtinguunt. Ens Negationis Pegaſus eſt, adeoque totus ille Deorum poëticorum cœtus tam frequens, ut turbam ipſam vix capiat cœlum, tametſi capaciſſimum. Ens privationis eſt Claudius Cæſar, ſed ea corporis parte, qua Druſillam euntem in cœlum ſequitur non paſſibus æquis. Entia Relationis ſunt Præmiſſæ & Concluſio, aut ut vetera reponam, Antiſtrephon, Ceratine, Crocodilites, Vtis, Pſeudomenos, Cacoſyſtata, Aſyſtata, aliæque monſtroſæ ac terribiles Stoicarum argumentationum formæ. Quæ quidem

* *Species tres.*

omnia in hoc conveniunt, quod cum vera eſſentia careant, ad ſimilitudinem tamen rerum concipiantur: in hoc autem differunt, quod Entia negationis in univerſo nihil ſint; privationis, rem connotent perfectione ſua deſtitutam; Relationes vero ex varia rerum inter ſe comparatione effingantur. Atque inter has primas tenent eæ relationes, quæ vocabulis technicis exprimi ſolent, & ſecundæ notiones preſſe dicuntur, quas modo umbræ de gnomone in ſcioterico ſparſæ, modo monetulis illis æreis inſtitutorum, quarum cum nullum ſit precium, aurei tamen nummi ad eas expenduntur, comparere ſolet B. Keckermannus; ſedulus horum entium coordinator. qui in Logicis ſuis inſtitutionibus per tot hæc ipſa Entia diſſecuit διχοτομίας, ut qui in charta eas, ſed ſine inteſtinis ac ornamentis, hoc eſt, ſine commentariis depinxerit, imaginem ſe videre jurabit iſtius exercitus, quo Alexandro occurſavit Darius Perſarum Rex. Tanta illic horum Entium copia, ut vix plura Helleſpontum cum Xerxe capita trajeciſſe credam, aut tot Ægyptum vexaſſe locuſtas, aut Mario conſule profligatos Cimbros. Ita cuneus cuneum, phalanx phalangem, acies aciem premit, quarum omnium dux primipilus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

eſt Terminus. Diceret Socrates in pulverem ipſum ſecuiſſe. Ego laborioſum viri otium ſuſpicio, non carpo.

* Sed quoniam non perinde multis notum eſt, quo genere prognatum ſit Ens rationis, id jam Muſis bene juvantibus exponere conabor. Non ego hujus Entis, licet ſpurii, natales ad Rheam, ad Venerem, ad Iovem, Martem, aut id ſimile genus minime caſtorum numinum referam, quia qui primi ejus parentes, nec ex annalium memoria, nec ex patrum noſtrorum traditione habetur. Quod cum expedire me non poſſe ingenue fatear, gentem, familiam, ordinemque indicabo. Multum enim intereſt, utrum purpuratis regibus, an cucullatis ſacerdotibus, an lucernariis Philoſophis ortus ſis. Natum eſt Ens rationis non unius ſed varii ordinis parentibus, unde & iſtud varium ac multiplex. Alia Mathematicus, alia Grammaticus, alia Rethor, alia Poëta, alia Logicus, alia aliarum artium ſibi finxerunt profeſſores, quos omnes philoſophorum laxo nomine complector. Quid ni? ipſe Homerus in Margite terræ foſſorem ſapientem vocat, eodem opinor jure, quo Eumæum ſubulcum divinum (δῖον) appellat. Maximam tamen horum partem

 ſibi

* *Quibus natum ſit parentibus.*

ſibi Logicus vendicat, qui non leve ad capeſcendas ſcientias præſidium fore putavit horum Entium formationem. Gloriatur apud Homerum Pallas ſe Mentem eſſe Antilochi filium: & hodie ad nobilitatem vel id inprimis intereſſe putant, qua familia, qua ſtirpe originem trahas. At hæc noſtra Entia eo hominum genere ſe nata gloriantur, quorum maxima eſt per univerſum terrarum orbem famæ celebritas. * Mathematicis, inquam, qui radio totum orbem gentibus deſcribunt, aut ſi quando terram faſtidiunt, inter aſtra ipſa & cœlos habitant, & ſtellarum numerum, magnitudinem, diſtantiam, tanquam pollice filove metiuntur. (*a*) Oratoribus quoque, quorum tanta ſubinde in dicendo vis eſt ac dexteritas, ut (ac ſi parum foret res laude dignas deprædicare) Buſiridem ipſum, Therſiten, Phalariden, injuſtitiam, quartanam febrim, aliaque malorum nomina laudare, (*b*) ſi velint, poſſint. Poëtis; quorum tanta ſubinde divinitas pectus occupat, ut poëtæ cum eſſe incipiunt re Deo agitante incaleſcere, homines eſſe deſinant. (*c*) Grammaticis, quos licet ingeniorum puerilium carnifices quidam per odium vocent, ego tamen omnibus

* *Mathematicis.* (*a*) *Oratoribus.* (*b*) *Poëtis.* (*c*) *Grammaticis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

bus ſapientiæ numeris perfectos eſſe arbitror. Quod ipſum ne ſine ratione à me dici putetis, rotunda & veterum fulta principiis argumentatione evincam. Qui bene cæpit, dimidium facti habet. Progredior. Dimidium plus toto, Qui Grammaticam didicit dimidium facti habet. Ergo qui Grammaticam didicit plus habet toto. At totum quo contenditur à literarum ſtudioſis Sapientia eſt. En ergo Grammaticum ſapientem. * Dixi, à Logicis quoque formari Entia rationis. Sed de his parce mihi loquendum video, ne immodicus proprii ordinis laudator habear. At qui hi? rationis ſunt directores, veri & falſi judices, ſine quorum arte capiuntur Theologi, errant Phyſici, palabundi incedunt Medici, cæcutiunt non raro Iure conſulti, adeoque omnes diſciplinæ ac artes velut Ariadneo filo deſtitutæ,

Errabunda legunt dubio veſtigia greſſu,

(*a*) Atque hos omnes Philoſophos eſſe dixi. genus hominum ab eruditione, curis & acri cogitationum agitatiõne pene exangue,

E tenebris tantis tam claram attollere
lucem
Qui primi potuere augentes commoda
vitæ.

* *Logicis.* (a) *Aliiſque Philoſophis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Licet eos dicaciſſimus Ariſtophanes ſolius Socratis odio hoſtiliter inſectatus fuerit, & ſceleſtiſſimus Lucianus auctione publica viliſſimo ſubinde precio tanquam ſub haſta diſtraxerit. Certe Platonis magis hic ſtandum elogio, qui beatas fore reſpublicas ajebat, ſi aut imperarent Philoſophi, aut Imperatores philoſopharentur. τούτων πατέρων εὔχεται εἶναι.

* Verum cum apud Phyſicos variæ ſint rerum productiones, aliæque per generationem, aliæ per accretionem, aliæ per alterationem gignantut, hoc Ens nullo horum modorum producitur. Non per generationem, quia ſubſtantia non eſt, non per accretionem, quia quantum non eſt, non per alterationem, quia qualitas non eſt. niſi quintam ejus quis ſpeciem comminiſcatur. Localis adhæc mutationis expers eſt, licet ad (a) Angelorum & ſpirituum modum definitive ſit in loco, hoc eſt, non coëxtendatur partibus cranii, aut cum in Ariſtotelis reſidet cerebro, in Platonis reperiri non poſſit, aut, ut planiſſime loquar, cum Platonis occupat ſinciput, occiput deſtituat. Quare produci & fieri hæc Entia cum auditis, rurſus ὁμωνύμως me loqui cogitate. Non itaque ad horum

* *Quis Modus productionis.*
(a) *Quomodo in loco ſint, definitive ſcil.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

horum formatione argilla aut luto Promethei opus non Leucippi ebore, aut metallorum principiis, quia in mente ſola, & in mente finguntur, eademque hic patris, matris, obſtetricis officia ſunt. nec tamen vel de mentis ſubſtantia ſunt, vel prorſus ex nihilo fiunt, ſed ex rerum attenta obſervatione in mente efflореſcunt. Sic è cerebro ſuo Palladem olim genuit Iuppiter, licet hoc diſcrimine, quod hæc non niſi obſtetricante ſecuri Vulcania in lucem edi potuerit, illa vero Entia minus periculoſo partu nec ruptis cerebri panniculis per ſolam vocem in apertum erumpant. Sed exemplis horum generationem illuſtriorem reddamus. Chimæra Ens rationis eſt, πρόσθε λέων, ὀπιθέντε δράκων, μεσσόντε χίμαιρα. Libet interdum Græcos verſus intertexere, ut hirundinum in morem biſulcem quoque mihi linguam eſſe ſciatis.*At ubi quæſo terrarum tale monſtrum paſcit alias monſtrifera tellus? Nuſquam. At quod nuſquam eſt, vel ipſo Auguſtino Theologo teſte, non eſſe putandum eſt. Fingit tamen hoc ens ratio, ac ſi eſſet, & ex ſimplicibus, quæ natura committere exhorruit, audacula unum facit. (*a*) Tenebras quæ mens concipiat? cum

* *Quomodo Entia negationis formentur.*

(a) *Quomodo Privationis.*

omnis cognitio intellectualis à ſenſu originem ducat, hæc vero in ſenſum non incurrant, ne quidem aquilæ, aut Epidaurii ſerpentis, niſi forte eas in Luna ſedens Menippus oculis aſſequatur, quoties terrę umbram illa excipit, aut animæ, quæ in ſpecu Platonico rerum umbras pro rebus admirantur. Mens tamen noſtra ut eas concipiat, neſcio quam illis formam ſpiſſam, caliginoſam & nigricantem inducit, ut ſub hac ſaltem imagine apprehendat, quas ſub propria concipi impoſſibile erat. Iam vero Genus & Species quid ſunt? Non ſunt. * Vult tamen ea eſſe mens, & dum in animalis natura meditabunda hæret, eam leoni, equo, piſci communem eſſe obſervat, imo ut communis ſit ipſa facit. At neque ex hoc altero mentis conceptu ſic quicquam rebus ſolidi aut perfectionis accedit. Nec enim rectius valet animal ſi genus eſſe fingas, nec pejus, ſi non fingas. Profecto lamiarum artes exerceri putes, & magicos vultus pro veris reponi. Vti enim illæ ſpectris ſolummodo & præſtigiis nos ludunt, quoties Æneam, Hectorem, Andromacham oculis ſpectatorum ſiſtunt, ita & mens noſtra vere præſtigiatrix eſt, & dum circa horum Entium non entium productionem ingenioſe ſomniat,

Mor-

* *Quomodo ſecundæ notiones preſſe ſic dictæ.*

Morphei domum adornat, & novam rerum cudit Metamorphoſin. Scilicet poſt creatum à Deo hoc univerſum illa quoque potentiam ſuam explicare voluit, & creatoris ſui æmula novum quaſi orbem meditari, in quo aliud creaturarum genus non invidendam prioribus eſſentiam, hoc eſt, fictam & exanguem, prorſus ſortiretur.

* Quanquam autem aut nulla, aut ficta ſolum huic Enti ſit eſſentia, tanta tamen hoc ipſum fœcunditate naſcitur, ut cum aliis omnibus rebus definitis ſit in natura quoad ſpeciem numerus, huic ſine fine ac modo naſci datum ſit. Cauſam hanc eſſe autumo, quod ea omnia, quæ in natura generantur, à primæva creatione legem hanc acceperint non multiplicandi ultra ſpecies, quæ vero rationis ſunt Entia, in infinitum augeri & multiplicari poſſint, utpote nullis Creatoris ſui legibus adſtricta, uti numero ſemper unitatem addi poſſe tradidit Ariſtoteles, & lineam in infinitas partes reſolvi. Ea enim vis ſoli inter omnes creaturas menti conceſſa eſt, ut ſupra ſe ipſam reflectatur, & de cogitatione cogitationem formet, plane uti à Sole parelius, ab hoc ipſo alius refulget parelius, ab iride iris, ab hac tertia iris;

* *Quanta horum Entium ſit fœcunditas, & quæ ejus cauſa.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

aut uti projecto in aquam lapillo circulos poſteriores ex prioribus naſci videmus. Nomen cum finxit mens, ſubjectum eſſe concipit, ſubjectum ſpeciem eſſe dicit, hanc terminum facit, terminum extremum vocat hoc majus vel minus extremum, hoc cauſam cognoſcendi. Enunciationem ubi fecit ratio, finitam eſſe concipit, finitam categoricam judicat, ſupra hanc univerſalitatis conceptu reflectitur, ex hoc puram Enunciationem elicit, hæc porro meditanti propoſitio fit, hæc definitio, hæc ipſa principium vel concluſio demonſtrationis; atque ita meditando finem ſuæ meditationis non habet; ſed uti araneæ ex tenui ac gracili corpuſculo telas indeſinenter trahunt, ita dædala architectrix ratio ex ſemet ipſa imagines alias ſupra alias format fingitque.

Sed tempus eſt, ut de horum Entium dignitate, antiquitate & commodis nonnihil dicam. Sed confuſe hęc omnia, ne aciem inſtruere videar, aut ulmos in quincuncem digerere. Profecto dignum & excellens aliquid ſit oportet, in quo occupari ſuperis, inferis, cœleſtibus, terreſtribus, & inter hos ſapientiſſimis, doctiſſimis, ſanctiſſimis non indigna res viſa fuit. Ab ipſo Iove, quia auſpicatum hoc, ordiar. Etenim ii, qui de rebus divinis diſputant, & Deum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Deum, quem univerſitas non capit, tribus ſolent explicare chartis, quoties objecta ſcientiæ divinæ definiunt, inter alia Entia ſcitu poſſibilia, quæque unico intuitu novit Deus, etiam hæc ipſa entia rationis locant. * Tota Angelorum cohors, quoties peccatorum noſtrorum recordatione afficitur, toties Entia privationis meditatur. Ipſi Dæmones quot peccandi formas, quot nocendi artes inſtillant, tot ἀνομίας fabricant. Verum (ut ad Homeri exemplar relictis ſuperis ac inferis in terras dimigrem) quotuſquiſque mortalium eſt, qui non in his entibus verſari amat, ſive dormiens aureos montes ſomniat, ſive vigil optat nec invenit. qualis fuit Micyllus ille Lucianicus, cui niſi Galli cantus dives illud & aureum ſomnium abrupiſſet, non erat cur aliam optaret felicitatem. Plauſtra mendaciorum quoties congeri auditis, toties plauſtra horum entium vectari credite, quorum agaſo eſt fama. Qui ſtupendis ac prodigioſis gaudent eventibus vel audiendis vel narrandis, cui quæſo arti, quam huic noſtræ operam locant, cujus tanta eſt ſuavitas, ut quo à vero abſunt longius, eo & credantur lubentius & jucundiore prurita titillent aures. Pontificii quam ſuaviter ſibi blandiuntur, dum pœnarum in

* *Quæ Entium rationis ſit dignitas.*

purgatorio tempora velut clepſydra metiuntur. Alcumiſtæ, qui novis & arcanis artibus rerum ſpecies vertere moliuntur, Ens illud rationis ſibi fingunt, cujus rem invenire etiamnum deſiderant. Adde his quadraturæ circuli inveſtigatores anxios, eoſque omnes, qui eſurire malunt, quam non fingendis Entibus operam dare. Plato quam altum ſibi ſapere videtur, dum Ideas cogitat, & equinitates, bovinitates, & aſineitates ſuas contemplatur. Et Ariſtoteles dum motores orbium facit intelligentias. Poëtæ ſi in hac arena ſe non exerceant, minus poëtæ, hoc eſt, nimis ſerii videbuntur. Tota Ilias & Odyſſea quid habent, quam eruditam horum entium farraginem, à quibus tamen ita inclaruit iſte nugarum pater, ut de patria ejus contenderint

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Ios, Argos, Athenæ.

Virgilius, qui Æneidem ſuam filis Homericis texuit, quam feliciter ſæpe mentitur, quum Æneam per Elyſium nemus ad ſuperos reducit, ſed ea porta,

Qua falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes.

Tranſmutationes ſcripſit ingenioſiſſimus Naſo. Sed hæ fere omnes entia negationis ſunt. dico fere, nam cum cæcitatem

Tire-

Tireſiæ, & detractam Marſyæ cutem, & ſine veſte Dianam canit, Entia privationis facit. Sine his quoque Entibus vix quicquam jucundi ac faceti habent Vatum monumenta. Quis ille γελωτοποιὸς Vulcanus, qui ſola recti inceſſus privatione querulæ Junoni riſum movit? quis Silenus, Pan, Priapus, Satyri, Najades & Hamadryades, tantum ad jocos & facetias comparata nomina? Hujus certe ordinis ſunt & ocioſæ mentis erudita figmenta. quæ quantum æſtimaverint priſci, vel ex hoc uno patet, quod vaſtam cœli machinam, cujus periculoſiſſimus foret lapſus, ficto Atlante, hoc eſt, Rationis ente, libraverint. Quod ſi ea intueri libeat Entia, quæ vocabulis technicis exprimi ſolent, jam Palæmonem, Didymum, Donatum, ac vetuſtiſſimos ſapientiæ magiſtros, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, Themiſtium, Theophraſtum, totamque Philoſophorum turbam in medium producam, qui ex his Entibus æternam nominis memoriam conſecuti ſunt. Et ſi ſacri magis placent, Auguſtinus, Damaſcenus, Hieronymus, & Chryſoſtomus de his ipſis præcepta dedere. * Ex quibus de horum Entium antiquitate judicium quoque ferre licet. neque enim χθὲς καὶ πρώην nata ſunt, ſed cum antiquiſſimis Philo-

* *Antiquitas.*

Philoſophis nativitatis ſuæ ſupputant primordia. Promethei ſæculum noſtis. At huic Plato in Philebo laudem tribuit inventorum præceptorum Logicorum. Et veriſimile omnino eſt horum Entium ope diſputaſſe acutiſſimum Salomonem. (*a*) Qanquam vero Pythagoræi; teſte Ariſtotele, nulla vi Dialectica inſtructi philoſopharentur, tamen ex horum ſecta fuit Empedocles, qui Rhetorum artem his notionibus inſtruxiſſe perhibetur. ut nihil jam de Chryſippo dicam, qui plures de rebus Logicis conſcripſit libros, quam Sol anni ſpatio conficit parallelos.

(*b*) Cum autem Deus, Natura, Ratio, nihil fruſta faciant, ſed ſuos ſingulæ ſibi proponant fines, etiam operæ precium erit videre, quid ad hæc rerum imitamina Rationem impulerit. Ac primo quidem innatæ nobis cupiditati, qua in cujuslibet ſcibilis ſcientiam fertur intellectus, ſatisfactum oportuit. Parum enim menti viſum fuit, ſi rerum ſolum cognitionem adipiſceretur; in ipſus quoque negationes ac privationes aciem curioſa intendit, quas cum per ſe noſſe non poſſet, rebus ipſis aſſimilavit. Deinde cum res in natura omnes pro innata ſibi virtute ſuos edant effectus,

(a) *Lib. 13. Metaph. cap. 4.* (b) *Neceſſitas & utilitas.*

effectus, Intellectus quoque noſter, ne degener habeatur mundi accola, ſuæ quoque potentiæ documenta dare voluit. Accedit, quod ſubinde ea fingere neceſſe habeat mens, ut res minime diſtinctas diſtincte concipiat, cum aliter earum ſibi parare notitiam ne poſſit quidem. (*a*) Quid? quod per omnes ſcientias ac artes ſeſe diffundat horum Entium utilitas uſque adeo, ut ſine his tenebræ illæ ſint, ingeniorum tortura, atque inordinata rerum congeries. His ſermo noſter à barbarie & vocum ſtribligine tanquam à ferrugine ferrum vindicatur. Iamque dudum miſere occidiſſet Priſcianus, niſi irruentes in ipſum barbarorum inſultus ſuſtinuiſſet Grammatica. Ab his eam capit vim Rhetorum dictio, ut vel cœlo poſſint deducere Lunam, & regum flectere ſupercilia. Hujus ordinis ſunt Exordium, Propoſitio, Narratio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio, quæ ampliſſimum dicendorum exercitum diſponunt. Duces Alexandri Magni mihi enumerare videor, aut eos, qui Agamemnoniam claſſem διεκόσμεον ἔνθα, καὶ ἔνθα. Rurſus Græciſare incipio, quia de Græcis forte loquebar. Quid toties Romanorum roſtra, detinuit, flexit, terruit? hyperbole fuit, exclamatio

(a) *Tum reſpectu ſcientiarum in genere, tum in ſpecie reſpectu dictionis congruæ & ornatæ,*

matio fuit, συμπλοκὴ fuit, apoſtrophe fuit. At hæc Rhetoricorum pulpam ſapiunt. * Ii qui cœlum, quam terram intueri malunt Aſtronomi, ut vere ἄνθροποι ſint, hoc eſt ἄνω ἔχοντες τὴν ὦπει, ſæpe in quibus cœli regionibus verſentur ignorabunt, niſi prius ejus ſpatia per imaginarios circulos diſtinxerint. Hi ipſi, ne forte præſcriptos ſibi limites excedat Sol, faſcia, quam Zodiacum vocant, qua eundum illi ſit, deſignant, & ne quatuor anni tempora præpoſtere currendo confundat, quo ordine currendum illi ſit, monſtrant, primo per Arietem, mox per Taurum, inde per Geminos, & ita deinceps quæ tamen omnia ipſe, de quo modo dicebam in Luna ſedens Menippus, tantoque primo mobili vicinior, nunquam ſibi viſa eſſe conſtanter affirmabit, vel per ipſum Δία. (a) Geometræ ἐπιχθόνιοι verius quam ἄνθρωποι, ſuam materiæ quantitatem ſola ratione ſuffurantur, quam cum materia auferre malunt fures noſtri, vixque ullam demonſtrationem expedire audent, niſi alphabeto angulos omnes, aut circulorum diametros, ac linearum terminos tanquam præſidiariis militibus munierint. Nec tamen hæc commenta quiſquam in fundis agrorumque dimenſionibus unquam repperit, ſive longi-

* *Nec non Aſtrologorum.* (a) *Geometrarum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

longitudinem, ſive latitudinem, ſive profunditatem eorum ſpectes. His noſtris Entibus inſtructus circulos ſuos in arena conſcripſit Archimedes, & Geometriæ elementa expedivit Euclides, apud quem hypotheſis, apodixis, figura, συμπέρασμα, definitio, artis inſtrumenta ſunt, quæ in Logicam ſuam tranſtulit φιλογεωμέτρης Ariſtoteles. * Arithmetici his deſtituti ſtipem petant oportet, apud quos numerorum diſtinctio, variæque horum affectiones utramque paginam faciunt. Etenim quæ extra mentem ſunt, multa ſunt, & dum multa ſunt, nec binario magis quam ternario; aut quaternario definiuntur. Quæ itaque hic paris, imparis, diviſoris & diviſi numeri ſunt notiones, à mente ſolum dependent. (*a*) Metaphyſica utcunque aliarum ſcientiarum ſit princeps, tamen ſecundarum quoque notionum adminicula non averſatur, præcipue cum de rerum unitate diſtinctionibuſque philoſophatur. (*b*) Theologi vero, cum quibus aliqua mihi intercedit cognatio, quam ſine horum Entium cognitione talpæ ſunt, quam in Scholaſticarum diſputationum lectione hoſpites. Quoties his ducibus deſtituti in principia impingunt, quoties ſub veri-

tati s

* *Arithmeticorum.* (a) *Metaphyſicorum.*
(b) *Theologorum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tatis ſupparo falſum ſibi obtrudi ſinunt, quoties perperam definiunt, dividunt, diſcurrunt, reſolvunt, ordinant, ab horum ſcientia imparati. * Idem de Iureconſultis, Medicis, totoque Philoſophorum ordine dictum putate. Nunquam Plato hominem implume animal ac bipes definiviſſet, aut animam numerum dixiſſet, ſi definitionis modum probe noviſſet. Nec Iureconſulti (quod ipſorum pace dictum volo) Iuris præcepta partiti fuiſſent in tria hæc: Honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, ſi ad legitimæ diviſionis, quæ membra coincidere non patitur, leges attendiſſent. Et cur ſe ridiculum præbuit ſuis argumentationibus Chryſippus, cur veteres Phyſicos toties incuſat Ariſtoteles, niſi quia δι' ἀπαιδευσίαν hallucinati ſunt? (*a*) Quare unum hoc ad horum Entium commendationem & laudem addam, quod meo judicio feliciſſima ſint omnium, quas Sol adſpectat creaturarum. Nam cum aliis rebus ſua ſit miſeria, ſuus labor & calamitas, hæc nec agunt quicquam nec patiuntur. Cœlum utcunque corruptionis expers ſit, tamen perpetuo motu moveri neceſſe habet. Elementa mutuis pugnis occidunt. Mixtorum alia putre-

* *Iure conſultorum, Medicorum, &c.*

(a) *Quanta denique horum Entium ſit felicitas.*

putreſcunt, alia uti metalla igni & flammis torrentur, alia ſenio confecta tabeſcunt, uti plantæ, alia mactantur, jugulantur, ſecantur, aut ad ſtivam ac rhedam ablegantur. Hominum vero alii corporis morbis languent, alii ira, invidia, metu, ſpe, deſiderio lancinantur, aut fament aut ſitiunt. At noſtra hæc Entia ætatem agunt lætiſſimam & ab omnibus malis immune domicilium inhabitant. Etenim cum in mente ſola, cui in natura contrarium hoſtem non dedit Deus, velut umbræ volitent, nec extra eam reperiantur, nullis contrariis qualitatibus infeſtari queunt, & cum corpora non ſint, οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ᾽ οὐ πίνουσι αἴθοπα οἶνον. Quod ſi tamen ſub imagine Martis belligerari, Invidiæ dolere, Fortunæ mutari, & claudicantis Vulcani miſera quædam videantur, omne hoc rationis quoque eſſe credite & imaginarium prorſus. Et licet pereundum aliquando ipſis ſit, nulli tamen hoſti ſuccumbunt, ſed menti, cui eſſentiæ ſuæ principium ac originem, eidem quoque mortis ac interitus ſui cauſſam debent, denuo ubi illa uolet vel in inſtanti ac nullo negocio renaſcitura.

Atque hæc quidem de Ente rationis dicenda habui, quod eſſentiam non niſi precario habet, & in toto hoc Vniverſo nuſquam apparet. Dixi, fateor, non eo ſermo-

nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

nis ornatu, quo de rebus ſplendidis ac præclaris dicere ſolent oratores: neque enim hoc argumenti patiebatur moroſitas: aut ea gravitate, qua de regni rebus oratum veniunt Principum legati: ſed adhibito aliquo voluptatis & feſtivæ dictionis auctoramento. Vt enim nihil nugacius, quam res ſerias nugatorie tractare, ita nihil feſtivius quam ita tractare res humiles, imo pene nugas, ut nihil minus, quam nugatus fuiſſe videare. Si tamen ea quæ dixi diſplicent, uti catapotia nauſeantes ſolent pueri, expuite. Dixi.

FINIS.

CASPA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

CASPARIS BARLAEI

NVPTIÆ PERIPATETICAE,

Sive

Vniverſæ Philoſophiæ ad ſtatum Conjugalem feſtiva applicatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

CASPARIS BARLÆI

NVPTIÆ PERIPATETICAE.

SI citharœdos, ſi tibicines & choraulas ad feſtum hoc tuum admiſiſſe minime nefas eſſe putas, GRAVI dilectiſſime, ut cantus ſuavitate delicias auribus faciant, etiam mihi inter geniales hoſce ſtrepitus lætæ ac feſtivæ vocis uſuram concedere non gravaberis. In turba non loquar, ubi longis menſis diſcumbitur, nec attentis eſſe vacat commeſſantibus. Tecum ad ſecretiora me conferam, ubi Veneris genio pervigilium debetur, nec ferias te agere patitur tempus. Dum novam rem inceptas & arduam, non fraudabo te Sapientiæ monitis, verum optimis ac ſalutaribus præceptis pergam animum tuum componere. Prævui olim verba Iuveni, & ad doctrinæ templa contendenti iter monſtravi. Iam virum ſequar, & ſuaſoria oratione compellabo novum Amoris candidatum. Dum filio regnum parat Cyrus, ea loquitur, quæ poteſta-

poteſtatem regiam ſpectant, Hectori ad bella ituro permixta baſiis monita in caſſidem ingeſſit Andromache. Peregre profecturis maritis ultima verba loquuntur ſollicitæ conjuges. Tibi nuptias meditanti, & maritale imperium capeſſenti, hic in promulſide ſperatæ voluptatis militabit ſermo. Fecit idem in nuptiis Polliani & Eurydices Plutarchus, in nuptiis ad Paulinum Auſonius. Nec temere veteres in eodem ſacello Venerem & Mercurium collocavere, quod voluptas genialis præcipue ſermonem poſtulet, Suadamque & Gratias. Quo tempore(uti jam dicere incepi)in illuſtri Batavorum Academia præclaris artibus operam navabas, per varias Philoſophiæ partes circumduxi omnis diſciplinæ capacem animum. Per Dialecticorum ſalebras & abrupta ad ipſam Sapientiam ibas,& verum à falſo diſtinguere doctus, torquebas catum Enthymema, formabas immobilem apodixin, diſcutiebas ſpecioſum Sophiſma. Hinc ad Naturæ ſacra admiſſus, ſupera, infera, cauſas & ex iis nata, tot rerum formas ſpecieſque, ſimplicia & compoſita, animata & inanimata contemplabaris. Mox à natura digreſſus ad morum doctrinam deflectebas, & quid turpe,quid utile,mecum meditabaris. Breviter, hoc agebas, quod in perfecto viro requi-

requirit Chæroneus Philoſophus, ut eſſes θεωρητικὸς τῶν ὄντων, πρακτικὸς τῶν δεόντων. Ecce, libet jam hæc ipſa, quæ tum docui, apud Sponſum, apud conjugem, inter faces, tædaſque repetere, & totius Philoſophiæ ſummam tibi ob oculos ponere; & eo quidem tempore, quo ἀπροσδιόνυσον judicabit Sponſa gravem ſapientiæ orationem. Nempe, hoc agere inſtitui, quod familiare eſt Medicorum filiis, qui ne nauſeam moveant, catapotia ſolent ſaccharo condire, aut melle edulcare. Et uti poëtarum mos eſt, ſub fabularum involucro res ſerias tradere, ita & mihi propoſitum alium vultum tetrico argumento inducere, & ex tenebris ac fumo philoſophantium lucem thalamis tuis inferre. Legiſti, cum puer eſſes, apud Naſonem, mutata in novas formas corpora. Legiſti, inquam, & ſtupuiſti, hic arboreſcentem Daphnen, mugientem Iſidem, illic lachrymantem in marmore Nioben, alibi canentem Philomelam, latrantem Hecubam, & quæ ſunt plura ejus generis. Iam grandior mirare, ſed non ſine riſu, converſam in conjugales artes Logicam, Phyſicam, Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Mathematicam, totamque Philoſophiam in Γαμικήν. Tibi, nuptiiſque tuis iſtam metamorphoſin ſacramus, dum maritali ordini initiatus nomi-

nis vitæque metamorphoſin ordiris. Scio, te Poemation expectare. ſed pudet ſemper eodem ludo includi, & qui exhauſtam nuper paludibus ſuis Sylvam-Ducis fuſius cecini, una exarui totus. Quid, quod aucta recentibus victoriis patriæ Libertate, ſervitium omne orationis compedeſque odiſſe incipiam, & ſerenæ liberrimæque mentis impetus non impeditos amare. Quod ſi convivio interſint, qui riſerunt nunquam, qui cum magnis virtutibus adferunt grande ſupercilium, qui theatra ingredi ſolent, ut mox exeant, Catones, Marii, Timones, Heracliti, Momi, Demeæ, eos omnes ab horum lectione abſtinere jubeo: aut, ut ridere diſcant, ſpectare attentius Nympharum γυμνοπόδια, Sileni κόρδακα, & Polyphemi petulantiſſimum τερετίζονολο. (*Saltationis ridiculæ genera ſunt, apud Lucian. Ariſtophan. & Pollucem.*) Tibi vero ſi tam prolixum ſermonem inpræſentiarum perlegere non vacabit, dum inſueta cogitas, vacabit ſane poſtea, ubi prima tempeſtas deſævierit, &, ut Hippocratico verbo utar, periculum nullum erit ab orgaſmo.

Ac primum quidem, ut à Dialecticorum ferculis Nuptias Peripateticas ordiar, Porphyrii vide Iſagogen, quam præfigere Organo ſolent ii, qui metuunt ne ἀκέφαλον

λον ſequantur Ariſtotelem. Tractat ille Vniverſalia, eaſque naturas, quæ aptæ ſunt pluribus ineſſe. Tu, mi Gravi, velut è Scotiſtarum Schola progreſſus, totus in amabilem Hæcceitatem juras, & ab Vniverſalitate, velut inani Morphei vultu, alienior, ſingulari Sponſa gaudes, quæ non pluribus, at ſoli tibi conjugii fœdere adeſſe amat. Et cum Prædicabilia de multis dici poſſint, tu unius BICHERAE vir, illa unius GRAVII uxor appellari gloriatur. Multa ille de Individuo philoſophatur. ſed Individuum quoque eſſe conjugum par, aut neſciuit ipſe, aut præterivit ſtudio. Illud ſolum nota, individuum, quod vagum vocant, ab Vniverſalium numero ſecludi, nec minus honeſto conjugum numero eximi, quotquot vagas libidines ſectantur, & plures amando conjugii ordinem infamant. Inter Vniverſalia familiam ducit Genus, non Heraclidarum aut Arſacidarum, ſed illud, quod de pluribus ſpecie differentibus prædicatur. At hæc naturarum in ſpecies multiplicatio conjugio magna ex parte debetur, cujus beneficio, ut eſt apud Lucretium.

genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina Solis.

De Specie citatur ex Euripide,

Εἶδος μὲν ἐστιν ἄξιον τυραννίδος.
Speciosa regem forma corporis decet.

Ego mutata vocula de virgine dixero,

Εἶδος μὲν ἐστιν ἄξιον παρθενείτος,
Speciosa nuptam forma corporis decet.

nec ego ſolum, ſed & Satyricus;

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.

Licet nihil vetet, utrumque amari. & Propertius,

Omnia formoſam propter Briſeida paſſus.

Verum illud magis ad rem: Speciem de pluribus ſingularibus dici, quo tacite moneris, operam uti des liberis, non ſolum, ut trium liberorum jus adipiſci poſſis, verum etiam, ne, ſi ἄτεκνος vivas & ἄπαις, degener mundi accola habearis. Quod ſi marem primum, mox feminam tibi indulſerit favens Lucina, optatam conjugum votis Differentiæ notionem aliquam contemplaberis. Nec deerit Proprium, ſi in patrias virtutes filii, in maternas filiæ adoleſcant. Iam vero illa Accidentis indoles, qua citra ſubjecti corruptionem, modo illi adeſſe, modo abeſſe amat, ideam exhibet earum omnium rerum, quæ ſalva conjugalis copulæ fide vel proſperæ vel adverſæ nuptiis accidere ſolent.

Οὐ πάντες οὔτε δυστυχοῦσιν ἐν γάμοις,
Οὔτ' εὐτυχοῦσι.

Non

Non conjugali ſemper Infelicitas.
Felicitaſque ſemper eſt comes thoro,
Adſunt, recedunt, mobiles loco Deæ.

Excipit Porphyrium Ariſtoteles, qui Categoriarum doctrinam in προθεωρίαν, θεωρίαν & ὑποθεωρίαν dividit, plane uti conjugii apparatus Sponſalibus præludit, matrimonio perficitur, & ſua habet ἑπόμενα. Fugiunt Homonymiam Sponſalia, non minus, quam laudabilis quævis dictio. Amant Synonymiam, cum corpore mixti nomina quoque ſua confundant, alterque alterius titulos cum dote ſibi vendicet. Nec Paronymiam faſtidiunt, cum uti à juſtitia dicitur juſtus, à fortitudine fortis; à ſponſalibus ſponſus, (ignoſcite Grammatici) à conjugio conjunx dicatur. Et licet Simul natura ſint conjuges, illud tamen non minus certum, alterum & ordine & dignitate eſſe priorem. Affirmat Tragicus:

Γυνὴ γὰρ νικῶσ᾽ ἄνδρα κακὸν ἐστι μέγα.
Vxor marito dignior res peſſima eſt

Inter Habendi varo modos illum maxime improprium eſſe perhibet, quo uxorem habere dicimur, cum, interprete Ammonio, uxor non minus habeat, quam habeatur præcipue apud Ægyptios, teſte Herodoto, & hodie apud Belgas, quibus familiare eſt γυναικοκρατεῖσθαι. Illud fateor, cum Subſtantiæ nihil eſſe contrarium perhibet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

longe eum à præſenti re abire. Plurima enim in amore contraria inſunt vitia, injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, bellum, pax rurſum, &, ut ex Plauto ſuppleam, inſomnia, ærumna, error, terror & fuga, ineptia, ſtultitiaque adeo, & temeritas, incogitantia, excors immodeſtia, cupiditas, deſidia, inopia & diſpendium. At alterum illud, quod Subſtantiam neget recipere magis & minus, ego contra de Amore veriſſimum eſſe affirmo, qui à virtute, blanditiis, fortunæ riſibus, prole, incrementa capit, remiſſior valde futurus, ſi illis ipſis deſtituatur. Ita ſentit magnus ille amorum præco & arbiter, qui ſublatis otiis perire ait Cupidinis arcus. &, ut majus aliquid afferam, generoſa Carthaginis conditrix, ab obita Sichæi frigidior, viſo Ænea,

Huic uni rurſum potuit ſuccumbere culpa.

In Quantitate illud reperio, magnum ab ea ac parvum Amorem dici, verum non ab ea quantitate, quam molis, ſed virtutis vocant: eundem longum quoque dici, ac brevem, ratione Temporis; cœleſtem & terrenum, ratione Locorum, in quibus vel Dii, vel homines amant. Et Numerum quod attinet, didici jampridem celebrem illum denarium Pythagoricum, inter alia, ex Mare & Femina conſtare: didici amplius, numerari vulgo dotem, non virtutes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

aut ſi in cenſum veniant, non niſi poſt nummos. Vltima, (ſeculi vitia taxo,) de moribus quæſtio eſt; prima, quot ſervos paſcat, quot agri jugera poſſideat, quam multa, pulchraque paropſide cœnet. Qualitatis vaſtiſſimo ambitu mirum quam multa contineantur, ſine quibus virum uxor, hæc virum faſtidiat. Annon ſapientiæ, probitatis, modeſtiæ illos ornari ſatius, quam armillis, gemmis, torquibuſque? annon generandi Potentia totum hoc opus abſolvitur? uſque adeo, ut, ſine illa, matrimonia diſſolvi patiantur Iureconſultorum rubricæ? Annon Cupido conjugalis neceſſitudinis autor oculis captus fingitur? Annon fervidos eſſe amantes oportet, & ſuaves, & blandos, & molles & candidos? non moroſos, zelotypos, procaces, aridos, deformes? *Rufamne illam virginem, Cæſium, ſparſo ore, adunco naſo? non poſſum pater,* dicebat adoleſcens apud Terentium. Annon inter qualitates contrariæ ſunt? & *lites habet ac jurgia lectus, In quo nupta jacet?* Annon idem eſt velle ac nolle amantibus? ut & iis proprium ſit, quod de qualitatibus dicit Ariſtoteles, res ab ea ſimiles & diſſimiles dici. Relatorum quoque definitio non alia eſt, quam ipſius matrimonii. Non ovum ovo magis ſimile, aut ficus ficui. Quid enim? Relata ſunt, quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

rum alterum ſine altero eſſe non poteſt. Matrimonium vero legitima eſt ac individua viri & feminæ conjunctio. Illuſtrabo rem exemplis. Sublato Bruto conjuge, ſupervivere noluit conjunx Portia: mortuo Capaneo, in rogum mariti ſe præcipitavit Euadne: in amplexibus non Proteſilai, ſed ſolius umbræ, (en dependentiam) expiravit Laodamia, & ſublato ex oculis Mauſolo mœrore contabuit Artemiſia. Relata πρὸς ἀντιστρέφοντα ſunt, hoc eſt, inter ſe reciprocantur. Etiam conjunx & conjunx. Relata alia æquiparantiæ ſunt, (ô verborum floſculos & globulos mellitos) alia diſquiparantiæ. Etiam conjugio modo pares, modo indole, dote, genere impares jungi videmus. Non omnia Relata mutua ſunt, nec qui amant, ſemper mutuum amant. Sunt relata κατὰ τὶ λέγεσθαι, *ſecundum dici.* Etiam amantes. Sunt quæ Rationis vocantur, utpote à mente conficta. Sic & qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt, & ſi vel ſubrideat dictis virguncula, vel paulo obliquius ocellum torqueat, ſtatim ſe amari credunt. Et ut reliqua minorum gentium Prædicamenta cum Philoſopho percurram, cum oſculantur, jocantur, granniunt, ludunt, philoteſiis certans, canunt, ſaltant, Agere aliquid putandi ſunt. Cum triſtantur, iraſcuntur, metuunt, aut, ut mol-

mollius aliquid dicam, cum baſiis bona fide exactis vacant, Pati. Cum de Vbi ſermo incidit, thalamum raſtro, cubile foro præferant, & Illic, quam Hic, eſſe præoptent. Si Quando roges, nullum dicent intempeſtivum amantium furoribus tempus, licet neſcio quis Catullus, aut alius inclamet: *Cras amet, qui nunquam amavit.* In Situ (piget referre) ſua dicent eſſe vocabula. In Habitu nihil ſe invenire, quod huc ſpectet, præter eas forte denominationes, quæ à flammeis, zona virginea, annulo pronubo, ſimilibuſq; nuptarum inſignibus deſumuntur. Extat porro apud Ariſtotelem libellus περὶ Ερμηνείας, quem cum ſcriberet, calamum non in atramentum, ſed mentem tinxiſſe fertur. Hic multa diſſerentem audimus Philoſophum de copula Verbali, ejuſque virtute ac facultatibus, prorſus ad ſimilitudinem copulæ jugalis. licet hoc diſcrimine, quod illa à mente ſit; hæc minime; illa ea quoque, quæ ejuſdem ſunt ſexus generiſque copulet, ut cum dico: Thaidem eſſe Alexandri filiam, ſponſam, nurum; hæc vero non niſi ea, quæ diverſi ſunt ſexus, ἄῤῥενα puta καὶ θῆλυ, Thaidem cum Alexandro, Catullum cum Leſbia. Illud ibidem appoſite Stagirites ait: Res ubique eſſe eaſdem, eoſdem rerum conceptus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſed voces diverſas, quaſi dicat, feminam ubique feminam eſſe; nec eorum, qui ejus imaginem mente formant, alios ſub leænæ, alios ſub tigridis, alios ſub laſcivæ capellæ conceptu eam apprehendere, (quanquam nihil vetet, eas, ſi malæ ſint, tales eſſe) verum omnes ſub feminæ. At voces omnium eædem non ſunt. aliæ blandiuntur, aliæ ganniunt, aliæ vociferantur. *Quot linguæ, totidem ora ſonant.* Ex tot Orationum formis ad Rhetores & Poëtas ablegantur Epiphonemata, Imprecationum formulæ, & Imperioſæ orationes, à quibus quoque abſtineat oportet, qui pacatam volet conjugem. Sed quam aptæ conjugibus Subalternæ enunciationes, & placide conſpirans hinc mariti, hinc uxoris oratio. Quam conveniens domeſticæ ſocietati illud τὸ ὑπάλληλον, licet & Ἀσύστατα illi attribuat Ovidius, cum canit: *Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur, Majeſtas & Amor.* Divellit ſubjectum à prædicato, & prædicatum à ſubjecto τὸ Non. Mutuos & ſuaviſſimos amantium amplexus dirimunt triſtes querimoniæ, at quam maxime moroſæ conjugis pertinax ἀπόφασις. Quod ſi Syllogiſmum, nobiliſſimum Logicæ artis actum, expendere libeat, quid quæſo ille? Diſcurſus eſt, in quo poſitis quibuſdam diverſum quid à poſi-

tis ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tis ex neceſſitate accidit. Nec aliud profecto quid Conjugium eſt,in quo diſpoſitis ſecundum leges divinas & humanas viro & femina, diverſum quid ab illis, chara nempe ſoboles magnum patris incrementum ἀνάγκης συμβαίνει. Habet ratiocinatio ſuas præmiſſas. habet & generatio. Illa majorem minori præfert. Hæc virum feminæ.Illa concluſionem vel ſolius formæ neceſſitate infert, hæc non ipſi formæ & materiæ neceſſitate ſuaviſſimam liberorum turbam elicit. Libet philoſophari ſubtilius. Ex puris negantibus nihil ſequitur. Hic nihil, ſi vel alter conjugum ſit negans. Optima eſt argumentatio ex puris univerſalibus. Hic nulla bona, niſi ex puris ſingularibus, Cajo & Caja, Sempronio & Sempronia, Alcmena & Iove. Vniverſalia generare, nuſquam, quod ſciam, memoriæ proditum. Concluſio ſequitur partem deteriorem. quod & multis retro ſeculis conjugio probatum. Ciceroni ac Meſſalæ oratoribus ſummis, parentibus optimis, degeneres fuere filii, illi M. Cicero, huic Cotta Meſſalinus, à pejore matre vitium trahentes. Et Socrates omnium mortalium Apollinis oraculo ſapientiſſimus, liberos habuit patri diſſimillimos, matri Xantippe ſimiliores, ut eſt apud Senecam. Vitium eſt, ſi plus ſit in

concluſione, quam in præmiſſis. Nec minus naturæ error fuit, cum Ciceronem parentes genuere cum cicere. Denique ex veris nil niſi verum, uti ex fortibus fortes creantur & boni. Porro ab Exemplo qui argumentantur Oratores & Poëtæ, gaudent à thalamis, uxoribuſque exempla petere. Tale eſt illud acuti vatis, quem non nomino, *dabat hoc Cornelia Graccho, Iulia Pompeio, Portia, Brute, tibi*. Tritum etiam illud apud umbraticos Enthymema ἀπὸ τοῦ εἰκότος, *Pallet, ergo amat*. Illud indignor, tam acri Dilemmate virginum ſpem oppugnaſſe Biantem, cum *uxorem ducendam negat*, ob hoc, *quia nec formoſa ſit ducenda. utpote κοινὴ, nec deformis, utpote ποινὴ*. cui conſona dixit alter quidam, qui juveni nondum, ſeni nunquam ducendam uxorem contendebat, τῷ νέῳ οὐδέπω, τῷ γέροντι μηδεπώποτε. At vide, ut etiam lepida Inductione concludat Bilbilicus, *libr.* 3. *Epigr.* 53.

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibuſque, brachiiſque,
Et ne ſingula perſequi laborem.
Tota te poteram Chloë carere.

Quam vero oportunum hoc Dialecticis diſſertationibus ſit argumentum, inde conſtat, quod probabilium quæſtionum ſuppeditet luculentam penum. quales ſunt: (*Plu-*

(*Plutarchus in Moral.*) *An ſapienti ac literato ſit ducenda uxor. An ducta jam uxore ſit philoſophandum. An præſtet cum Scævola manum habere in flamma, an cum Ariſtippo in ſinu Laidis. An recte à Demoſthene reſponſum ſit, Non emi tanti pœnitere. An ducenda ſit uxor oculis ſolum, an etiam auribus: hoc eſt, an ad formam ſolum ſit reſpiciendum, an etiam attendendum ad famam. An præſtet nobilem ducere, ignobilem & divitem, an nobilem nudam agris & nummis. An juvenculam, an plenis annis nubilem. An tenui & anguſta fronte inſignem Lycorida, qualis Italis placet, an lata & tuberoſa, qualis noſtratibus. An Venuſinam, an Corneliam pro dote triumphos numerantem. An indoctam, an quæ docta tenebit Dicendi genus, & curtum ſermone rotato Torqueat enthymema, vel hiſtorias ſciat omnes. An expediat uxori ſubinde liticulam movere, ut mox amoris fiat, cum lucro, redintegratio. An viri in familia dominium monarchicum ſit, an Ariſtocraticum, ita ut in partem imperii admitti debeat uxor. An viri in illam imperium civile ſit, an herile. An phantaſiæ uxorum indulgendum ſit in ornatu corporis. An ſolas deambulare fas ſit: An ἑλικῶπις, βοῶπις, γλαυκῶπις pulchra ſit.* & quæ plura

loqua-

loquacem Delaſſare queant Fabium. (*Hor lib.*1. *Odar.* 33.) Quod ſi Demonſtrationem τετράγωνον, quæque ſcientiam animo ingeneret, ab amantibus exigas, dicam cum Philoſopho, exquiſitas Demonſtrationes in materia contingenti, & tot caſibus obnoxia perperam exigi. Sed ut Sophiſtarum cavillis expoſita ſit, docent Scholæ, quæ ad Amphiboliam referunt: *Audio uxorem habere te.* ad fallaciam accidentis, illud Comici, Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία.. *Tria ſunt mala æquor, ignis atque femina.* ad fallaciam, à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, πᾶσα γυνὴ χόλος ἐστὶν, ἔχει, &c. *Femina tota furit*, ad fallaciam à non cauſa ut cauſa, *Ventricoſa eſt*, ergo *in utero gerit*. ad fallaciam plurium Interrogationum pro una, *Clælia, Agrippina, Scribonia, fueruntne matres fecundæ?* Ex quibus omnibus patere arbitror, quanta Logicæ & rationalis doctrinæ cum conjugali ſtatu ſit cognatio, ut toto cœlo mihi errare videantur, qui à ratione alienum putant, imperatorem Vniverſi virum in conjugis ſe gremium demittere. Iamque iſta ſcripſeram, cum tædium ignobilis ac ancillantis diſciplinæ obrepere cœpit. mox cantillare exorſus, dum, feſſam ab intentiori meditatione mentem relaxo, ilicet ad ingenium

redii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

redii, & hiſce verſiculis margines libelli conſpurcavi.

Ite graves ferro clypei, galeæque, duceſque,
Et quicquid, Bellona, probas. Tu ſæve faceſſe
Mars pater, & Paphiis furialia prælia bellis,
Et facibus ſecerne faces, atque ignibus ignes.
Non ego jam Sylvæ muros, non ſubruta flammis
Tot circum caſtella canam, non matribus arma,
Deteſtata piis, crudæque incendia pugnæ.
Molle molos Citherea cupit, levibuſque Camœnis
Dici Cypris amat, grandeſque exoſa cothurnos
Gaudet Acidalio thalamos percurrere ſocco.
Ille mihi quondam Sophiæ deductus in hortos
Virginis os tenerum, & blandæ promiſſa puellæ
Cogitat, inſolitoque furens incanduit æſtu.
Tu celerem in flammas juvenem Sapientia dictis,
Conſilioque juva. vellem prudenter amari,
Quam jam Sponſus amat. vellem ſapienter amari,
Cui debet ſe Sponſa, virum, ſine lege maritum
In thalamos inſerre faces inſania lecti eſt.
Veſtigant ſecreta Duces, bellique labores,
Vt noceant præviſa minus. diſcrimina Nerei
Navita, & in cæco ſcrutatur ſaxa profundo,
Ne noceant occulta rati. tu pectore, Gravi,
Dum Cyprum, totamque Paphum, Gnydiique recondis
Arma Dei; primoque ferox incumbis amori;
Barlæi præcepta tui, monituſque ſuaves
Accipe. Iamque gravis credas commenta Lycei
Inſanire tibi, tetricos miteſcere vultus
Doctorum, & rigidæ dici convitia barbæ,
Grajaque Romanis impleri pallia nugis.

Quare

Quare Phyſiologiæ quoque, & rerum naturalium capita perſtringam, cùm Phyſici corporis affectiones laudatiſſimæ ſint, amare & amari. Sed præeat Stagirites ipſe, qui de informi materia obſcurius diſputans, ut intelligi poſſit, eam Feminæ comparat, quæ virum appetit. Evolvam latius peripateticum ſenſum. Materia per ſe rudis, indecora, turpis, ſine forma ſordet. Nec ſine viro mulieri ſuum decus ac ſplendor conſtat. Materia ſine forma diſtingui ac cecerni nequit, cùm unus idemque ubique ejus ſit vultus. Nec uxor Catonis, Attici, Cæſaris nuncupatur, niſi poſtquam ſuo quæque marito placuit. Materia indifferens eſt ad omnes formas. Etiam mulier nulla naturæ neceſſitate huic magis, quam illi, ſe ipſam debet. Cum materia ut maritet forma, illam diſponi oportet ac alterari. Etiam mulierem blandimentis deliniri neceſſe eſt, ut hunc præ illo admittat. Materia nulla rei naturalis ſpeciem parturit, niſi ab Efficiente mota. nec mulier ulla ſobolem, citra viri opem. Noli mirari, formæ ſimul & Efficientis analogiam inducere virum, cum in Phyſicis nihil vetet, unum idemque formæ & efficientis officio fungi. Materia & forma totum compoſitum ſunt. *Maſculus & totum*, ait Propertius, *fœmina con-*

na con-

na conjugium. Ergo,uti inſatiabili formæ deſiderio tenetur materia, ita & Æneæ amore *Vritur infelix Dido, totaque vagatur Vrbe furens:* & Pyrami deſiderio Thisbe in invidum parietem invecta fuit: Phaonis amore, è ſcopulis ſe præcipitem dedit Sappho. Cujus quidem deſiderii cauſam ex Platone diſcite, qui homines fingunt ex mare & fœmina conſtitiſſe, poſtea facta partium diviſione,ac ſectione, manſiſſe in iiſdem veteris junctionis & copulę appetitum.Nec ſecundam formam admittit materia, niſi extincta priore. Neque Tiberio jungitur Livia,ſuperſtite Marcello. Privationem mariti debiti adeſſe, erudita Epiſtola deplorat Icari filia. At illam abſentiam formæ debitæ ineſſe definit Peripatos.Idem privationem & formam contraria vult eſſe Principia, at Empedocles Amorem & Litem. De natura, quæ cauſa motus eſt & quietis,deque principio Activo & Paſſivo, nihil attinet dicere. Sunt Veneri non minus ſacra, quæ revelare nefas fuerit, quam Cereri. Flammeis Sponſam velavit antiquitas, ne, quod vult illa,appareat velle. Illud ſolum dicam: Naturam quoque eſſe, quæ ad licitas voluptates nos invitat. unde Venerem quidam dictam putant, quia nec vocata ſponte ad nos venit, *Omnibus incutiens*

blan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

blandum per pectora amorem. Cauſas generationis externas apud eundem philoſophum leges,ubi inquit, *Sol & homo generant hominem.* nec alio fine hominem amat homo, quam ut homines eſſe non deſinant. Fortunam & caſum in his rebus ludere dicerem, niſi obſtaret Satyrici autoritas, qui ait, *Fatum eſſe in partibus iſtis*,&c. Magis Phyſica ſunt,quæ de Motu diſputat. Vt alia omittam, illud ad ravim inculcat, tanquam Phyſicæ κεφάλαιον, Motum fieri ſucceſſive, generationem contra in inſtantia, cum minus hac in parte acutus Maro dicat, natum Pollioni filium, poſtquam *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* Perpetuum & grande eſſe,ait,odium Naturæ & Vacui ſtupenda illam hujus metu moliri ima ſurſum, ſupra deorſum protrudere, obſtantia perrumpere, frangere ſaxa, moles attollere, aut motum ipſum invitis motoribus prohibere. Habent & ſuum vacuum, quod metuant, Lares domeſtici, habent, quod optent. Metuitur bonæ mentis ſoror paupertas, ut quæ vacuis loculis ambulare ſolet,nec ſi plenos illos ſors dederit, valde de corporum penetratione cum Democrito & Meliſſo ſollicita ſiet.Contra optant Vacuam à lite, aſperitate, ſuperbia domum. Poſſem infinita hujuſmodi congerere ad

hanc

hanc rem, ſed cum infinitum nullum dari contendant Phyſici, vereor, ne præceptorum incurram offenſam. Verum ut ad Te convertam orationem, Gravi doctiſſime, Cœlum cui aliquando deberis, contemplare, orbeſque ſupra mundum hunc poſitos percurre. Apparet inter ſidera cum conjuge ſua Cepheus, ut locum quoque conjugibus in cœlo eſſe poſt fata docearis apparent tot virginum, ac matronarum faces, Andromedæ, Aſtrææ, Veneris, Dianæ, ut ſcias etiam cœleſtibus placere ſexum iſtum, quem hic mortales tædio optimarum rerum ſequiorem vocamus. En locum, à quo læva dextraque omnia novis nuptis petere ſolent Aſtrologi, fecunditatis ac ſterilitatis, longi breviſque ævi præſagia. Hic genituræ tuæ dominos vides vitæ moderatores Planetas. Ex hìs Saturnum cave, inimicum amantibus ſidus, ob frigus. Iovem venerare (ab hoc Ioviales dicti) divitiarum, honorum, lætitiæque datorem. Martem fuge, igneum, ferocem, iracundum. Omnibus dignior Sol, cui tot virtutes ineſſe perhibet Ptolomæus, quot reliquis ſtellis. Venerem, in cujus jam ſtas horoſcopo, ſuſpice, quæ, ubi ad Bichæram acceſſeris, plus ſatis dabit incaleſcere. Mercurium probo, ſapientiæ & eloquentiæ autorem, patriæ urbis tutela-

rem

rem Deum. Sed Lunam averſare, amentiæ, inſtabilitatis, ignorantiæ, ignaviæ matrem, ideoque Endymioni dilectam. Eam quoties vultum mutare vides, variam ac mutabilem vitæ rationem cogita Vbi Sol in Geminis fuerit, gemellos expecta, Caſtori & Polluci pulcherrimis juvenibus ſimiles. Virgine hærebit, filiam ſpera, Helenę forma non diſſimilem, ſed moribus ac fato. Hæc ex Zoroaſtris, Apollonii, Eudoxi, Zamolxidis diſciplina hauſimus. Pene oblitus eram ſuaviſſimi iſtius ac harmonici concentus, quo præterlabentes invicem orbes Pythagoreorum auribus accinunt. Exhibet is ſpeciem ſuaviſſimæ inter vos conſpirationis, & in vita ſermonibus factiſque laudabilis conſonantiæ. A cœlo ad Elementa deſcende. ab igne nonnihil caloris peti ſuaſerim, caveri illud τὸ ξηρότατον. Aëris multum, & quanta potes laterum contentione imbibe. φυσώδεις enim expedit eſſe amantes, & ſpirituum plenos. At cur ἄριστον eſſe ὕδωρ inquit Pindarus noſter? forte ob hoc, quod cum Platone credidit, mundum eſſe animal, ad hujus vero generationem conſervationemque maxime facere humidum, annuente Homero,

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Oceanum matremque Deum, Thetynque parentem.

Nec

Nec terram faſtidi, quam Aſcræus poëta in ſua Theogonia cœli conjugem, omniumque communem matrem vocat. Ex his quatuor alteratis unione quadam fit mixtum, uti neque male miſceri dixeris fide conjugali nexos amantes. Magni poëtæ hemiſtichium eſt, *Mixta Deo mulier.* Quæ ipſa mixtio uti in natura abſque Reactione non fit, ita reciprocis quoque amoris & benevolentiæ officiis Aphrodiſia ſacra conſtant. Etiam hic valebit illud Martialis,

Vt præſtes Pyladem, aliquis mihi præſtet Oreſtem.
Hoc non fit verbis. Marce, ut ameris, ama.

In Meteorologicis fumi & vapores utramque paginam faciunt. Sed & amantium ſunt fumi, & vaporum inſtar evanidæ voluptates. quod infitias non ibit, qui ſecum reputabit, quas vir cum uxore dicat ineptias, quas agat nugas, quoties de poſteritate ſollicitus humani generis jacturam reſarcit. Ibidem audio de Draconibus volantibus, de fatuis ignibus, de lancea ardente, de fulmine & tonitru, de ventis tempeſtatibuſque, imbribus, grandine, mari, ac ſimilibus terrorum plenis nominibus graviter diſceptari. Sed an unquam ita bene compoſiti fuere conjuges, quos non ſui ſubinde tranſverſorum rapuerint turbines, accenderint irarum faculæ, de ſtatu tranquillæ mentis dejecerunt fluctus?

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Non credo verum eſſe, quod monumento ſuo inſcribi juſſit P. Rubrius Celer: ſe cum uxore vixiſſe XLIII. annos, menſes VIII. ſine querela. De Fatuis conjugium ignibus nihil dicam, cum de iis prolixe ſatis totum jam ſeculum declamaverit Moria Eraſmi. Iridem quoque ſcis evanidæ eſſe naturæ, ut diſcas evaneſcere ſubito amantium iras: eandem varios colores induere; & jam blando, jam torvo vultu opus eſſe patrifamilias, prout vel poppyſmo lenienda eſt uxor, vel objurgandi liberi, vel coërcendi famuli. Metalla, alter terræ viſceribus repoſta, ſcrutatur pallidus foſſor, ſed non invenit, niſi præeunte virgula divina. Nec fidem aut amorem conjugis recte exploraveris, niſi ſalutari afflictionum virgula tactus. In lapidum genere Smaragdos tibi commodo. ſoli enim grata viriditate oculos feſſos Candidæ tuæ intuitu reficient. Florum, herbarumque fragrantiam in hortis amamus, quæ ſi in moribus quoque veſtris renideat, gratiſſimum quaquaverſum odorem ſpargent. Sunt & amoribus ſui horti & viridarii, in quibus ſollicite à te velim obſervari, Parthenium, myrtum, euphraſiam, pomum amoris, ſempervivum, & ſi neceſſum ſit, erucam & ſatyrion. In avium genere cornicem ac columbas ama, amoris ſymbola: ad hæc Piſcium

ſcium genus omne, in ipſis aquis frigoribuſque exardeſcens. Ante omnia, Animam ſine qua trunci ſumus & lapides, intuere. Eſt ea actus corporis organici potentia vitam habentis. quod quidem totum viro convenire arbitror, qui conjugi unitus, ἐντελέχεια eſt σώματος ὀργανικοῦ τῇ δυνάμει παῖδα ἔχοντος. Officium ejus naturaliſſimum eſt, γεννᾷν. quod & tuarum jam eſt partium. Illi viſum, auditum, guſtum, olfactum tactum acceptum fers. At quid eſt, ait Varro, *quod homo libentius videre debeat, quam bellam uxorem*, addam ego, & rotatorios amantium oculos, duri ac illachrymabilis Plutonis illices? Quid audire impenſius amat, quam eandem ὑποκοριστικῶς loquentem? Nihil quoque ſalſum, nihil ſuave eſſe poteſt, ubi amor non admiſcetur. Idem, qui dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque oggerit. De olfactu dixi, cum de morum fragrantia verba facerem. Et niſi per Tactum fuiſſet, immerito tantis animis Paridi ſuccenſuiſſent Atridæ. Quanta Memoriæ in mulierculis ſit vis, inde liquido conſtat, quod ſine illa lentum ſuum Ithacum jamdudum plorare juſſiſſet Penelope. quanta vero Imaginationis, ex eo, quod illius impulſu Helleſpontum toties tranaverit Leander, & viſam ſemel Cleopatram amare ſuſtinuerit

Anto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Antonius. *Hærent infixi pectore vultus, Verbaque.* Iam vero Animæ diſtinctioni in Vegetativam, Senſitivam & Rationalem, annon reſpondet amoris diſtinctio in Naturalem, Animalem, & Rationalem; Affectuum inſuper, quos Græci πάθη vocant, hiſtoriam cum leges, cogita, ſine amore nec patrem te unquam fore, nec jam Sponſum, cras maritum eſſe poſſe. Gaudio vero ac voluptate non minus carere poteris novus amator, quam umbram non jacere, qui cis ultraque Solem poſiti ſunt. Totius conjugii moderatrix eſt Ratio, qua uti aliis imperamus, ita & illi parti potiſſimum imperare nos neceſſe eſt, quæ rationem non niſi invita audit.

Formant cuncta virum, docent maritum
Cœlum, ſidera, terra, pontus, aer,
Occultumque aliquid thoro loquuntur.
Saturnus gravis incubat cubili,
Emollitque ſenem ſereniore
Vultu Cypris, amicior puellis.
Promittunt ſobolem, negantque ſtellæ:
Promittunt facilem: negantque Sponſam.
At non iſta, minantiumque duros
Moratur ſapiens Deum labores.
Aſtris imperat, applicatque lecto
Totum Zodiacum ſagax amator.
Et quibus ratio faces miniſtrat,
Mens exercita, maſculumque pectus,
Cœlum, ſidera, terra, pontus, aer,
Totum proſpera donat Vniverſum.

Illud quoque non ſemel me dixiſſe recor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dor, Socratem philoſophiam, è cœlo ac aſtris, in domos urbeſq; deduxiſſe. Ego dum

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita pede,

eam è cœlo & Naturæ ſacrario in thalamum & amplexus tuos deducam. Magna eſt & acris apud morales Philoſophos de Beatitudine diſceptatio. Inter ducentas & octaginta opiniones, ſi Varroni fides, placet illa, quæ eam in virtutis actione ponit, & ea quidem, quæ individuam ſecum trahit animi corporiſque voluptatem. at hanc ipſam ſi à conjugali vita diſtraxeris, non vita ea, ſed mors appellanda eſt, licet è Zenonis porticu dimiſſi perpetuis illam convitiis dilacerent, forte, ut deterritis aliis, ipſi ſoli fruantur. Multa apud eoſdem de utili, honeſto & jucundo eſt contentio. quæ omnia in tuos uſus converte. Nam & augendæ rei familiari ſtudere te oportebit, quod utilitatis eſt; & ea ſectari, quæ ſine ullis præmiis fructibuſque propter ſe expeti merentur, quod honeſtatis eſt; nec averſari ſuavem conjugis fruitionem, *& tot millia baſiationum*, quod jucundum interpretor. Recenſebo Virtutes, veræ beatitudinis media & cauſas, omiſſis iis, quæ de Spontaneo & Invito, Electione ac Conſultatione in medium proferri ſolent. Neque enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dubium eſt,te Sponte hoc vitæ genus elegiſſe. Et quis credat, in Veneris ſervitium conceſſiſſe δι' ἄγνοιαν aut διὰ τὸ βίαιον prudentiſſimam & humanæ imbecillitatis probe conſciam Virginem? Fortitudo circa τὰ φοβερὰ καὶ θαρραλέα occupatur. Quare, tu Virgo, *Volſcorum egregia de gente Camillam* imitare, quæ viris auſa fuit concurrere, ut eſt apud Maronem. Virginitati ſi metuis, age, ut de re ipſa victoriam & triumphum reportes, ſine, eam rapiat maritus. Vinci velle, viciſſe eſt; & ſimulaſſe animi ægritudinem, ea demum vera ſexus veſtri laus eſt. Hic virum non alloquor, cui fortius ad res tantas ingenium ſuſpicor eſſe. At temperantia omnium virtutum fidiſſima cuſtos utriuſque veſtrum erit. Quiſquis conjugem amas, ſerio ama, aut amari ſi illa ſe frigidiuſcule ſentiet, mox in amore tepeſcet. & quem minus amare deſinet, odiſſe incipiet. Ita tamen, mi Gravi, amare te velim, ut, contra quam, poſt obitum Terentiæ, fieri poſſe dicebat Cicero, & uxori & ſapientiæ operam dare poſſis. A Sponſa redamari te cupiam, ſed caſte, ſed ſobrie, ſed verecunde. Quæ flagrat, minus modeſta erit, quæ furit, minus tranquilla. Ardentes in amore vidimus, ſed mox zelotypas, quæ ſi maritus alio oculum torſerit, ſi oſculum vicinæ indul-

ſerit,

ſerit, ſi ridenti non ſubriſerit, ſi rure tardius reverſus fuerit, anguntur animo, & ſe negligentius haberi putant. Vetus hoc legi,

Quæ mulier ſuum virum vult ſibi obſequentem eſſe, & diutinum, modice atque parce ejus ſerviat cupidines.

Quam illa ſapuit, quæ rogata, *ecquid maritum complexa eſſet*, reſpondit, *Non ego illum ſed ille me.* Etiam Iuſtitiæ hic locus, cujus officium eſt, unicuique ſuum dare. Quæ vero conjugum mutua ſint debita, ex lege innata, non ſcripta habere facile eſt. Sed hanc moderabitur Æquitas. quæ faciet, ut in meliorem omnia partem ſumantur; & quod deforme eſt, formoſum; quod vile, precioſum appareat. Ad proprias magis conjugum virtutes me confero. Sunt eæ, Concordia, Fides, Caſtitas, Manſuetudo, Patientia, Comitas. De concordia Naſicaam audite Vlyſſi loquentem,

Οὐ μὲν γὰρ κρεῖσσον καὶ ἄρειον
Ἢ ὅθ ὁμοφρονέοντε νοήμασι οἶκον ἔχητον
Ανὴρ ἠδὲ γυνὴ, πολλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι.

Nam nil pulchrius eſt meliuſque,
Quam cum vir, mulierque ſuam concorditer una
Ætatem degunt, in quo dolor hoſtibus horum,
Sed ſit gaudium amicis.

Ea ut ſarta tecta inter vos ſit, opus eſt amore, ſed à quo nec verecundia, nec reverentia abſit. ſecus ſervitutis ille illecebra

eſt. Novi maritos, qui in publico nugari, jocari, os libare amant. novi, qui non niſi ex uxoris imperio loquuntur, & ambulant. Tales, cum imperium dote vendiderint, aureis compedibus ambulare ſcripſit Petrarcha. Exclamandum his cum Comico, *Vxorem duxi; quam non ibi miſeriam vidi?* Alterum accipite Concordiæ authoramentum, pati multa, connivere ad multa. Diomedes ſcribitur ab Homero in bello ne Veneri quidem peperciſſe. Tales viri quidam ſunt ferocientes & lævi, qui tenellum ſexum exaſperare immiti ſermone malunt, quam blando demulcere. Caſtitatem exigo. Improba ſiquidem vox eſt, etſi Imperatoris & arguta: *Patere me alias exercere cupiditates meas. Nam uxor nomen eſt dignitatis, non voluptatis.* Data mutuo Fides non niſi cum morte divortium faciat. Comitatem impero, qua alter alterius animum dejectum eriget, triſtem exhilarabit, languentem exſtimulabit, ægrotum levabit, ferocem franget. Si exempla vultis, Clytemneſtras, Danaides, Fauſtinas, Roſemundas deteſtor. Laudo Creuſas, Artemiſias, Iulias, Æmilias, ardua exempla, ceterum cognoſci utilia, quia excellentiſſima animadvertenti ne mediocria quidem præſtare difficile putabitur.

Vado ad Politicam, ſcientiarum omnium

mnium principem & Architectonicam. Hæc ſine ſtatu conjugali nulla eſt. Nec enim civitas, niſi ex familiis coaleſcit, nec hæc perfecta eſſe poteſt ſine viro & uxore. Diſcrimen tamen ingens utriuſque ſocietatis obſervaſſe mihi videor. In illa gravitatem omnia, & ſeveritatem ſapiunt; hæc riſibus, jocis, luſibuſque temperari amat. Sæviat in Capitolio Nero, hic miteſcet. In Areopago frontem corruget judex, hic eandem explicabit; adamantinas leges edicat, hic delirandi ſpatium quæret. In Curia quamvis gravis Cato, hic parum penſi habet, & dum uxori vacat, de Carthagine excindenda minus cogitat. Politica conjunctio hominibus tutandis, hæc generandis ſervit; illa ut bene ſint, hæc, ut ſint, facit, humani generis architectrix unica. In illa ruptam pacem aut legum rigore, aut ferro reparamus. hic urbanitate & intima admiſſione ſopitis amantium iris recrudeſcit amor. Et quanquam Politicorum judicio Reſpublica melius regatur à viris, quam à feminis: nihil vetat tamen de Republ. & has bene mereri. Cum angeretur valde Auguſtus, & inſomnes noctes ageret, deprehenſa in ſe conjuratione L. Cinnæ, ſenſit, & blande exquiſivit Livia, *Et potes,* inquit, *feminam audire? Omitte conſilia de puniendo, cogita*

de ignoſcendo. Vindicta & ſeveritas quod hactenus non perfecere, vide an benignitas ac clementia dabunt. Paruit Auguſtus, ignovit, & in poſterum muliebri conſilio liber ab inſidiis vixit. Oeconomica doctrina tota veſtra eſt. Partes quippe ejus ſunt, parentes, liberi: maritus uxor: dominus, ſervus. De ſingulorum officiis erudite in Oeconomicis ſuis diſſerit Ariſtoteles. Vnum excerpam, idque emphaticum valde: *Viri erga uxorem eam eſſe rationem, quæ principis erga ſubditos.* Quid, quod lib. I. c. I. *Oeconomiam Monarchiam eſſe pronunciet*, & lib. I. Polit. cap. VIII. *Mulieris principatum non per ſe, ſed præter naturam eſſe.* Quare cum Thelemacho, velut in majeſtatis tuæ throno ſedens, exclama:

Αυτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ᾽ ἡμετέροιο.

Sum propriæ Rex ipſe domus, princepſq; meorum.

Lycios nihil morare, qui majoribus honoribus mulieres proſequuntur, quam viros: neque Sauromatas, qui, genus hominum barbarum, in univerſum fere parebant uxoribus. Mathematica ſupereſt. Ab hac normam & amuſſim bene vivendi capite, Vti enim illa omnia ordine, numero, pondere, & menſura facit, ita & à conjugibus hæc ipſa obſervari æquum. A Geometria ſpecialius diſcite, toto cœlo ab amantium ſtudiis differre lineas parallelas: Ab Arithmetica,

metica, quid ſit proportio Arithmetica & Geometrica, cum illius in dote rationem haberi non repugnaverim, hujus in vita, maribuſque haberi neceſſe ſit: Ab Optica diſcite, reflexum amoris radium ſimplici efficaciorem eſſe. Catoptrica non commendo iis, quibus ob virtutem ſolam, pulcherrimoſq; ejus vultus conjuges placent. À Metaphyſica ſtudio abſtinui. Quia cum proprium ejus ſit, ea conſiderare quæ ἐξ ἀφαιρέσεως ſunt, à materia abſtracta; vos vero ea quæ ἐκ προσθέσεως ſunt & materiæ permixta, ametis: veritus fui, ne in modum conſiderandi res Metaphyſicas peccarem, & ἰ ἀπαιδευσίαν dicar hallucinatus fuiſſe.

Deſinam itaque philoſaphari, & læta comprecatione Nuptiis Peripateticis finem imponam, illud ſolum ſi dixero: Felicem eſſe Sponſum, cui uxor talis contigit, in qua cum forma mixturam fecit pudicitia, cum opibus humilitas, cum honeſtis natalibus modeſtia, cum facundia morum candor: Felicem quoque te Sponſam, tali marito, in quo eruditio cum prudentia, cum probitate pietas, cum comitate gravitas optimo fœdere coiere. Viviti læti, & inter haſce vitæ ærumnas, & mundi lubricos caſus, pie ac jucunde ætatem tranſigite, liberoſque in ſolatium ſimul veſtrum &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſubſidium, amicorum & patriæ ſpem plurimos gignite.

Hæc dum remiſſo diſputamus otio:
Foris ſub ipſis prœliatur Alpibus,
Et ſigna tollit præpotentium furor.
Domi triumphos, fracta Rheno cornua,
Victumque Moſam, fataque indomabilis
Miramur urbis. ire retro Cæſarem,
Aquilas fugari, lætiorem Marſacum
Frontem receptis explicare finibus.
In Batavis, tu noſter, amas, primuſqe tuorum
Ordiris, Theodore, virum. dulciſſima res eſt
Conjugium, conjunxqe tibi. poſt bella neceſque
Tranquillum meditaris opus. diſpendia mundi
Tanta cupis ſarcire pater, belloq; cadentes,
Pro patria, reparare animas: proferre nepotum
Nomina. Virginitas, & Virginitatis honores
Sordent cuncta tibi. pudor eſt, ſine conjuge, lætos
Effluxiſſe dies, pigram traxiſſe juventam,
Et magni genuiſſe nihil. Nunc verba mariti
Ingeminat Bickæra tibi, mutataque de te
Adſueſcit matrona loqui. ſic Portia fecit,
Cum ſua in ingenti defigeret oſcula Bruto.
Nec ſapuit Druſilla magis, prudenſq; Serenæ
Pectus, & Auguſto recubans Vipſania lecto.

MAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

MARCI ZUERII BOXHORNII

ALLOCVTIO NVPTIALIS,

AD

Ampliſsimum & eruditiſsimum Virum,

GVILIELMVM GOESIVM,

I.C.& Reip.Leidenſis Senatorem,

SPONSUM,

Cùm domum duceret

Nobiliſsimam & elegantiſsimam Virginem

ELISABETHAM HEINSIAM,

DANIELIS HEINSII,

Viri ſummi, filiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

QVandoquidem, Gulielme Goeſi, hodie in eorum caſtra & ſacramentum tranſgreſſus es, quorum induſtria, virtute, ac fide, ſtet it adhanc diem humana res, pulcherrimum nunc uſum tui, ſi quid in te ſanguinis & viri eſt, eſſe ſcito. De quo jam dubitare neminem ſinunt & ætas tũa & animus, & corporis vigor, & neceſſitas, quam privata primum, nunc publica fide indictam tibi accepiſti; neque illa, cum qua, hujus militiæ inexperta, jam committendus es. quæ quam corpore inter rara ſexus ſui exempla eſt, tam animo ſupra eum excellit. Prælium ingrederis ante te nemini auſum vel tentatum; cujus cum ingens gloria & uberrimus fructus futurus ſit, diutius differri haud debet. Satis, mehercule, per tot annos ignavia peccatum; utque exſpectationi de te omnium magnum diem imponas, neceſſe eſt. Neque tu privatas hic ſolum curas agites, ſed identidem hoc reputa, virtutem tuam intueri Rempublicam. Equidem ejus intereſt, ne (quod haud ſirit Deus) ſolitudinem in ea familia facias, quam ad gloriam temporum, & faſtigium litterarum genitam, ſui ſanguinis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

poſteros, & ad eadem exempla eductos, haud fas eſt deſiderare. quæ quantum ad immortalem gloriam, & ſupra omnium invidiam pridem profecit, ad tantam paucitatem redacta eſt, ſive fato quodam rerum humanarum, ſive quia rariſſima ſunt quæ præ cæteris excellunt, ut quam abunde habet in publica omnium fama & tot meritorum magnitudine, virtuti etiam tuæ debere velit auctam æternitatem. Vides ergo, ut te excitent utrimque majores tui, neu ſuum in te exemplum deſiderari patiaris; & ſuam diſciplinam, ſuaque inſtituta ſequi velint. Spiritus jam tui ac vitæ unus hic fructus eſt, non tueri tantum eorum nomen, ſed propagare. Quæ cum tanta tibi incumbant, aude profecto, & fac periculum virium. Nihil tam altè natura conſtituit, aut abdidit, quo virtus non poſſit eniti. Quod igitur Reipub. ac tibi bene vortat, ad conflictum nunc te compone, & prior hoſtem juvare. Eſt enim major ſpes majorque animus inferentis vim, quam arcentis. Neque tu genus belli aut hoſtem ignoras. Liceat tamen mihi in hac expeditione tua imperantium morem ſequi, & inter genialis menſæ pocula ac dapes, in quis occupatos majores noſtros belli conſilia tractaſſe haud ambigitur, convenienter ad præſentem fortunæ tuæ

ſtatum

ſtatum loqui. In acie etiam promptiſſimi monentur aut accenduntur. Vir virum appello, quo minus ſit inter nos hujns ſermonis verecundia. Et is ego ſum, qui nihil hic tibi præcipere volui, qui primus iiſdem periculis me obtulerim. Neque ſane ejus conſilium diſpliceat, cujus eandem militiam nuper ſequuti adhuc differtur gloria, & nulla exſtant rerum geſtarum monumenta. Sæpe optimis aut non reſpondent, aut non ſtatim adſunt eventus. Nec enim dubias & ancipites bellorum vices neſcis. Neque eodem tempore ſemper vincunt, à quibus eodem pugnatur. Sunt bella & prælia, quæ dies una aut nox, ſæpe horæ momentum, abſolvunt; ſunt in quibus dubitat fortuna, & quæ in longum trahuntur. Macedo ille, terror univerſi, qui non imperator tantum in caſtris eſſe voluit, ſed maritus etiam & pater, & vix quidquam in felicitate jam ſumma deſiderauit; niſi tanti imperii filium hæredem. non uno impetu Granicum amnem, aut Ciliam, cruore Perſarum mox inundatam, aut Arbellam, cujus campi devictorum oſſibus ſtrati ſunt, ſuperavit. Idem tamen ex Aſia in Europæ terminos momento unius horæ tranſivit. Qui exitus ut hanc quoque expeditionem tuam maneat, gloriæ tuæ intereſſe puta. Si hoſtem videas,

vix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vix quidquam tibi metuendum eſt. Nec enim cum peltata Amazone congrederis; quæ Herculem olim & potiſſimos principes ferro provocare auſa, quo arcum promptius expediret & tela, eam ſibi uſſit ſecuitque corporis molliſſimam partem, à qua ſi deſtituta eſſet, quam tu invadis, etiam poſt felicem pugnam, nullum victoriæ pretium putares. Neque alias jam dicam, quæ priſca ætate adverſum viros maxima geſſere. Equidem cum virgine tibi rem eſſe ſcito, cujus quam generoſus & antiquorum Heroinis par animus, tam invalidum corpus eſt; &, cum molles tori ſint ac lacerti, parum adverſum te profecturæ ſunt manus, ac quod victoriæ fiduciam vel maxime tibi faciat, ex iis genita, quæ cum viris commiſſæ, in his præliis ſemper ſuccubuere. Explica omnem annalium fidem, & haud aliter rem geſtam invenies. Neque id admodum mirari te velim. In ipſo quippe æſtu certaminis imprudentes cogitant de pace, ac oſcula oppugnantibus injiciunt & amplexus. Conſilium ipſæ vocant; interim quia ſic pugnant, vincuntur. Neque tu tamen ideo contemnes hoſtem ut imbellem; aut incaute ages, gnarus fortiores ſæpe eſſe, qui contemnuntur. Quæ in hac militia concurrunt cum viris, locum non mutant, aut cogitant de fuga;

vulnera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vulnera excipiunt intrepidæ, & non niſi adverſo corpore, quia ea honeſtiſſima ſunt; &, poſt acceptam cladem, quotidie acriores inſurgunt. Quæ, aut ego fallor, ingentis, &, ſi pateris, maſculi animi ſunt argumenta. Neque tuam, mediusfidius, cui adſunt magnæ omnes, deficient eædem virtutes. quæ ne incautum te fallat, etiam atque etiam vide. In obſcuro ſunt ars & dolus; tantoque magis eſt providendum. Quam hodierno die deditam tibi putas, mox ſe tibi opponet; & in tempore erupturam jam cogitat rebellionem. Ducis nunc aut trahis ut captivam & in vincula conjectam, ſed interim priorem fortunam reſpicit & libertatem. Militiæ ignara eſt, & armorum rudis, ſed tamen pugnabit. Quo ſucceſſu, tu videris. Et tyrones ſæpe haud inferiores veteranis exſtitere. Quæ, hercule, haud prædico, quo tibi ſubſidat animos; ſed ut ante conflictum idoneo proviſu adverſum imminentia te componas. Armatus itaque intentuſque ſis, neque occaſioni tuæ deſis. Quæ hunc diem promiſit, detrectabit mox certamen. Quæret latebras, ut ignava, & trepidantem jam, tuaſque pallentem manus, incingent comites, ut mos ſexus eſt, armatæ, quæ hac ipſa luce adverſum te, ſi neſcis, conjurationem fecere. Tu interim, ubi fæminarum

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

rum agmen obſepiet iter, aditum tamen invenies. Inter quas quantum clamoris & ſtrepitus, quæ vana ſunt & non terrent viros, tam haud ſatis intentæ excubiæ ſunt, & nihil diſciplinæ. Earum tu vitia in gloriam tuam convertes, & per has, quæ incompoſitæ & inordinatæ obſidebunt portas, fortiter erumpes; & cum qua congrediendum eſt, trahes ad promiſſum certamen aut compelles. Enimvero vi iter faciendum eſt. Quod licet audax videri poſſit conſilium, in rebus aſperis tamen fortiſſima quæque conſilia, tutiſſima ſunt. Neque auxiliarium manu, quorum tibi cognita fides, heic uti, inconſultum putaverim. Poſt quæ, in ipſo pugnæ loco, aut prohibitis illis aut dimiſſis, ſolus rem geres. Non labores hic, aut diſcrimina, aut gloria cum aliis communicanda ſunt: Ipſe tibi eris & miles & imperator, ſignum pugnæ dabis, &, ubi videbitur, receptui canes. Nec interim de gloria deſpera. Quamquam obſcurum prælium, non erit ignobilis pugna. Facies, aut ego admodum fallor, rerum tuarum teſtes ipſe. Nec eorum vagitus minus fidei, quam mox verba merebuntur. Quamvis ſolus diſcrimini te offeras, omnia pro te ſunt, ſi recte putas. Locus & cauſſa inprimis. Equidem ſi majores noſtri, (ad quorum exempla identi-

identidem te voco) cum principe gentium populo acrius feliciuſque congreſſi ſint, inſiſtentes iis campis, in quis Varus olim cæſus & tres legiones, quid non tibi animi futurum credam, ſuper veſtigia virilis gloriæ ſtanti? Sub eodem conopeo, & in ſtragulis, quales tuæ, virtutis tuæ nunc area & campus, & eadem in poſterum tibi æſtiva ac hyberna, ab omni retro ævo omnis fere pertinacia fæminarum profligata eſt. Cauſſa vero, ut mihi ſpei ipſius fiduciam, ita ſane animos tibi addat. Æquam æſtimat numen & tuetur. Si in acie ſtantes adverſus confertos hoſtes accenderit unquam liberorum & conjugum, quæ cuivis bono cariſſima ſunt, ſive memoria, ſive aſpectus, quomodo non ad certamen te inflamment, & de ejus eventu optimam ſpem abſolvant, tori tui ac pugnæ jam eadem conſors. & tot ſuaviſſima pignora, quorum ſola cauſſa in præſens diſcrimen res tuas adduxiſti? Magnus me profecto animus habet, futurum, ut hic dies, niſi noctem malis, magnæ rei & pulcherrimæ tibi gloriæ initium ſit. Tu modo, ut cœperis, inſtandum puta, & animum confirma conſtantibus exemplis. Nec te moveant lachrymæ aut gemitus proſtratæ. quæ ut fæminarum propria ſunt, ita viros non percellunt. Enimvero ubi pugnandum,

miſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

miſericordia melior aliis eſt, quam multi affectus. Plura hic ſæpe peccamus cum demeremur, quam cum offendimus. Sed & demereberis tibi, quam hic offendes, & vinces. Eſt tibi enim, niſi me fallat animus, in hoſtilibus caſtris favor, ſed in occulto. Pro quo tamen, prima coitione, quæ acerrima eſt, odium tui, & indignatio, & dolor erumpent. Sed bono animo te eſſe & optima ſpe velim. Nullæ jactantius mærent, quam quæ [illegible]e lætantur. Intret gloriæ animum [illegible]uum, & tantæ prædæ cogitatio. In qua non aurum & argentum aut margarita, quæ alibi & inter avaros pretia victoriæ ſunt, æſtimabis. Exuet hæc illa & ſeponet, ut virtutis & pugnæ impedimenta. Videſne interim opimum ſpolium? Tu modo invade ſedem gloriæ ejus & occupa; arcem tanta hactenus fide & cura cuſtoditæ, ac invictæ virginitatis. Non plus amittunt principes aut tradunt, cum caput rerum & majeſtatem aliis inviti tranſcribunt. Nam in hoc bello, ſi neſcis, quidvis licet; etiam quod jus gentium & diſciplina in alia expeditione haud concedit; avellere, nimirum, virginem ab oſculis parentum, & propinquarum complexu, ac vim inferre. Non ignoro laudibus in cœlum attolli modeſtiam P. Scipionis, qui captam virginem, ſpecie eximiam,

miam, eadem habuit, qua apud parentes, verecundia, & Luceio, adoleſcenti Celtiberorum principi, reddidit inviolatam. At hanc tuam publicus conſenſus, &, quod majus eſt, ipſa ejus confeſſio jam fecit. Itaque cave, ne temere magnum exemplum imiteris. Nam, ſi quid mihi credis, nullam ab his, quorum nunc erectæ ſpes ſunt, inibis gratiam, nec pro veteri gloria erit, ſi ad proximæ lucis exortum reſtituas aut commendes intactam. Virtutem tamen Scipionis in ipſo certamine ſequi te velim. Neque anguſtiæ loci terreant, in quas includeris. Nequidquam deſideras æquiorem, ubi uno tantum ſaltu opus, neque à tergo circumvenire hoſtem neceſſe eſt. Neque alias pugnandi leges aut ego tibi dictem, aut tu ſequaris, quam quas à majoribus tuis, fortiſſimis ſanctiſſimiſque viris, accepiſti. Non morabor impetum tuum. Iam enim accinctus es, & claſſicum te vocat ad certamen. Interim diſcinctus, ſi quid judico, melius rem geres. Pugnabis autem proſtratus, & vinces, cum jacebis. Vt enim nova pugnandi hic ratio eſt, ita etiam vincendi; & ſimilior fere victo eſt, qui vicit. Non eo inficias aliena hæc tibi videri; ſed id tamen ſcito, has leges primos illos auctores conſervatoreſque generis humani poſteris tradidiſſe. Quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

rum ope, labore, providentia factum eſt, quod auctum hoc gentis humanæ imperium, & multitudine hominum tam frequentem hanc Rempubl. hodie videamus. Cætera inter arcana ſunt. Si vero, quod ne fiat pro ſapientia tua providebis, in primo vel altero congreſſu, dubitet aut iniqua tibi fuerit fortuna, ſcias defenſioni eſſe locum, quæ non difficillima eſt apud haud ignaros humanarum neceſſitatem. Neque, mediusfidius, id animum tuum dejiciat, aut ab inſtituto dimoveat. Populus Romanus cœptum pro Campania cum Samnitibus bellum, per centum annos variante eventum fortuna, conſtanter tulit. Neque ideo minus reportata poſt victoria & virtus gentis celebrata eſt. Noctem hanc dies noctesque aliæ ſequuntur. Tuum erit, ſemper ſtare in procinctu; aliquando ictum repetere; quævis captare tempora, ſive meridies ſit, ſive ortus, ſive occaſus; non redimere vacationem muneris, quod proprium hic eſt & tantum tuum; denique, poſt annos ſexdecim, ut olim veterani, non exſpectare miſſionem. Illam hæc pugna non permittit aut agnoſcit. Tu vero, inter quoſvis caſus, hanc ætatem, hunc vigorem tuum & crudum genu cogita. Quibus niſi jam utare, quantum annorum accedit, tantum tibi roboris perit.

Noſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Noſti illam quiritantium Macedonum, & ſenio fatiſcentium vocem; IAM TELA HEBETIA SVNT, IAM DEFICIVNT ARMA. Iccirco tu circuitu gloriã non petes, quæ ad manum poſita eſt. Sed ego ardentem jam, & tanta meditantem, teneo potius quam compello. Procurre igitur in prælium, & totum te effunde. Deus tuus, cujus auſpicio hæc geris, & virtus tua, de qua nihil exſpectatur mediocre, aut inferius gloria majorum, te ſequatur. Caſtra partim aperta ſunt. Si quid adhuc clauſum eſt, reclude. Quid in te virium ſit, hæc nox oſtendet. Poſteros modo cogita & majores, qui erecti omnes ſunt maximi eventus exſpectatione. Tui, inprimis, & gens tota Heinſiorum. cui in eruditi orbis regno, optimorum conſenſu, ſceptra jam & principatus deferuntur. Hi tuas intuentur manus; tuum ardorem, rerum, quas geſturus es, vadem prædemque habent. Et jam, hercule, ſpectare mihi videor, quæ nondum geſſiſti. Iam proſtrata eſt, quam invadis. Iam rebellionis pertæſa, cum tuam in puga, & poſt victoriam, comitatem & manſuetudinem ſit experta, gaudet ſe eſſe debellatam. Dexteram iterum tibi dat ac fidem, &, ut inſtaurati fœderis quædam leges, oſcula & amplexus repetuntur. Non jam hoſtem appellat aut credit, ſed amicum.

Iam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Iam poſt rem ſtrenue geſtam ſecurus, ſomnum in iiſdem caſtris capis, in quibus pugnaſti. Quanquam non pax iſta eſt, ſed armiſtitium. In quo cum utilitatis plus, ac momenti ſit, nec pacem hic accipis, nec quæris. Nam multo tibi plus ex eo gloriæ, poſt depoſita paullum arma, ſæpius iterum pugnare & vincere, quam ſemel vincere, nec poſt pugnare. Nos vero, quanquam de civili aut domeſtico bello, ampliſſimum triumphum tibi decernemus. In quo tu, pompæ tuæ auctor ipſe & caput, omni civitatis populo in ſpectaculum effuſo, captam nunc & oppugnatam & victam, ut vitæ ac omnis fortunæ ſociam, & tuorum matrem, atque ex eâ imagines tui, præmittes aut poſt te trahes: cum inter vota & lætiſſimas acclamationes, pro tuæ & Heinſianæ domus æternitate, tuum vigorem deſiderabunt ſenes, ſequentur viri, omnes admirabuntur; cum ad orbitatem damnati à natura, cum ſteriles, & infæcundæ matres, tuam tibi, quod felicitatis proprium eſt, invidebunt fortunam; denique ipſi etiam, quorum nondum recluſa ora, balbutientes parvuli, omni tamen exceptione & quovis publico monumento majores, teſtabuntur virtutem tuam & commendabunt.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

LAVS
PEDICVLI,

Ad Conſcriptos Mendicorum Patres.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

LAVS PEDICVLI,

Ad Conſcriptos Mendicorum Patres.

SAcrum morbum eſſe opinionem vere pariter ac eleganter, Patres Mendicorum, ab antiquis proditum memoriæ eſt. Cujus tanta vis eſt, ut ſi quem vel levitur afflarit, eum, tanquam vinctum conſtrictumque teneat, neque ad veritatis lucem oculos attollere permittat. Id vero vel inprimis deplorandum, quod judicia, in quibus de ſalute agitur mortalium, cum ſemel tenuit, ſuffragia ſententiaſque moderetur, & in partem alteram, quodcunque animo concepit, ferat ac decernat, imo hercules pro judice ſe gerat. Quod in cauſa rei noſtri manifeſtum eſſe, quis tam nullo præditus eſt ſenſu, qui non fateatur? Pediculum hunc, celebre animal ac cuivis notum, hoſpitem ipſius hominis domeſticumque, ortum ex homine ac creatum, in iiſdem focis ac laribus eductum, ejuſdem Fortunæ, Penatium, & ſi quæ domeſtica ſunt vobis ſacra, omnium participem, veſtrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vero comitem fidiſſimum, premunt libenter homines, & in contemptum, quantum poſſunt, hactenus adducunt: neque terra jam & mari, ſed quam unam habet vitæ atque fortunarum ſedem, corpore humano interdicunt ac proſcribunt. Cujus rei cauſam ſi quis quærat, nullam præter unicam inveniat opinionem. quæ ut penitus ex animo tollatur, ad ſalutem rei intereſſe exiſtimo. Quem ut vobis diligenter commendem, ſatis eſt, ſi laudes ejus non ignotas vobis eſſe ſinam. Ajunt primo omnium, infame eſſe nomen. Dii veſtram fidem? quod à parte honeſtiſſima deſumptum eſſe, ipſi ne negare quidem audent, Vnde Pedem primo, mox, ut blandientes ac amantes ſolent, merito Pediculum dixerunt. non profecto minus caſta voce, quam, aut Oedipum aut Polypum: in quibus eadem vox extat. Opinionis ergo vim videte, ac ſemel penitus perſpicite. Pediculorum montem, populos Pediculos, Pediculorum ſive agrum ſive flumen, dici nemo turpiter exiſtimat. ne de foliorum & fructuum pediculis hic agam. Quanquam equidem Romani, ne præclara quidem & magnifica deeſſe illis voluerunt nomina. Vt cum Serpentes & Sexupedes dixerunt. Multo vero minus Græci. qui ab pſa rationis officina, cerebro humano,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

unum inter cætera impoſuere. Hebræi quoque ab efficaci voce *canan*, quod fundare illis(unde *can*, quod eſt baſis, pes, ſive fundamentum!) dixerunt. Vel quod, puncti inſtar, animalium majorum fundamenta ſint: vel quod multis pedibus, ut baſi, nitantur. Ergo *cinnim* genti antiquiſſimæ vocantur. Græci interpretes Sacrorum, σκνίπας, non ut diverſa animalia, quod nobis ſemper viſum, ſed à ſpatio dixere. quia σκνιπὸν, id quod eſt exiguum, aut parvum. Vnde & Chaldæis, à contracto corpore, & conciſo quaſi, *cimlin*. A quo & *camla* Arabum. qua voce hoc animal deſignant. Neque eſt quod quenquam horum pudeat. cum ſubtilitatem corporis ac modum, virtus vel excuſet vel commendet. Quam & in formicis quiſque admiratur. quibus ſummam quoque antiqui prudentiam aſſcribunt. Neque minus noſtri, cum humana corpora invadunt, ſtrenue rem gerunt Vt de ſingulis eorum dici poſſit, quod de maximo heroë ſummus vates,

Τυδεὺς μέν τοι μικρὸς ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

Corpore parvus erat Tydeus, ſed maximus armis.

Quanquam ſane reus noſter, nihil ad ſe pertinere quo dicatur nomine, exiſtimavit unquam. Quam præclaram ἀδιαφορίαν,

ſine dubio è Stoicorum barbis ſuperciliiſque, in quibus olim vixit, idem traxit. Porro cum à patria plerumque fontem laudis ac originem & oratores & philoſophi deducant, (quod Platoni quoque in Menexeno probatur) noſter, neque Athenis neque Romæ natus eſt. quarum civitatum laudes ſæpe ad faſtidium jam uſque magni oratores celebrarunt. Patria pediculi eſt Homo. Cujus merita ac laudes prædicare velle, putidi ſit & inepti. Sicut autem ſolus ratione præditus eſt homo, ita ratio in ſumma ejus editaque parte, domicilium ac ſedem habet: capite nimirum. Quam profecto ſibi, tanquam arcem quandam, minime, ut reor, contemnendam, merito delegit. In hac naſcitur ac educatur: in hac opes ſtabilitas ac fundatas habet. Hujus incola & civis eſt: non inferiora, hercule, ſecutus. Cum vero, quod antiquus vates eleganter cecinit, vicino bono nulla res ſit melior: ille mentem, ille intellectum, ille prudentiam ac ſapientiam, vicinas, ac propemodum domeſticas, hic habet. A quibus cum longiſſime abſit aſinus, obtuſum animal ac hebes, ſolus pediculos, ut vulgo creditur, non novit. Contra autem prudentiſſimi mortales, præter hominem, divinum animal ac vere primum, canem quoque ac philomelam ardentiſſi-

dentiſſime ſectantur: quos ingenio præſtare norunt. Ne non verum ſit, quod primum ab Homero, mox ab Ariſtotele eſt dictum, Cum ſimilibus plerumque ſimiles conjungi. Soli ex felicitate ingenii divinitatis vocabulum Platoni impoſuit antiquitas: cujus pediculi proverbio circumferuntur. Ne de Pherecyde, & Alcmane, quos ad necem uſque comitati ſunt, hic dicam. Porro nobiliſſimi in capite morantur:

Plebs habitat diverſa locis.

Nam colonias, ut plurimum, ubique, in veſtibus, in ſuperciliis, in barba, deducunt: licet non ejuſdem omnes generis ac formæ. Antiquitatem ſi ſpectes, ſupra Erichteum ac Cecropem, ad Deucalionis tempora continuabis. Simul enim ſpiritu humano incaleſcere cœperunt ſaxa, hunc calorem reus noſter eſt ſecutus. Qui ut quam longiſſime ab omni frigore verſetur, ſua ſemper intereſſe exiſtimavit. Homo igitur, è ſaxis, ex homine prognatus eſt pediculus. tanto nobilior origine, quanto ſaxis ac lapidibus nobilior eſt homo. E carne naſci Ariſtoteles, è ſanguine autem Theophraſtus voluit. Vtramque nobiliſſimam ac primam eſſe corporis humani partem, nemo neſcit. Ajunt vero è cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ruptione naſci. & hoc telum contra innocentiam valere, crudeliſſimi actores arbitrantur. Nolite pati, Patres, imperitiam in foro veſtro ad calamitatem rei, ultra veritatem poſſe. Idem enim homini, ſi pergant, idem cunctis animalibus eveniet. Ex corruptione enim ſanguinis ut ſemen, ita è corruptione ſeminis, cum homo, tum & animalia naſcuntur cætera. Quid formoſius pavone? è corruptione ovi naſcitur. Quid apibus prudentius, quid fœdum minus, magis autem neceſſarium in terris? è corruptione bovis naſcuntur. Nihil enim generat ex alio Natura, niſi iſta lege, ut aliquid corrumpat. & hac lege omnia conſervat. Vnde omnia mutari, nihil interire, à Pythagora præclare dictum. Contra vero, ita me Dii ament, mira ratione factum dicas, ut eodem modo duo celeberrima naſcantur animalia; Pediculus & Phœnix. Alter è parentis ſui cinere: è lende alter. Vt non ſine cauſa utriuſque originem ſcriptores nobiliſſimi conjungant. At vero, Ariſtoteli ſi credas, Nihil fieri è lende, jam vicarium divinitatis, primum feceris Pediculi autorem. Calorem nempe univerſalem: quam non ſine cauſa creatorem Arabes dixerunt. cui, cum hoc animal eſt procreandum, naturalis quoque accedit. Iam ſi educationem quæras; ſimul

ac uſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ac uſuram lucis pediculus uſurpat, iis artibus ac diſciplinis inſtituitur, in quibus utilitatis plurimum ad inſtitutum vitæ repoſitum exiſtimat. Natare non diſcit. in continente enim habitat. Neque literas & diſciplinas.quippe quas prodeſſe parum ad virtutem doctoribus plerunque videt.Igitur in re familiari & domeſticis negociis plerunque occupatus, quicquid ab edendi exercitio ac cura relliquum eſt, contemplationi ocioque impendit. Facilitate autem vitæ, ad Homeri Deos ῥεῖα ζώοντας, quam proxime accedit. Cibum enim quo ſe ſuſtinet, non quærit ſed in promptu habet: qui,quocunque ſe convertit,ſine apparatu fruitur paratis. Vt omittam aliud, quod cum Homerica divinitate habent commune.

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον.
Nec fruges comedunt, nec libant,munera Bacchi.

Terram non exercent aut arant, ſed humanas carnes vellicant leniſſime ac pungunt. Conſtitutionem corporis ſi quæras; pene oculorum aciem excedit. Membra quidem certe maxima ſubtilitate artifex natura texuit. ita ut ad intellectum proxime accedant: viſum autem vix admittant.Quod cum incorporeis propemodum commune habent: quæ nobilitate ſua ſenſus excedunt. quare & ſola ratione pene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

trari poſſunt. Etiam cum atomis.è quibus architectus olim Leucippus, fabri Democritus & Epicurus, orbem conſtruxerunt. Quas idcirco *corpora materiaï*, *corpora prima*, *primordia*, *rerum ſemina*, item, *materiem*, familiaris Epicuri Romanus poëta dixit. Sed præſertim Acari, notus Ariſtoteli, qui & nomen idem fere, certe ab eodem, traxit: cæterum nec dividi, nec findi, & propemodum videri non poteſt, Qui ſi incurreret in oculos, neque modo ipſe ſed & membra ſub aſpectum ſingula, inprimis autem pedes, venirent, ſaxo protinus hamatum illud, aſperum ac leve atomorum ſpectares. Iam vivendi genus placidum delegit ac tranquillum. Non volatile, ut aves, neque deſultorium, ut pulex: ſed pro dignitate vitæ ſuæ, ſtabile ac quietum. Paſſu tardo ac compoſito incedit, neque quicquam è philoſophia tam amplecti quam ſilentium Pythagoræ videtur. Intentionem enim mentis nihil æque ac ſtrepitus offendit. Quæ ſi eſt continua, felicitatem quidem certe humanam excedit. Neque ab actione tamen prorſus abſtinere ſolet. ſemper enim epulatur. Sociale animal eſſe hominem, ideoque civitatis fundamentum eſſe ac Reipublicæ, præclare dixit Ariſtoteles. Quod inprimis noſtro convenire, nemo ignorare poteſt niſi qui

non

non vidit. Nam & inter ſe, & cum homine libenter ſociantur. De forma Reipublicæ qua vulgo utuntur, haud perinde pronum judicare eſt. niſi quod à populari minimum recedat. Nam & numero cenſentur, & judicio à plebe ac dignitate non vincuntur. In bello, non tam cuneatim quam globatim incedunt: neque inter ſeſe, quod & furioſum eſt in homine ac dirum, ſed cum ipſo homine confligunt. De quo & ſæpiſſime triumphant. Neque minus cum eodem amicitiam conſtanter colunt. fide vero ipſum vincunt. Siquidem

---fugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi.

At Pediculus conſtanter manet: nec fortunam venientem ſequitur, aut fugit recedentem. niſi quod adverſa, hoc eſt, veſtra, (ea eſt præclaræ mentis generoſitas) inprimis delectatur. Paupertatis enim comes eſt & aſſecla,

Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Quare, ut olim Scipio, de quo antiqui, nunquam minus ocioſus erat, quam cum ocioſus eſſet: ita vos, Conſcripti Patres, nunquam minus eſſe ſolos reor, quam cum ſoli in compedibus ac carcere verſamini. Adſunt enim vobis comites perpe-

tui ac fidi, qui in crucem uſque vos ſequuntur. ac præſertim, Peſſulatas ſive Plactulas quas vocant: quæ plerunque in pube, axillis, barba, palpebriſque ſtabulantur: quemcunque ſemel invaſere locum, ejus ad ſupremum uſque ſpiritum tenaces. At de cæteris, inprimis mirum eſt ac prope ſupra fidem, quod dicturus ſum. Nam ut Trojanorum Deos Magnos & Penates, cum jam urbem invaſuri eſſent Græci, eam reliquiſſe nobiliſſimi autores tradidere, ita iſti, cum quem moriturum vident, agminatim cedunt. Neque id medicos prudentes unquam aut philoſophos fefellit. Vnde hariolos nonnulli & divinos autumant. Res eorum geſtas, ſi menſuram corporis intueare, paucas eſſe aut nullas, credes.

At ſimul heroum laudes ac facta parentum
Iam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus.

in diverſum protinus abibis. Ipſi enim, ſive ingenua, ut arbitror, modeſtia, ſive quod Annalius memorias intenti rebus aliis contemnunt, laudes ſuas, & quæ fortiter geſſere, non nolentibus hominibus, diſſimulant. Syllam quidem, hercules, terrarum principem, ac Romanorum ducem, qui bis Marium bis Mithridatem profligavit, qui Athenas expugnavit ac evertit, ferro Ita-

ro Italiam ac cædibus miſcuit, facto ſimul agmine invaſere. Ne Arnulphos, Antiochos, Herodas, Maximinianos, Pheretimas, Honorios. Caſſandros, hic commemorem; Reges omnes Principeſque; ne nunc ad privatos eam. Cum quibus, ſine ferro aut milite congreſſi, illuſtriſſimam victoriam ab iis retulere. Vt merito, ſi quicquam judicare poſſum, uſurpare de ſe illud reus noſter poſſit,

Εἰμὶ φθεὶρ, ἀνδρῶν δαμάτωρ, δαμάτωρ
δὲ τυράννων,
Τῆς μεγαλαυχήτου φθεὶρ Θέμιδος θεράπων.

Quos Latine reddidiſſem, niſi carmen Romanum fugeret pediculus; Græculis non ſine cauſa æquior. Quanquam ſane & reliquos, cum quibus contrahit, benigne ac familiariter habere ſolet. Non enim lancinat aut lædit quenquam, ſed titillat. niſi ſi quos facto agmine expugnat. Qua in re, ut recte in Phædone ait Socrates, majorne ſit voluptas dubites an dolor. niſi quod ex ipſo (ſi quis tamen dolor hic eſt) oritur voluptas. Quam quidem titillationem, ita vobis gratam eſſe equidem confido, Patres, ut præcipuum ac maxime jucundum paupertatis veſtræ ac calamitatis condimentum eſſe arbitrer. Sæpe vidi, quanta delectatione, modo tergum, modo caput,

modò latus, modo partem aliam, quam leniter ſollicitare hoſpes veſter cœperit, fricare ſoleatis. Si voluptas enim, Platone teſte, mera eſt repletio, ea autem naſcitur ex indigentia, cauſam voluptatis veſtræ quæ in frictione ſumma eſt, ullam præter hunc quem accuſatis, miror ſi adferre poteſtis. Quem (quod lepidum eſt dicam) caput dum ſcalpitis, membra fricatis, hoc ipſo non extinguitis, ſed generatis. Cujus rei cauſam vos philoſophi docere poſſunt. Quid quod medici officio funguntur? Sanum enim optimeque conſtitutum iis eſſe caput quos invadunt, ipſi medicorum principes fatentur. Iam in morte qua conſtantia, Dii boni, qua præſentia eſt animi! Sæpe enim fato jam vicinus, & in pectine ipſo ſitus, in quo diem claudere ſupremum ſolet, ſpatia ſecurus aliquot ſine ulla mentis perturbatione conficit: ne quid præter vitæ anteactæ dignitatem agat, aut exiſtimationi ſuæ maculam inurat. cujus magnas præclaraſque animas, præcipuam habere ſemper rationem conſtat. Auguſtus quidem Cæſar εὐθανασίαν, hoc eſt, mortem facilem ac repentinam exoptaſſe fertur. Quam, me judice, unus hic conſequitur. Non enim lentis, non acutis conficitur doloribus, Non laterum; non renum, non veſicæ morbos experitur. Puto,

quod, naſcente illo, Venus in octavo ab horoſcopo loco conſtituta fuerit. quæ, ut mathematici præclare docent, mortem facillimam, & ab omni immunem dolore, generi mortali, in quo non poſtremum noſter locum obtinet, decernit. Ille autem pollice converſo, protinus extinguitur. Ea tantum parte deplorandus, quod immerito. Quanquam nec idcirco miſer dici poteſt. Nemo enim innocentem & calamitoſum, recte infelicem dicat. Quod & ante mortem Socratem dixiſſe ferunt, cum amici quidam ideo dolerent, quod immerito id evenire viro optimo exiſtimarent. Et plerique morte acerba extinguuntur: ideoque, ſine pompa, ludis, ac præcone, tacito, non indictivo funere, exponuntur verius quam efferuntur. Forte, quia intra tyrocinium, & ante ſumptam publice virilem togam, moriuntur. Vnde & inteſtati, ut plurimum, diſcedunt. Atque hæc quidem pauca ſunt de multis? Nam quis omnia ſe poſſe ſperet? Cum præcipuus ſcientiarum omnium conſultus ac interpres maximus, Homerus, ſi quid Græcis creditur, naturam ejus cum quo ſemper vixerat, ænigmate deluſus, explicare non potuerit, reique tam excelſæ victus tædio, cum vita mortem commutarit. Forte & in pœnam. Sunt nonnulli

quippe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quippe, qui de dignitate ejus parum reverenter alibi locutum ferunt. Grammatici inprimis: qui à reo noſtro nunquam alieno animo fuerunt; hoſpites paterni ejus ac familiares. Vos vero, Patres Principeſque Mendicorum, etiam atque etiam in poſterum videte, quid agatis. Quippe ſi ſupplicium delectat; relegatio in promptu aut exilium. Poſſunt enim aut in terram comiter deponi, aut, quæ veſtra eſt civilitas, in alium, honoris ſpecie, cum voluptate ac judicio, trasferri. ubi ævum, ſicut prius, agant, neque quicquam præter locum mutent. Exemplo ſane res non caret, & proficere in re magna, ſerum nunquam eſſe debet. Prudentiſſimos mortalium ac prope ſolos ſapientes, Indos, inde à Gymnoſophiſtis, habitos, neſcire non poteſtis. Gentem apud eos eſſe ferunt, Bancanam quam vocant, ea parte quam nunc Guzzaratam dicunt, qui cum admirandi hujus animalis ſoli prope intelligant præſtantiam ac dotes, fovent, quantum poſſunt, & hoſpitio indulgent. Cæterum, ut mire eſt fœcundum, ubi generis propago jam diffundi cœpit,

Et nati natorum, & qui naſcuntur ab illis,

è deſerto ſacerdotem vocant, qui divinis eos manibus cum cepit, ſuo ſibi capiti imponit,

ponit,

ponit, ac deinceps liberaliter educit. Sunt qui captos in parietum ruinis ponunt ac occultant: ſi quis autem mortem, dum aſſiſtunt, inferat aut tollat. lachrymis ac precibus plerunque intercedunt, ne in oculis atque in conſpectu ſuo tantum facinus patretur. quæ ſi nihil poſſunt, auro vitam ſingulorum redimunt, quod protinus perſolvunt. Cum quibus prudentiſſimi mortalium Iudæi faciunt à quibus, ut eorum ſapientes tradunt, הָחוֹרֵג בִּנָּהָ בְּשַׁבָּת hoc eſt, *qui ſabbatho pediculum trucidat*, repræhenditur. quos & ad luminaria quæ tum accendunt, perſcrutari nefas habent, Hæc ſi nunquam audiviſtis, ſaltem nunc vos tangant. Miſereamini per ipſas cenſeo eorum umbras atque manes, qui crudilitatem veſtram ſunt experti. Parcite miſeris, ſupplicibus, victis, conſanguineis veſtris ac propinquis: qui è vobis nati, à vobis educati ſunt. Qui vos colunt, vos ſequuntur, vobis hærent: qui utranque vobiſcum fortunam experiri ſunt parabi. Cavete, ne dum ſolam hic, ut alibi, opnionem ſequimini, modis plurimis à veritate aberretis. aut dum nihil quam perſuaſionem fortiter tuemini, ſcelere eam cumuletis.

GRAM-

GRAMMATICALE BELLVM,

Nominis & *Verbi* Regum,

De principalitate Orationis inter ſe contendentium, nuper editum à R. D. Andrea Salernitano, Patricio Cremonenſi.

GRammaticæ provinciam cæterarum omnium, quæ ubique terrarum fama celebres ſunt, pulcherrimam, feliciſſimamque eſſe, nemo ferme vel mediocriter eruditus eſt qui ambigat. Quippe cum amœnitate ſitus, ſalubritate cœli, frugum omnium copia, rebuſque aliis, quibus mortalis hæc vita carere non debet, nulli cedat, tum illuſtrium virorum nutrix ſemper extitit & alumna. Sicuti enim ætate hac, ita priſcis etiam temporibus inviolabiliter obſervatum fuit, ut quicquid ubique gentium (Barbaras & deſides nationes ſemper excipio) gigneretur ingenii bonæ indolis, alicujuſve ſpei, eò ſanctiſſimis imbuendum diſciplinis mitteretur: ex hac ſiquidem ad ſublimiores regiones, beatioreſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tioreſque habitationes Dialecticam ſcilicet, Philoſophiam, Theologiam, cæteraſque illis ſimiles provincias unicus aditus patet: & niſi eam peragraverit, in illarum ſacraria minime quis valeat penetrare. Quæ quidem licet tanta polleat amœnitate, & rerum copia, eſt nihilominus altiſſimis circumdata montium criſtis, & inacceſſis eouſque circumſepta Alpium jugis, ut niſi peritum habeas itineris ducem, ad ejus plana, cultaque nunquam valeas pervenire. Fuit proinde, ut & nunc eſt, ejus provinciæ regibus laudabilis & pius mos, ne mortalium genus tam neceſſario bono privari queat, ex ſuis militibus veteranos (quos pædagogos vocant) in omnes mundi partes dirigere, qui tenerioris ætatis adoleſcentes (nam adulti & provectiores haud facile diſciplinam recipiunt) ad ipſa uſque regum palatia incolumes perducant, ubi & Latiæ & Cecropiæ Minervæ artes eruditi prędictas, poſtea ſublimiores regiones ſcandere valeant, & expeditius penetrare. Ibi Græci omnes, Latinique, quos vel propria ſcripta, vel aliena celebrant monumenta, tyrocinia ſua prima exercuere, ibique edocti, atque inſtructi, tantis poſtmodum floruere geſtarum rerum præconiis, ut viventes ætatis ſuæ hominibus maximo ad virtutem

fuerint

fuerint adjumento: & vita functi, poſteris tanquam extenſo digito, recti ad laudabilem vitam callis ſemitam demonſtrarint. Provincia hæc itaque licet unica ſit, & individua, geminos tamen habet qui in ea imperent, potentiſſimos reges, *Verbum*, ſcilicet & *Nomen*, & prior quidem *Amo*, poſterior vero *Poëta* nuncupatur: qui diutiſſimis temporibus tanta ſimul regnavere concordia, ut in conficienda oratione ex qua utriuſque imperii vectigal omne conſiſtit, nullum unquam diſſidum, nulla diſſenſio, nullum denique litigium inter eos fuerit auditum. Nihil autem in omni grammaticæ ſolo gignitur oratione præclarius, nihil dignius, nihil ſalubrius, quæ jucundiſſimis compacta florum coloribus, pulcherrimis ornata rerum figuris, ac ſuaviſſimis redimita roſarum nexibus, tantæ eſt auctoritatis & virtutis, ut cum mortales omnes, (modo recte apteque perorетur) in ſui admirationem trahat, tum à diis ipſis quicquid voluerit, valeat extorquere. Vnde eſt illud Euripidis dictum, Omnia conficit oratio, quæ hoſtile ferrum conficere non poteſt. & Pyrrhus plures à Cygnea oratione quam à ſe armis urbes captas dicere conſueverat.

In hac igitur regum concordia, cum Grammaticæ totius res optime procederent,

rent, felicique proſperarentur ſucceſſu, accidit, ut orta inter eos ex parva cauſa diſſenſione, cuncta tumultibus, & inexpectatis bellorum anfractibus involverentur. quid enim non faciant vinum, & immoderatius ſumptæ epulæ? Tantam animorum conjunctionem unius convivii ebrietas, in eas impulit utrunque Regem inimicitias, ut immoderata dominandi libidine, tanquam ſilveſtres tauri aſylo acti propria regna, & tam nobile Grammaticæ imperium pene everterint.

Referam autem quonam pacto geſta ſit res, ut ſciant omnes, nullum eſſe tam arctum amoris vinculum, quod regnandi libido non ſolvat. Quapropter Dionyſium ſeniorem dicere ſolitum ferunt, ab amicis etiam cavendum eſſe ei qui præſit. quando ignarus non ſit eos imperare malle quam ſervire.

Cœnantibus itaque aliquando prædictis Regibus in medio æſtatis fervore, ſecus placidiſſimum & perennem fontem, cujus ripas undique virides fagi & altiſſimæ platani opacitate eximia adumbrabant. Poſtquam abunde ventri factum eſt ſatis, cum incaluiſſent omnes mero, orta eſt inter eos quæſtio, cujus nam partes in conficienda oratione potiores cenſerentur. Et *Verbo* quidem digniorem locum

ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſibi aſcribente, acriter reſiſtebat *Nomen*, aſſerens ſine ſe ſtare orationem non poſſe, ex ſeque procedere, quod intelligibilis habeatur, & grata. Quid enim (ajebat) facis tu in oratione ſine me? ſi paululum præſentiam meam ſubtraxero, non ſecus te intelligant audientes ac mutum loquentem: confice illam pauliſper ſine me, fac ut ſciant audientes quid tibi velis, certe niſi ipſe interpres accedam, vel ipſa intentionis tuæ primordia nullus valeat penetrare. Sed & illud notari eſt dignum, quod quo te antiquior ſum, eo etiam dignior debeo comprobari. Quis vero neſciat fuiſſe prius *Nomen* quam *Verbum*? aut quis non intelligat *Nomini*, quam *Verbo* vetuſtiora adeſſe exordia? Deum certum eſt feciſſe omnia: quod ſi omnia, utique & *Verbum*. Deus autem *Nomen* eſt, non *Verbum*. Igitur à *Nomine* facta ſunt omnia, etiam ipſa oratio. Legiſti ne aliquando, Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta? Dei hæc eſt ſententia. huic refragari, minime tibi fuerit fas. Si Ioanne nullus eſt major, Ioannes autem eſt nomen ejus, & cui nomen erat Ioannes, apparet certe nihil majus *Nomine* poſſe reperiri. Sexcenta ſunt teſtimonia quæ poſſint afferri, quibus luce clarius diffinitur, ſicut dignitate, antiquitateque,

ita

ita & auctoritate *Verbo* longe *Nomen* eſſe præſtantius : quæ omnia ſponte prætereo, ne verboſitate nimia, non cauſa, *Verbum* ipſum videar ſuperare.

Mirabar, reſpondit *Verbum*, ô *Poëta*, quod te Plato ille divinus ſua ejeciſſet Republica : nunc animadvertens quanta impudentia, temeritateque divinas aucto-ritates tuis ineptiis involvas, ſapientiſſ. Philoſophum recte judicaſſe ſatis animad-verto. Nam niſi te ea, quam conſtituebat, Rep. exſibilaſſet : cum aliis multis, tum falſis religionibus, portentoſiſque diis om-nium civium tuorum mentes pervertiſſes. quid enim non audeat tua arrogantia, tua mentis elatio, quando poſſeſſa à me diu-tiſſimo tempore prioris loci in hac pro-vincia dignitate, vel cum fictis inverſis & intortis ſacræ paginæ teſtimoniis extur-bare me conaris? Enim vero ne ſolus lite-ras ſcire videare, manifeſtiſſimis & planiſ-ſimis ejuſdem paginæ dictis auctoritatem meam conſervabo. Proferam autem ipſum veteris ſcripturæ caput, ubi dicitur, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. arrige aures, cur faciem caperas? Deus inquit erat verbum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Non igitur *Nomen* fecit omnia ſed *Verbum*, Deus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

autem erat verbum non nomen :ſed verbo Domini cœli firmati ſunt & omnis virtus eorum. Quid igitur dices? non eſt quod te divinis tueare teſtimoniis, quæ pro me ſtare, tibique adverſari intellexiſti. Verum ad ea, quæ ad noſtram vere attinent cauſam, revertamur.

Quænam eſt per immortalem Deum hæc tua inſania? unde hos tibi tam repente ſumſiſti ſpiritus, ut audeas in oratione digniorem tibi locum uſurpare? an te præterit omnem decorem, pulchritudinem, ac ſuavitatem ex me uno procedere? à Verboque Nomen, non à Nomine Verbum, regi conſueſce? Verborum varietas, verborum elegantia orationem exornat, & illuſtrat: ſed & niſi te regam ac dirigam in oratione, tu ipſe mancus & debilis reperiare. poteris ne tu conſtructionem unam connectere, in qua non continuo mihi principales partes tribuantur? ſed & me ſolum, qui inter verba principatum teneo, ſine alterius adminiculo orationem perfectam cum voluero facere poſſe, nemo permittitur dubitare. quid ergo blatis, & quod ille ait tuus, *Projicis ampullas, & ſexquipedalia verba*? quis vero es tu? qualiſve? aut quantus? qui hæc jactas, qui tam alte reboas, qui eouſque inflatus incedis, ut periculum ſit, ne medius dirumpare? Nomi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Nominum (inquies) rex ſum. Sed quod tibi eſt nomen? Poëta reſpondes. quid autem aliud eſt poëta, quam nugigerulus, nugivendulus, fabularum inventor, ſcelerum magiſter, loquax, nugax, mendax, ebrius, & fatuus? qui vera invertas, falſa ingeras, totumque orbem garrulitate inficias, & perturbes, qui loquacitate tua tantam tibi apud imperitum vulgus auctoritatem uſurpes, ut cum clariſſima verborum progenie de dignitate audeas diſceptare. Quid ex te habent unde ad virtutem incitentur adoleſcentiores, quos ſtulte ſatis erudiendos parentes eorum tibi tradidere, niſi adulterum Iovem, zelotypam Iunonem, meretricem Venerem, mœchum Martem, reliquaque tuæ ſapientiæ præclara commenta: qui cum plus juſto aliquantulum biberis, tanquam deo non mero plenus, ad inſtar larvati, ceritique, cœlum terræ, terram cœlo audeas permiſcere.

Adhæc ira vehementiore excandeſcens Rex Poëta, ignominiamque ac jactata de ſe probra ferre non valens, ô improbum (inquit) caput, talia de nobis temerario ore dicere præſumſiſti? ſimulque arreptum poculum in illum furibundus immiſiſſet, ni ex circunſtantibus quidam apprehenſam ejus dextram ab ictu divertiſſet. Minime dubium eſt, quin irritatis utrinque

animis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

animis ex verbis ad verbera, vulneraque deveniendum fuerit: niſi intervenientes ſeniores, & ſaniores viri utrunque Regem furore ebrium in ſuas ædes reduxiſſent.

Quo cum poſtridie ambarum partium ſtudioſi conveniſſent, maxima apud omnes de pridiana contentione diſputatio habebatur. Lacerabatur præcipue inter nomina regis verborum maledicentia, major eorum pars, & juniores præcipue mirum in modum fremere, malo domandam regis *Amo* loquacitatem dicere, docendumque illum ampliſſimam *Nominum* majeſtatem nunquam contumeliæ fuiſſe opportunam: & licet ætate provectiores, & Terentius præcipue, qui ibi tunc aderant, ſuaderent, nihil præcipitata ſententia fieri debere, & Omnia conſilio prius quam armis ſapientem experiri oportere. Tantus nihilominus fuit omnium *Nominum* cum ſuo rege ad arma conſenſus, ut in eam frequenter ſit itum ſententiam, omnibus *Verbis* continuo bellum indici debere.

Miſſo igitur tubicine ad regem *Amo*, inimicitias, bellumque manifeſtum confidenriſſimis animis denuntiarunt. Nec ſaniora quidem apud *Verborum* regem agitabantur conſilia, ad quem convenientes ſuæ partis ordines omnes, longa diſceptatione agebant de retinenda in Grammaticæ re-

cæ regno *Verborum* dignitate, deque deprimenda *Nominum* præſumptione, cum interim ſuperveniens *Poëta* regis nuncius de bello, quæ ſibi mandata fuerant, diligenter expoſuit. Enimvero læto ſe animo accipere illis reſpondentibus, ad belli cogitationes verſi ſunt omnium animi.

Miſit itaque *Verborum* Rex tubicines, & nuncios ſuos ad omnes nationes,& gentes, quæ ſuo parebant imperio, juſſitque ut cuncti armis idonei ad conſtitutam diem adeſſent.

Omnium autem primus adfuit Adverbiorum dux Quando, cum centurionibus ſex, videlicet Vbi, Quo, Vnde, Qua, Quorſum, & Quouſque. Quos ſequebantur manipulares ſui, & ſub primo quidem hi erant, Hic, Illic, Iſtic, Intus, Foris, Ibi, Ibidem, Sicubi, Necubi, Alicubi, Alias, Alibi, Vſquam, & Nuſquam. Sub ſecundo: Huc, Illuc, Iſtuc, Intro, Foras, Alio, Nequo, Aliquo, Siquo, Illo, Eo, & Eodem. Sub tertio: Hac, Illac, Iſtac, Alia, Aliqua, Nequa, Illa, Ea, & Eadem. Sub quarto: Horſum, Illorſum, Iſtorſum, Extrorſum, Dextrorſum, Siniſtrorſum, Aliorſum, Aliquorſum, Surſum, & Deorſum. Quintum ſequebantur Hactenus, Hucuſque, Eouſque, Vſquemodo, & Vſque nunc. Sextus centurio ſignum fere-

bat manu propria, ibatque medius omnium, ita ut duo præcederent ordines, ipſe ſequeretur, tres clauderent agmen. Multa alia Adverbia antecurrebant, quædam procedentium acierum tegebant latera, illa itinera explorabant, hæc curabant ne ordines interrumperentur, quorum nomina hæc ſunt: Peregre, Pone, Super, Supra, Intra, Extra, Citra, & Vltra: cum aliis pluribus.

Venere poſt hæc alia Adverbia, qualitatis, quantitatis, & numeri: cum quibus erant Adverbia jurandi. ut ædepol, enimvero, ecaſtor, mehercule, medius fidius, & profecto. Adverbia vocandi, ut heus, & o. Reſpondendi, ut hem. Ridendi, ut ha ha he. Negandi, ut minime, & nequaquam. Qui quidem Nequaquam licet ſtrenuus in bello eſſet, & diu exercitatus, omnium nihilominus mendaciſſimus habebatur & fallax, nec niſi coactus verum fateri didicerat, hunc & Græci Olophanta appellabant. De hoc Nequaquam truci & mala beſtia, plura eſſent dicenda: quæ quoniam liberæ non ſunt voces, volentes omittimus, id potiſſime perſuaſum habentes, ſuperfluum eſſe, lupum ovibus cavendum nunciare. Omnia hæc Adverbia triplici muniebantur armatura, ferebantq; pro ſcuto Speciem, pro lorica Significationem, pro enſe Figuram. Mul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Multæ aliæ nationes *Verborum* venere in auxilium regis ſui, videlicet natio Indicativa, Frequentativa, Meditativa, Deſiderativa, Invitativa, Diminutiva, & Denominativa, cum copiis non ſpernendis. Affuere etiam fortiſſimi ſatrapæ Anomali, qui late dominabantur in confinibus Grammaticæ, bellicoſiſſimi quidem, ſed qui nullo poſſent ordine contineri: eorum nomina hæc ſunt, Sum, Volo, Fero, & Edo, quibus conceſſum à rege fuit, ut in quocunque caſtrorum vellent loco ſua figerent tabernacula, modo inter milites nullum tumultum concirent.

Poſt hos advenit natio verborum Defectiva, diſtincta, & pulcherrime per turmas ordinata, videlicet, Memini, Novi, Cœpi,& Odi.Item vale, ſalve, ajo,inquit, inquam, faxo,cedo: omnes armati, & ad pugnam animis præſentiſſimis, quæ quidem ſequebantur omnia verba Activa veſtita in o, & Paſſiva in or. Neutra quoque cum Deponentibus, Communibus & Impersonalibus, cuncta diverſorum idiomatum,& variarum linguarum: erantque armata generibus, temporibus, modis, ſpeciebus, figuris, perſonis, & numeris.

Congregato hujuſmodi exercitu Rex *Amo* omnes copias deduxit in latiſſimos campos Conjunctionum, in loco quodam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

qui dicitur Copula, ibique caſtrametatus eſt juxta flumen Disjunctivarum, nomine Sive: diviſitq; omnia ſua Verba in quatuor Conjugationes, unicuique tribuens in caſtris proprium locum, exceptis quibuſdam familiaribus verbis, quibus injunctum fuit, ut ſarcinas ferrent Infinitivorum, quorum hæc nomina ſunt, Incipit, Deſinit, Debet, Vult, Poteſt, Iubet, Audet, Nititur, Tentat, & Dignatur. Vltima omnium venere in caſtra quædam Verba maximæ auctoritatis, ut Pluit, Ningit, Fulgurat, Tonat, Fulminat, & Adveſperaſcit, trahentia poſt ſe cohortes fortiſſimorum militum ſuorum. Sed & Gerundia cum Supinis relictis Nominibus transfugere ad Verba.

Audiens vero *Nominum* Rex *Poeta*, quanta contra ſe præparaſſent adverſarii ſui, veritus ne ſubita vi aliqua ingruente opprimeretur, ſi imparatus tantarum virium impetum expectaret, omnibus imperio ſuo ſubditis indixit, ut quam primum fieri poſſet, armati & inſtructi pro viribus adeſſent. In cujus auxilium utpote propinquiores primi affuere Pronominum duces, Ego, Tu, Sui, conſanguinei ipſius regis, & ex eodem Arſacidarum ſanguine procreati cum quibus ejus erant Meus, Tuus, Suus, Noſter & Veſter, Noſtras & Veſtras, Ille, Ipſe, Iſte, Hic, & Is. Omnia autem

tem Nomina diviſa erant in plures cuneos,& ſub variis ſignis centuriata. Aliqua quippe erant Primitiva, alia Derivativa, aliqua Relativa, quædam Poſſeſſiva, quædam Gentilia.

Venere inſuper tres Articuli pugnaciſſimi & longo belli uſu exercitati. Primus erat, Hic, Hæc, Hoc. Secundus, Hic & Hæc. Tertius, Hic & Hæc & Hoc: qui ſpeciebus, generibus, numeris, figuris, perſonis, & caſibus armabantur. poſt hos, duces magni Relativorum, Quis, Quæ, Quod vel Quid, eiſdem ſe caſtris junxere, & erant ii Referendarii generales regis nominum in omni ſuo regno, cum quibus fuere omnia relativa, & ſubſtantiva diſtincta in duas turmas, videlicet Identitatis & Diverſitatis. In prima numerabantur, Is, Suus, Ipſe, Sui, Ille, & Idem. In ſecunda, cæter, alius, reliquus, & alter, Princeps Relativorum accidentium erat Qualis, cum quo militabant Quantus, Quot, Quotuplex, Quotenus, Quotifariam, Cujates, & Cuigena.

Venit etiam Regina Præpoſitionum Ad, cum qua erant Ab & In, conjunctæ Nominibus caſualibus, ducebantque ſecum tres phalanges ſtrenuorum militum. In prima erant, A, abs, cum, coram, clam, de, è, ex, pro, præ, palam, abſque, tenus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſervientes ablativo caſui. In ſecunda fuere, Apud, ante, adverſus, cis, citer, citra, circum, circa, contra, erga, extra, inter, intra, infra, juxta, ob, pone, per, propter, prope, ſecundum, poſt, trans, ultra, præter, ſupra, circiter, uſque, ſecus, penes, omnes ſervientes accuſativo caſui. In, ſub, ſuper, & ſubter, ſerviebant utrique caſui, ablativo ſcilicet & accuſativo. Sub ſignis tertiæ phalangis militabant, Di, dis, re, ſe, an, & con. eratque eorum proprium officium compoſitionem facere in uſum militum: nanque tunc dies quadrageſimæ erant. Atqui nomina omnia in ſuas acies diſtributa pulcherrimo ordine procedebant, videlicet Subſtantiva, & ſimiliter Adjectiva, Propria, Appellativa, & Partitiva. Poſt quæ comparativa, ſuperlativa, poſſeſſiva, patronymica, gentilia, numeralia, & multiplicia: ſingula eorum diſtinguebantur per declinatones quinque, ſcilicet primam, ſecundam, tertiam, quartam, & quintam: quorum arma erant ſpecies, genera, numeri, figuræ, & caſus.

His igitur omnibus in unum coactis, rex *Nominum Poeta* copias & ipſe ſuas deduxit in eandem planiciem Conjunctionum, poſuitque caſtra ab altera parte prædicti fluminis Sive, ita ut tantos exercitus unicus divideret alveus fluminis, unde &

fiebat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

fiebat ut inter aquatores non levia interdum prælia inirentur : nunquam tamen totis copiis in aciem deſcenſum eſt, prohibentibus id utriuſque partis regibus, quoniam necdum ad pugnam neceſſaria omnia parata intelligebant.

Satagebatque uterque eorum Participium in ſuas partes traducere. Erat vero Participium maximæ in tota Grammaticæ provincia auctoritatis, & poſt reges potentia & dignitate plane primus: qui in quancunque partem cum ſuis viribus inclinaſſet, hauddubie victoriam ſecum trahere poſſe videbatur. Quapropter non tam *Verbum* quam *Nomen*, ut hunc ſibi adjungeret, nihil intentatum prætermittebat.

Præoccupans autem *Nominum* rex *Poeta* hujuſmodi ad illum literas dedit. Non arbitror te præterire frater mi, quanta inſolentia, quo animi tumore contra me *Nominumque* dignitatem inſurrexerit *Verborum* rex *Amo*, quave temeritate conficiendæ orationis primas partas ſibi uſurpare præſumat, propter quod, licet inviti, arma ſumere & copias cogere coacti ſumus, ut illius contuſa ſuperbia, auctoritatem noſtram illibatam conſervare valeamus. Enimvero cum optime ſcias quantum *Nominum* gentibus debeas, quæve ab illis acceperis beneficia, feceris pietate & fide

tua dignum opus, ſi communem exiſtimationem, communem rem, communes ſpes, nobiſcum protecturus cum tuis te legionibus nobis adjunxeris: nam everſo *Nominum* ſtatu atque imperio, nihil eſt quod in Grammaticæ ſolo tutum tibi poſſis arbitrari. Vale, & quantum potes tuum feſtina adventum.

Scripſit vero & rex *Amo* ad Patricipium in hæc verba. Non me latet amice cariſſime, ſollicitari te maxima inſtantia ab adverſariis noſtris, ut contra nos bellum geſturus ſecum in campum deſcendas: & licet pro tua prudentia nihil temere te geſturum confidamus, neceſſarium tamen duximus admonere & hortari te, ut mente reputes, quæ à nobis habeas commoda, quanta ex *Verbis* dignitati tuæ fiat adjectio: & licet minutula quædam à *Nominibus* accepiſſe videaris; potiora, amplioraque nihilominus ſunt, quæ tibi à nobis tribuuntur. Iuſtius itaque feceris, ſi non nos modo *Verborumque* imperium, ſed te ipſum tuaſque res defenſurus, ad felicia hæc noſtra perveneris caſtra: nam nec veriſimile eſt, ſi ſuccubuerimus ipſi, hoſtes à rebus tuis temperaturos, quin victricia (quod Deus avertat) in te convertant arma, quo ſoli tandem in omni Grammaticæ ſolo pro effrenata animi libidine graſſari queant. Vale.

Amba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Ambarum igitur patrium lectis literis aliam Participio mentem eſſe, alia moliri, diverſa animo voluere: cogitabat ſiquidem neutri ſe parti adhærere poſſe ſine manifeſtaria rerum ſuarum pernicie: è contrario ſi medium gerat, vel amborum ſervare gratiam, vel quod magis deſtinabat animo, utrjuſque res bellorum cladibus ita affligi poſſe penſabat, ut illis depreſſis, rerum ipſe in Grammaticæ regno ſine controverſia potiretur. Verum diſſimulandas hujuſmodi cogitationes cenſebat, ducendoſque utroſque verbis, quoad certaminum eventum poſſet inſpicere.

Reſcripſit itaque utriſque in hæc verba. Accepi literas veſtras illuſtriſſimi Reges, eaſque non ſine ingenti animi dolore perlegi, audiens inter adeo conjunctos principes tanta exorta diſſidia, ut contineri minime poſſitis, quin propria regna, Grammaticæ tam celebre imperium cruentiſſimo bello ſitis everſuri. Quæ vos occupant intemperiæ? Vnde ea mentium alienatio? Per immortalem Deum, quo progrediamini paululum cogitate: quantum lætabuntur adverſarii communes noſtri Ignoratiæ petulci habitatores, & Barbariſmorum incompoſiti populi, intuentes hoſtium ſuorum vires mutuis diſſidiis lacerari. Adjuro vos per Deos om-

nes, ſuperos, medios, infimos, regredimini: abſtinete funeſtis & abominabilibus armis, ne damnabili dominandi libidine pulcherrimam totius orbis provinciam tumultibus & cladibus involvatis. Atqui ſi ita in fatis fuerit, ſi omnino obfirmati eſtis bello decernere; meum minime arbitror veſtrum alicui adhærere: partem quippe juriſdictionis meæ capio à *Verbo*, partem à *Nomine*: & cum utrique multum debeam, utrunque commeatu, aliiſque ad victum rebus neceſſariis quantum potero adjuvabo. Abſtinebo autem armis, tantumque ad id meas cogam copias, ne in hac bellorum licentia, fines imperii mei aliquatenus poſſint devaſtari. Dent vobis dii ut ſaniora cogitetis. Vale.

Licet vero hæc reſcripſerit, alebat nihilominus verſipellis & vafer, quibus poterat modis, regum diſcordias, concitabatque occultis literis utriuſque gentis animos ad pugnam, ſperans ex eorum internecione facilem ſibi aditum ad totius Grammaticæ imperium poſſe parari. Dieque quo milites ſui ad ſe convenirent indicto, non contemnendas & ipſe copias aggregavit. Affuere in primis deſinentia in Ans & in Ens, in Tus, Sus, Xus, Rus, & in Dus: cum nominibus verbalibus in Tor, & in Trix, & ſimilia. Quæ incolebant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

bant loca vicina *Verbo* & *Nomini*, Participio ſe adjunxere. ſed & Gerundia, Supinaque, ut civilia bella declinarent, à *Verbo* iterum ad Participium transfugere.

Rebus hoc pacto diſpoſitis, quo ſe utrique parti Participium gratum exhiberet, deſtinavit utriſque munera precii non exigui, & *Verbo* quidem primum miſit infraſcripta Neutro paſſiva, videlicet, Gaudeo, Soleo, Audeo, Fio, Prandeo, Cœno, Iuro, Titubo, Placeo, Nubo, Careo, Mœreo, Poto, Taceo, & Quieſco. *Nominum* autem regi dedit deſinentia in Tor & in Trix. Miſit etiam pro pedamento exercitus *Verbo* plauſtra centum Præteritorum Præſentium & Futurorum, camelos mille figurarum Simplicium, Compoſitarum, & Decompoſitarum. *Nomini* vero per flumen Sive, tranſmiſit decem onerarias naves caſuum nominativorum & genitivorum, & totidem numerorum ſingularium, & pluralium, multaque alia genera maſculina, fœminina, neutra communia, & omnis. Quibus peractis continebat ſe cum legionibus ſuis intra proprios confines, expectans, quonam inclinaret fortuna. At bellicoſi reges cum abunde prælio opportuna præparaſſent, nihil cogitabant aliud quam ut ex præclara aliqua re, belli initia ordirentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Accidit autem ut ex nobilioribus civitatibus totius Grammaticæ, duæ furto interciperentur à *Verborum* rege videlicet A & V. nam in eam diem urbes omnes utrique regi ſuum ſtipendium exſolvebant, nullam uni magis quam alteri de cætero ſervitutem ſervientes. Quod audiens rex *Poëta* eiſdem artibus tres alias occupavit, ſcilicet E, I, O, Reliquæ civitates cautius invigilantes ſua ſervata libertate utriſque ſe communes exhibere; quarum nomina hæc ſunt: b. c. d. f. g. l. m. n. p. q. r. ſ. t. x: ex quibus omnes Grammaticæ nervos conſtare certiſſimum erat. De diphthongis binæ cuilibet regum datæ ſunt, ut tubicinum officium exercerent: edoctæ quippe erant ære ciere viros, Martemque accendere cantu. æ & œ *Nominum* regi ceſſere: au vero & eu *Verba* accepere. Sequebantur inſuper utraque caſtra mulierculæ quædam mimæ variis affectibus militum mentes afficientes: earum quædam flebant & lamentabantur Grammaticæ communem ſtragem, quam imminere proſpiciebant, ut, oh oh oh, & heu & hei: aliæ indignabantur & carpebant regum diſcordias, ut, vah, veh, & atat: pleræque admirabantur inter tam conjunctas perſonas ea orta eſſe diſſidia, ut Pape. Sed & quædam ob mentis levitatem gaudebant,

horta-

hortabanturque milites in prælium, ut Hea, & Evax.

Cæterum omnibus ad pugnam inſtru-ctis, viſum eſt *Verborum* regi, quo civiles clades quantum in ſe eſſet, declinare videretur, honeſtaretque aliqualiter factum ſuum, hujuſmodi regi *Nominum* epiſtolam ſcribere. Intelligere potuiſti ô *Poëta*, quam paratus, quam robuſtus tecum certaturus in campum deſcenderim: nec ignarus es eas tibi minime adeſſe vires, ut legionum mearum impetum poſſis expectare: tuis prudenter conſules rebus, ſi mihi cedens tuis te continueris terminis. quod ſi inſanire pergas, ſtatque ſententia ferro decernendi, die tertia omnibus copiis tecum congreſſurus in campum deſcendam.

Has literas cum *Nominum* regi dediſſent tubicines Au & Eu, ex conſiliariorum ſuorum ſententia: ita & ipſe reſpondit. Semper tibi verborum eſt pluſquam ſatis ô *Amo*, nec novum eſt quod verboſitate tua audientium aures obtundas: jactas tu pugnaces exercitus, & tuos terribiles apparatus, quaſi nos pumiliones locuſtaſve nobiſcum habeamus: poſſeſſio tibi parva fuit ſemper in oratione, & nunc eo te impulit tua inſania, ut effugere nequeas, quin male parta, pejus geſta, peſſime retenta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

hac tua regni portione juſtis armis ejiciare: & ut ſcias quanti non tam ipſe quam milites mei minas tuas faciamus, tubicines noſtri Ae & Oe, nomine noſtro nudatos tibi lumbos porrigent. Si ut velim valeas, extremum valeas.

Hujuſmodi literis irritatis utrinque animis futuri prælii diem ardentiſſime cuncti expectabant: creverat interea ex temporum occaſione (ut fit) facinoroſorum licentia, exierantque latrunculorum non ſpernendæ manus, quæ omnem Grammaticæ provinciam, & præſertim loca ſaltibus, montibuſque præpedita, quæ tranſeuntibus anguſtum iter præbere conſuevere, obſidentes itinerantes, aut alias in utraque caſtra commeatum ferentes prædabantur: quapropter creſcente indies apud utrunque exercitum annonæ inopia, intellecta ejus rei cauſa, de utriuſque regis conſenſu miſſi ſunt duces quidam peritiſſimi cum militum opportuna manu, ut vel captos latrones interficerent, vel fugatos omni Grammatica procul expellerent. Qui ad ea pervenientes loca circundato militibus quoſdam ſaltu, in quo pleroſque ex illis latere compererant, omnes ad unum intercepere. Inter quos fuit quidam nomine Catholicon, qui grandem aſinum vocabulis Græcis Latiniſque confuſe per-

mixtis

mixtis onuſtum in Italiam agebat : & cæteros quidem cum laqueo necaſſent, hunc ſolum vinctum cum ſuo aſino in caſtra duxere. Qui tormentis coactus (quod alioqui manifeſtiſſimum erat) confeſſus eſt ſe omnia vocabula in Grammaticæ terris furto ſurripuiſſe. Cum vero eum quis Græce interrogaſſet, ingenueque reſpondiſſet ſe Græce nihil ſcire, Latine autem parum : quid ergo (inquiunt judices) græca tecum defers vocabula, quæ non intelligis ? Ad quæ ille : tanta apud noſtrum pleroſque (inquit) literarum eſt imperitia, ut etiam ſi barbare loquar, facile illis perſuadeam me Atticæ eloquentiæ angulos omnes penetraſſe : riſere vehementius adſtantes cuncti hoc audito : & mehercle inquiunt, quando tam faciles auditores habes, quæ tua ſunt, aut alias quorum domini non comparebunt tecum, ad illos ferens ibis incolumis. Quæ vero certum dominum habere dinoſcentur, ea ut reſtituas, dignum judicamus.

Facta igitur diligenti inquiſitione, omnia ferme Græca Iſidoro cujus fuerant reſtituere, cætera Latinis & ipſis marcidis mucidiſque permixta ut aſportaret permittentes : illum dimiſere cum ſuo aſino jam levius incedente, jubentes nihilominus ne unquam niſi inter imperios, & in-

doctos auditores ſuos Grammaticum ſe profiteri auderet.

Priſcianus vir præſtantiſſimus, & in omni Grammatica apprime honoratus, cum ægre ferens civilibus bellis Grammaticam devaſtari, ſeditiones ſedaturus in caſtra feſtinus pergeret, à latronibus Catholicon ſociis captus, ſpoliatus, ac fuſtibus pulſatus tale in capite vulnus accepit, ut nullo unquam medicorum ſtudio curari potuerit: ex his non multo poſt captus fuit quidam qui ſe falſo hiſtoriographum publice profitebatur, congeſſeratque innumeras in volumen quoddam ineptias, atque eum librum Supplementum cronicarum appellaverat, quem quæſtionibus omnia furta fateri coactum, in ignorantię terras perpetuo relegarunt.

Dum hæc agerentur, egreſſi ex *Verborum* caſtris quidam ex genere Anomalorum, videlicet Sum, Volo & Fero, cum cohortibus tribus intercepere unum ex centurionibus *Nominum* dictum Cæter, qui erat de genere relativorum, latebatque cum manipularibus ſuis in quadam ſpelunca poſita in bivio conjunctionum quod & Cum: ipſumque, cum omnibus ſuis ſingularibus trucidaverunt: plurales vero in tali diſcrimine conſtituti, cum ſe magiſtri Paſquilli ſtatuæ, quæ Romæ in Parione eſt

ſub

ſub ædibus Reverendiſſimi Cardinalis Neapolitani, grandem cereum oblaturos voto obligaſſent, ejus ſancti meritis præter omnium opinionem incolumes evaſere.

Quod cum *Poëta* regi nunciatum fuiſſet, iratus eſt vehementer, tulitque ægerrime, quod talem centurionem amiſiſſet: erat quippe is Cæter fortitudine inſignis, audacia celebris, & militaris rei peritia nulli ſecundus. obſervabat igitur omni ſtudio, ſi quo pacto acceptum damnum bene cumulatum hoſtibus poſſet retribuere. Verum fortuna, quæ cum omnibus in rebus plurimum poteſt, tum in bello dominatur, optimam læſis vindictæ præbuit occaſionem: nam eiſdem diebus ab levis armaturæ militibus *Nominum* captivi in caſtra adducti ſunt complures ex *Verborum* legionariis, non levis inter ſuos autoritatis: inter quos ex imperativorum genere fuere Dice, Face, & Duce: quibus ignominiæ cauſa poſteriores veſtium partes præcidi juſſit, ita ut nudas natés conſpicuas gererent, & dimitti, vocatique impoſterum ſunt Fac, Dic, & Duc: Fuo & Specio ſimiliter captos necari juſſit. Quorum bona à *Verborum* rege accepere eorum per rectam lineam legitimi deſcendentes, inter quos Futurus, & Fui, cum aliis à Fuo oriundis: & à Specio Conſpicio, & Deſpicio,

ſpicio, cæteriſque à Specio deſcendentibus.

Detecta eſt interim in caſtris verborum grandis proditio: conjureverant enim quidam monſtroſi milites de genere Præteritorum perfectorum, quibus bina erant capita, moliebanturque inſidias *Verborum* regi: qui quidem capti, convictique, damnati ſunt perduellionis, ſive crimine læſæ majeſtatis, nomina eorum hæc fuere, Momordi, Cæcidi, Cucurri, Pepedi, Spoſpondi, Cecini, Peperi, Tutudi, Pepuli, & Fefelli. Quibus juſſu regis in præſenti tempore unum caput abſciſſum fuit, & ſic ubi prius in præſenti dicebant Momordeo, Cæcedo, Cucurro: poſtmodum dixere Mordeo, Curro, Cædo, cum cæteris.

Adveniente demum pugnæ die uterque rex in eminentiore caſtrorum loco pallium rubrum poni juſſit, quo milites admoniti futuri prælii curarent corpora, præpararentque arma ac reliqua in hoc opus neceſſaria. poſtridie ſummo mane pranſis militibus ex omni parte copiæ ſummo ſilentio in campum deductæ ſunt, explicatiſque ordinibus ſuos quiſque ut viriliter agerent, efficaci oratione excitabat: minime vero opus erat accenſos per ſe ſatis verbis accendere, quin ipſi ultro criſpantes tela furibundi ineundi prælii ſignum

expecta-

expectabant. Poſtquam id actum eſt, tubæ utrinque canunt : contra conſonat terra, clamorem utrinque efferunt, Imperator utrinque hinc & illinc Iovi vota ſuſcipere, hortari exercitum, pro ſe quiſque Id quod quiſque poteſt & valet, edit, ferro ferit, tela frangunt, boat cœlum fremitu virûm, & ſpiritu atque anhelitu nebula conſtat, cadunt vulnerum vi & virium utrinque multi.

Videre erat inter cæteros Defectiva verba pugnantia cum nominibus Heteroclitis, & hæc quidem ſuis nominativis caſibus, & generibus, genitivis numeriſque pluralibus acriter feriebant adverſarios, illi vero reſiſtebant audacter, repercutiebantque nomina Heteroclita Indicativis, præteritis perfectis & pluſquamperfectis, confringebantque eorum numeros & genera conjugationibus ſuis. ex quibus quidem verbis unum cui nomen Ajo, ſingulari utens audacia duorum nominum heteroclitorum impetum diu ſuſtinuit. Verum cum reſiſtere non potuiſſet, ſpoliatum fuit multis perſonis, modis, temporibus, & numeris : remanſereque illi ex omnibus ſuis hi tantum Ajo, ais, ait, ajunt. Ajebam, ajebas, ajebat, ajebant : cætera hoſtium gladiis cecidere.

Pugnantibus hoc pacto utrinque legio-
nibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

nibus, atque adeo ſimul permixtis, ut vix hoſtes à ſociis poſſent diſcernere, tantus fuit omnium in prælium ardor, tanta animorum intentio, ut cum eadem hora terribilis terræ motus in ea provincia vicinas urbes proſtraverit, amnes curſu rapidiſſimo averterit, mare fluminibus invexerit, montes lapſu ingenti proruerit, nullus tamen eorum id ſenſerit. Eant nunc qui fabulas cenſent hoc idem accidiſſe eo prælio, quo Romanos apud Thraſimenum Pœni maxima ac memorabili illa affecerunt clade: nec fidem facit Cortona civitas, quæ teſte Luciano in lib. de veris narrationibus, cum prius in Traſimeni littore ſita eſſet, eadem hora ventorum turbine in eum collem, in quo nunc eſt, tranſlata dignoſcitur. Hoc noviſſimo exemplo maximum ſibi certe veritatis teſtimonium acceſſiſſe Livius gloriari poterit. Obſcurabatur Sol multitudine ſagittarum numerorum ſingularium & pluralium, obtundebantur aures omnium clamoribus figurarum compoſitarum & decompoſitarum, vulnerabantur innumeri jaculis ſpecierum primitivæ & derivativæ. Sed & tubicines utriuſque partis clangore rauco & terribili taratantara concinentes, militum animos in pugnam mirum in modum incendebant. Mulierculæ mimæ,

Inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Interjectiones ſcilicet, pugnantium ordines circumeuntes, cuncta ſuis affectibus perturbabant, ex quibus quidem frequentius audiebantur gementes illæ, heu & hei, & oh oh oh. Atrox magis quam longum fuit prælium illud: & niſi coorta ſubito tempeſtate ingens ſuperveniens aquarum vis pugnam diremiſſet, actum ſane fuiſſet de univerſis Grammaticæ viribus: tanta namque erat omnium in mutuam perniciem rabies, ut ingruente imbre, ac ſigno receptui dato, vix tamen atque ægre in caſtra reduci potuerint. Incertitudo & ambiguitas fuit maxima, penes quos ejus pugnæ victoria ſtaret: ingens utrinque clades, ingens cædes, ingens non tam militum quam ordinum apud utroſque ducentium jactura: nec facile fuerit amborum detrimenta ſermone complecti. Contendam tamen, ut poſterorum conſuam utilitati, ſi non omnium, multorum ſaltem diminutiones, augmentumve, quantum potere, liquide demonſtrare.

Ex parte in primis *Verborum*, defectivum verbum Infit amiſit omnes ab eo deſcendentes, omnia ſua genera, tempora, modos, perſonas, & numeros, qui fuerant conjugationis quartæ, figuræ compoſitæ: ſingularique ipſe Dei munere (quoniam in periculo poſitus nullius ſe unquam

reli-

religionis probatæ improbatæve habitum ſumpturum voverat) ſalvus evaſit. Sed & tanto ex eo caſu terrore perculſus fuit, ut poſtmodum in Grammaticæ regno prodire in publicum raro ſit viſus..

Forum ſpoliatus fuit rebus ſuis omnibus præter foret, forem, & fore, quæ ſunt de modis optativis, conjugationis tertiæ. Vale, Ave, Salve, de genere imperativorum, grandem commilitonum ſuorum ſtragem accepere, paucis conſervatis, qui & nunc comparent, alios amiſere. Faxo ex eadem gente activorum, omnibus ſuis manipularibus circa ſe trucidatis, cum tribus tantum, videlicet faxit, & faxint, fuga elapſus evaſit. Inquio de genere neutrorum, conſervavit inquis, inquit, inquiunt, inquam, inquies, inquiet, inquient, & inque: reliquos bellum abſumpſit. Inquiens cum in caſtris Participiorum eſſet, periculo non interfuit. Apage & Apagete, cunctis commilitionibus amiſſis ſoli evaſere. Diet univerſos ſocios amiſit, præter dieſcit. Facio orbatus fuit filio ſuo Facior, qui tamen prius quam expitaret, militari teſtamento hæredem ſibi inſtituit, Fio, Poſco, Diſco, Metuo, Timeo, Renuo, Reſpuo, Compeſco, Vrgeo, & Linquo, omnes de genere activorum, perdidere ſua ſupina. Occaſum beneficio noctis

ctis ſalvus evaſit. Nonnulla verba quæ amiſerant præterita ſua tertiæ Conjugationis, in ſupplementum accepere poſtmodum præterita quartæ Conjugationis, in quorum numero fuere, Cupio, peto, quæro, arceſſo, faceſſo, & fero. Quædam amiſſis futuris in am, ne futurorum omnino abjicerent ſpem, emerunt in nundinis Recanatenſibus alia futura in bo, ut Eo, Queo, & Veneo. Sed & Horatius auctoritate ſua Lenio dedit Lenibo. Omnia verba pertinentia ad ſplendorem, ſpoliata ſunt ſupinis. Inter quæ Luceo, Fulgeo, Splendeo, Polleo, & ſimilia. Fulcio ſingulari uſus audacia, excuſſit periculum, & retinuit ſuum Fultum.

Enimvero poſteaquam ea enumeravimus, quibus adverſi aliquid evenit: minime æquum fuerit ſuis carere laudibus illa verba quæ re ſtrenue acta, vel ex hoſtilibus ſpoliis, vel ſui regis munere ad priorem ſtatum aliquid addidere. Inter cætera eminent, Cœnatus, juratus, caſſus, mœſtus, nuptus, & pranſus, quibus ultra propria vocis activæ, acceſſere etiam præterita vocis paſſivæ. Redimo duobus auctus eſt ſenſibus: poſſidet ex ea hora tria ſignificata, videlicet liberare, conducere, & ornare. Solor obtinuit duo ſignificata, videlicet ſolus eſſe, & hortari.

Expli-

Explicat, ultra proprium ſenſum qui eſt explicare atque emittere, obtinuit ut explanaret, oſtenderet, extraheret, exhiberet, & proferret. Valeo ultra proprium ſenſum qui eſt ſanus eſſe, obtinuit etiam ut cum diceret vale, ſalutaret.

Præſto ſimiliter duos habuit ſenſus, ſcilicet mutuari, & ſuperexiſtere. Haurio majori ditatus eſt præda, quatuor videlicet ſignificatis, trahere, vulnerare, audire, & videre. Quæ tamen omnia, cum opus fuerit, in unum ſenſum redeunt. Paſco geminos recepit intellectus, rodere & alere. Vaco, licet minime ſe prælio immiſcuerit, nam (ut apud Plaut. ait Soſia) cum pugnabant maxime, fugiebat maxime, Fortuna tamen, quæ & deſides plerunque coronat, illius ignaviam pinguioribus exuviis voluit decorare. fugientes enim ex pugna hoſtium quoſdam conſpicatus, tabernaculo exiliens intercepit; quibus poſtea grandi ſe pecunia redimentibus, ſex ſibi ultra priorem ſenſus acquiſivit, ſcilicet, Intendere, ceſſare, ſervire, ſuperfluum eſſe, licere, carere, & vacuum eſſe. Studeo tria lucratus eſt ſignificata, videlicet ſollicitare, operam dare, & conari. Pango tres ſenſus accepit, videlicet, cano, & tunc in præterito facit panxi: paciſcor, & tunc facit pepigi: & conjungo ſive figo, & tunc facit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

facit pegi. Sapio ex ea die binos tenet ſenſus, videlicet, ſaporem reddere, & ſcire, Fero ex Anomalis, quatuor auctus eſt ſenſibus, ſuſtinere, cupere, dicere, & portare. Confiteor triplicem accepit intellectum, laudare, purgare, & manifeſtare. Supero dati ſunt ſeptem, ob illius eximiam inter verba omnia potentiam, videlicet, reſtare, vincere, imminere, tranſire, evadere, ſupervivere, & ſupergredi. Fuere quædam verba quæ amiſſis propriis præteritis, acceperunt poſtea à rege ſuo præterita quorundam paſſivorum, quæ in bello ceciderant, ut Audeo, fido, gaudeo ſoleo & fio. Verba illa peſtifera, pernicioſa, mendacia, aliud ſemper in lingua, aliud in corde, clauſum habentia, licet nullum lucrum eo fecerint bello, tamen prætereunda non ſunt. nec eorum reticenda arbitror nomina, ut ab illis caveant cuncti, quoniam paſſionem continue afferunt ſub ſpecie actionis, quorum hæc nomina, Exulo, Veneo, Nubo, & Vapulo. Vltimi hujus inſidias adoleſcentiorum quiſque quo fuerit cautior, eo enixius declinabit, ſi ſuis recte conſultum volet natibus.

Verborum aliqua ex parte expoſita fortuna. *Nominum* res Orationem ad ſe trahere videntur, in quorum caſtris diligenti omnium cenſu habito, cognitum eſt

inter ea non minus quam inter verba variaſſe fortunam. Et ut à poſitivis incipiamus, fuere ex illis nonnulla, quæ in comparativis ſuis ſauciata, medicorum diligentia aliquale fomentum accepere, *melior, major*, *minor*, *dexterior*, *ſiniſterior*, *plus*, *munificentior*, & *magnificentior*: omnia irregularia, & à ſecunda declinatione deſcendentia, ſed & *prius*, *arduus*, *egregius*, *tenuis*, & ſimilia perdidere propria comparativa. Nomina deſinentia in *er*, in ſuperlativo amiſerunt *imus*, & pro eo poſtea acceperunt *rimus*, ut *tener* & *ſaluber*: quibuſdam pro *ſimus*, quo ſpoliati fuerant, conceſſum eſt *limus*, ut *humilis*, *facilis*, *gracilis*, *agilis*, & ſimilia. *Veteri* datum eſt *veterrimus*. Fuere inter arborum nomina quædam, quæ dum in prælio viriliter agerent, derepente miraculoſe mutarunt ſexum, & ex fœmininis facta ſunt maſculina; mirantibus omnibus qui aderant, interrogantibuſque unde illis eſſent illa nova crepundia, quæ præter ſolitum pendebant ex ventre, ex quibus ſunt, *Rubus* & *Oleaſter*; quæ Livius ut monſtroſa & mali ominis in altum vehi & mergi, aut Grammaticæ ſolo omnino exturbari ſuadebat. Verum Rex *Poëta* nimiam illius in procurandis prodigiis ſuperſtitionem irridens prohibuit, inquiens, non eſſe mali omi-

ominis fœminas in viros mutari, quando ex malo ſexu in optimum fiat iſta converſio.

Quibuſdam Heteroclitis nominibus dum cum defectivis verbis pugnarent, abſciſſi ſunt omnes teſticuli cum pene in plurali numero, quem caſum Deus à nobis avertat. deincepſque in eo numero neque fœminina fuere, neque maſculina, ſed neutra, quod certe miſeratione dignum fuit. Nomina eorum hæc ſunt, *Sibilus, Avernus, Infernus, Supparus, Balteus, Tartarus, & Dindymus*. Alia feliciorem ſucceſſum ſunt ſortita: nam cum in eodem plurali numero eſſent neutra, cum maximo ipſorummet gaudio, continuo maſculini generis apparuere, ut *Porrum, Raſtrum, Frenum*, & *Cœlum*, Enimvero, *Porrum*, & *Frenum* dum Romæ per Emporium Agonis tranſirent, reperta ibi ſua neutra pluralia grandi pecunia redemere, illiſque uti maluere, maſculino genere repudiato. *Balſamum* ex omnibus arborum nominibus ſolum remanſit neutri generis, unde eſt quod cum nec generare, nec parere queat, tanta illius eſt raritas ut unico in Iudæo ſolo reperiatur. Id quod ipſa arbor ægre ferens in lachrymis omnem ſuum fructum mœſta repoſuit. Alia nomina neutro plurali ſpoliata, fœmininum ac-

cepere ſicut *epulum*, *oſtreum*, *veſper*, & *cepe*. *Oſtrea*(quod ex omnibus animalibus ſolum reperitur neutri generis) Ovidius reddidit & alii Poëta, & præſertim Plinius etiam plurale neutrum cum dixit lib. Faſtorum.

Oſtreaque in conchis tuta fuere ſuis.

& ſic deinceps fœminium etiam & neutrum tenuere. Aliis, quæ erant generis incerti, in plurali datum eſt maſculinum, videlicet *Margo*, *Cardo*, *Bubo*, & ſimilia. Quædam omnibus caſibus in plurali ſpoliata, deinceps mutilata, & manca remanſere, inter quæ, *Fumus*, *Limus*, *Fimus*, *Puluis*, *Sanguis*, *Mundus*, *Pontus*, *Sol*, *Sal*, & *Vnus*: quæ omnia ſunt maſculini generis *Soles* tamen apperuere aliquando, ſed cum id accidit, contra naturam fuit, & pro prodigio habitum eſt. Similiter & fœminina nonnulla pluralibus caſibus truncata ſunt, unde verſus:

Lux, ſitis, & labes, mors vita, fames quoque tabes,
Gloria, fama, ſalus, pax, humus, cum lue, tellus:

& cum illis, *ſenecta*, *juventa*, *ſoboles*, *indoles*, & *proles*. Quædam alia fœminina amiſere in eo bello omnem numerum ſingularem, ſcilicet *Argutiæ*, *Habenæ*, *Bigæ* *Blanditiæ*, *Cimæ*, *Deliciæ*. *Exequiæ*, *Exuviæ*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

viæ, Excubiæ, Facetiæ, Genæ, Gades, Inſidiæ, Iuduciæ, Calendæ, Lachrymæ, Latebræ, Minæ, & complura alia. Nonnulla neutra toto plurali numero exuta ſunt, ut *Cœnum, Fœnum, Ævum, Solum, Pus,* & *Virus*. Inſuper alia Neutra totius ſingularis ſui numeri jacturam ſunt paſſi, ſcilicet *Arma, caſtra, exta, cunabula, conchilia, crepundia, paſcua, mœnia, magalia, mapalia, ilia, ſeria, præconia, præcordia, ſponſalia*, & fere omnia nomina feſtorum, ut *Saturnalia, Dionyſia, Aphrodyſia, Bacchanalia, Floralia*, & *Neptunalia*. Nomina ea vana, quæ ſemper plura dicunt & tantum unum ſolum ſignificant, amiſſo omni ſingulari, fuga elapſa ſunt, ſicut *Venetiæ, Piſæ, Cumæ, Athenæ, & Thebæ*. Nomina metallorum omnium, pluralem numerum amiſere, ut *Aurum, aurichalcum, argentum, plumbum ferrum, & ſtannum. æs* vix *æra* retinuit. Sed & *oleum* & *frumentum* ſimilem cladem accepere. Alia extremis ſuis membris Genitivis ſcilicet & Dativis pluralibus mutilata remanſere, videlicet *jura, thura, æra, maria, & fora*. Sed nec omnia nomina in eo bello jacturam fecere: fuere ſiquidem complura quæ ſpoliis hoſtium ditata majorem exinde auctoritatem obtinuere: ex quibus quædam ultra primum nominativum

alium etiam adepta ſunt, ut *arbor*, quæ & *arbos*, *honor*, qui & *honos*, *labor*, qui & *labos*, *odor*, qui & *odos*, *cucumer*, qui & *cucumis*, *ciner*, qui & *cinis* & *pulver* qui & *pulvis*: quæ tamen ambobus nominativis non induuntur quotidie, ſed quod conſpicuum & ornatius eſt, & ex præda habuere, ad dies reſervant celebriores & feſtivos. Plaga ultra primum ſignificatum quod proprium eſt, dum vulnus percuſſionemve ſignificat, quatuor alios ſenſus accepit, videlicet, ut pro rete accipiatur, pro ſpatio cœli vel terræ, pro linteo illo grandi quo Romanæ etiam nunc matronæ utuntur, dum in publicum prodeunt: pro lecto & parte etiam ipſius lecti. *Ops* ab ea die tres ſenſus habet. *Ops* nanque terram ſignificat, ſub *ope* auxilium præbet, ſub *opibus* divitias. Gerundia & Supina quoniam toties transfugerant, multata ſunt poſt confectam pacem ab utroque rege, orante contra ea Demoſthene, legeſque Solonis proferente, quibus ſtatutum fuerat Omnibus patriæ honoribus privandos eſſe eos, qui ſeditione in civitate exorta, neutri parti adhæſiſſent: quoniam privatis fortunis plus juſto proſpicientes publicas patriæ res deſpexiſſe videbantur: & vivebatur tunc quidem ut plurimum in Grammaticæ terris Atticis legi-

legibus. Nomine igitur multante, gerundiis caſus omnes præter tres adempti ſunt. Supina vero duos tantum retinuere, ægre id ferentibus univerſis Grammaticæ incolis, carpentibuſque maledictis non tam Solonis legum indiſcreta præcepta, quam Demoſthenis impiam loquacitatem, dicentibuſque illum faſcias & lanam domi riliquiſſe, nec gutturis morbum ſimulaſſe, quoniam à Gerundiis Supiniſve non fuerat unde aurum, ſicut ab Harpalo quondam, poſſet accipere.

Cæterum, ſi ſingulorum clades, aut rei bene eo prælio geſtæ adepta decora ſingulatim percurrere nitar, nimis longos afferam logos: ideo dicendi compendium faciens, illud aſſeruiſſe ſufficiat.

Quicquid in omnibus Grammaticæ terminis auctum diminutumve reperitur, ex illo cruento, execrabili, & funeſto bello proceſſiſſe. Multa ſunt in ea temporum licentia & introducta verba nova, & exploſa vetera: & niſi præſtantiſſ. tres viri (quos paulo infra harum litium arbitros electos fuiſſe narrabimus) ſingulari ſolertia Grammaticorum quorundam petulantiæ obviaſſent, tanta fuiſſet Latinæ linguæ immixta Barbaries, ut de illius decore elegantiaque fere deſperatum foret. Poſteaquam igitur utriuſque partis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

legiones in caſtra reductæ ſunt, deſideratorum ſauciorumque cenſu habito, intellecta utrinque accepta clade omnes paſſim ingemuere: queſtique acriter ſunt, quod nimia dominandi libidine rebus propriis tantam cladem intuliſſent, & pœnitentia adducti, quiſque eorum quæ pacis ſunt, enixius cogitabat. Primum vero rex *Nominum Poëta* advocata concione, non ſine lachrymis ita locutus perhibetur: Scire vos arbitror commilitones mei, quam invitus ac reſtitans pro decore proque amplitudine (ut tunc arbitrabar) & nominum tuenda auctoritate, contra fratres noſtros Verborum gentem arma ſuſceperim, quantiſque ſategerim modis, ut illis nobis cedentibus civilia bella longius ſubmoverent. Verum cum non tam noſtra quam verborum etiam metior damna, cum utriuſque partis ſtrages intueor, flere libet magis quam loqui. Operæ precium fuerat reminiſci, quæ de Græcorum, Romanorumque civilibus odiis belliſque ſcripſerint cives noſtri, quantis eorum ambitionem laceraverint probris. Profecto ea ſi in mentem veniſſent, nunquam in tantam inſaniam à nobis proceſſum fuiſſet: nec ira & furore obcæcati, quid ageretur non intelligentes, noſtramet viſcera propriis manibus diſcerpſiſſimus. Sed præterita

(ut ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

(ut ille inquit) magis reprehendi poſſunt quam corrigi. Et melius eſt regredi quam male cœpta ſequi. Si ferro decernere perrexerimus, ſi in finem uſq; inſanire voluerimus, actum ſane eſt de Grammaticæ imperio, tantaque ignorantiæ & barbariſmorum genti fiet acceſſio, ut nemine obſtante, nemine eorum temeritati obviam eunte, ubique ipſi pro animi libidine dominari valeant. Quocirca commilitones; ut utriuſque regni utilitati conſolatur, ultro à verborum rege pacem petendam cenſeo, ultro dextras porrigendas. Neque hoc dixerim, quod labar animo, quod timore concutiar, ſed quoniam luce clarius cerno, res *Nominum Verborumque* non ſine mutua, ſtabili, & inconcuſſa animorum concordia poſſe conſiſtere. Fungor ergo officio meo, ea adducens, quæ communem ſalutem concernere minime dubito, audacter nihilominus quod volueritis, executurus. Vos itaq; quod facitis, Deos omnes fortunare velim. Placuit mirum in modum univerſæ concioni non utilis minus quam opportuna ſui regis oratio, omneſq; militum ordines ingenti ſublato clamore, ut quod rex tam ſapienter ſuaſerat, ſine mora exequeretur, enixius petiere.

Miſſi itaque in *Verborum* caſtra legati ex *Nominibus* prudentiores, abſque aliqua difficultate conſtitutis primum induciis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

n hanc poſtremo cum verborum rege, ejuſque proceribus devenere ſententiam, ut ſcilicet tres eligerentur viri, omnium Grammaticæ uſuum, regularum & terminorum periti, quorum deciſioni, arbitrioque utraque pars perſancte jurata ſtare deberet. Enimvero grandis fuit difficultas, & maxima inter partes contentio, quibuſnam id munus potiſſimum demandaretur. Multis eam provinciam ambientibus, aliis, alios nominantibus & nominatos aliis improbantibus: demum Priſciano, Servio, Donatoque approbantibus, in infraſcriptos cuncti unanimiter conſenſere. Phædrum ſcilicet Volaterranum, canonicum baſilicæ Apoſtolorum principis, ſingularis eloquentiæ virum, & extra omnem ingenii aleam poſitum. Petrum item Marſum, Laurentii in Damaſco canonicum eruditiſſimum, ac Raphaëlem Lippum Florentinum, Oratorem inſignem. Qui cum in caſtra vocati advenissent, partis utriuſque juribus auditis, re inter ipſos accuratius conſiderata, hanc poſtremo ſententiam protulere: Quod Grammaticæ Regibus, Satrapis, Civibus, Studioſiſque univerſis, fauſtum felixque ſit Nos Triumviri tollendarum litium cauſa conſtituti, omnes contentiones, maledicta, injurias, damnaque, quæ in hanc diem inter Grammaticæ Reges,

ges, eorumque milites intervenere, revocamus, tollimus, & obliteramus: & ſi oblivioni tradi nequeant, at ſaltem ſilentio tegenda decernimus, ſtatuimuſque ut de cætero in conficienda ſolemni oratione, uterque Grammaticæ rex cum ſuis ſequacibus conveniat, *Verbum* ſcilicet & *Nomen*, Pronomen, Participium, Adverbium, Præpoſitio, Interjectio, & Conjunctio. In quotidiana vero & familiari oratione, ſoli *Nomen* & *Verbum* onus ſuſtinebunt, accerſentes in patrocinium ſuum quos ex ſuis volent: cæteris parcentes, ne toties citati nimis graventur. In oratione igitur volumus *Nomen Verbo* ſupponi, & cum apponuntur, à *Verbo Nomen* regi debere decernimus, quantum ad caſum; quantum vero ad perſonas & numeros, *Verbum* ſuppoſito cedere, quod ſit vel *Nomen*, vel Pronomen, vel Participium. Item volumus quod Participium revereatur *Nomen* & *Verbum*, habeatque regimen à parte poſt ſui verbi, à parte ante, imitetur & nomen. Si vero neceſſitas urgeat, concedimus ſoli verbo, ut in prima & ſecunda perſona, & in quibuſdam verbis exceptæ actionis in tertia perſona faciat orationis ſenſum, ſemper nihilominus ſubintelligendo nominis auctoritatem, ſed non exprimendo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Hæt itaque ſententia partibus præſentibus lata eſt atque promulgata, receptaque ab omnibus Grammaticæ incolis miro omnium ordinum conſenſu: quam etiam omnia Italiæ Gymnaſia approbavere, & præcipue Bononienſis docta civitas, & ſublimium ingeniorum parens fœcunda: quæ cum aliàs multos, tum maxime ætate hac Alexandrum illum Zambecarium, virum integerrimum, quem nec ſpes nec timor unquam movit à recto, Romanæ dedit curiæ. Studium vero Pariſienſe cætera recipiens, hoc ſuis provincialibus ſpeciale reſervavit, pronunciandi ſcilicet tam verba quam nomina libere, & ſine aliqua ſyllabarum quantitatis diſcretione. Et quoniam vetus erat quæſtio inter Relativum & Antecedens, inter Adjectivum & Subſtantivum, inter dictionem regentem & rectam, determinantem & determinatam, necnon inter orationem perfectam & imperfectam (eorum enim unuſquiſque de præeminentia certabat) ut hujus quoque diſſenſionis materiam tollerent, decrevere, quod Relativum ſubſtantię identitatis cum ſuo antecedente concordaret in Genere, Numero, & in Perſona. Item quod Adjectivum Subſtantivo deſerviret in Genere, Numero, & Caſu. Et quod dictio recta naturam regentis ſequeretur. Relativum vero acci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ro accidentis ſolum antecedens referret quantum ad tale accidens ſive proprietatem, in quo modo referibilis & referentis tantum concordaret regula diverſitatis cum antecedente, quodque oratio imperfecta dependeret à perfecta, & dictio ſpecifica à ſpecificata: & inter adjectiva, duo ſubſtantiva, duo verba modi infinitivi, duas orationes perfectas: & inter duas imperfectas, nulla eſſet obligatio ſervitutis. Hortabatur præterea Petrus Marſus, ut inter facta dictaque pacem & concordiam ponerent. Verum diſſuadente Phædro, dicenteque, hac ſublata diſcordia nullum tonſoribus popinariiſque linqui negocium, rem intentatam dimiſere. Ignorantiæ ſtudioſos omnes ac Barbariſmorum ridiculam gentem, inviolabili decreto omnibus Grammaticæ finibus ſubmovere, & Barbariſmos quidem ad ſe profectos Ciſalpinæ gentes civitatibus ſuis donavere. Ignorantiæ vero deditos quorundam Principum favore protectos, non Italia modo, ſed urbs etiam ipſa bonarum literarum parens, & vel invita tueri perſeverat: inter quos nonnullos etiam præbendis pinguioribus honeſtatos, rudes adeo & imperitos reperies, ut ſi eos interroges, *Amo* quæ pars eſt? dicturi ſint: *Parla che te intendo.* Vſque adeo mulas ipſas quibus tam ſublimes vehuntur, in-

ſcitia

ſcitia & obeſitate animi ſupergrediuntur. Prædictis inſuper arbitris omnium conſenſu irrevocabilis poteſtas & perpetua data eſt, grammaticulos omnes Grammaticæ corruptores, ſemilatinoſque & ſemigræculos, tanquam naturæ monſtra, inquirendi, puniendi, relegandi, omneque id faciendi, quod bonarum literarum cultum augmentumque concernere animadverterint. Quod ut facilius aptiuſque exequi poſſent, juſſi ſunt, ut curiam Romanam continue ſequerentur: quo non tam bonorum virorum frequentia confluit, quam malorum fęces ſe frequentes exonerant. Quæ quidem auctoritas, Pontificialibus Imperialibuſque ampliſſimis privilegiis corroborata dignoſcitur: & præcipue Sanctiſſ. D. noſtri Iulii Pontificis incomparabilis, cujus memoria nunquam intermorietur.

IVSTI LIPSII
LAVS
ELEPHANTIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

IVSTI LIPSII
LAVS ELEPHANTIS.

A Lipſio tuo ſalve. Suaves here convivas habuimus (auribus enim meis inerrat ille ſermo) elephantos. Multa de ingenio eorum deque mira indole garrivimus: omnia jucunde, niſi quod in pleriſque indignabar haud plenam mihi eſſe fidem. Quid cenſebatis madidum eſſe me? non fui. Quin ſiccus nunc & ſobrius ingeram tibi eadem: & laudum hunc campum ſtilo paullo certius decurram quam lingua. Nonne Hilarium iſti dies ſunt? lubet ludere hunc luſum. Sed fides mihi prius ſtabilienda veterum, quibus præcipue innixa mea fides. Non nemo enim eam here elevabat: & nimios harum rerum ajebat fuiſſe, aut vanos. Itane? quibus igitur hæc res notior? Nobiſne, qui omni hoc noſtro ævo vix (Illum qui anno LXII. donum Cæſari miſſus ab Hiſpaniarum rege) unum vidimus, eumque puſillum juvenem, bonarum artium rudem: an illis, quibus cotidie bellua in ore, in oculis; quibus

quibus tam crebra de ingenio & moribus ejus pericula facta, in libellis, in ludis? Habebant enim & docebant magna cura, Afri, Aſiani, Græci, ad prælia: Romani magis ad ſpectacula & Venationes. Quamquam Europæis tarde ſane innotuit: & ἐλέφαντες (Pauſaniæ verba ſunt) πρῶτος τῶν ἐκ τῆς Εὐρώπης Ἀλέξανδρος ἐκτήσατο: *Elephantes primus inter Europæos Alexander habuit.* qui victa ſcilicet India, intulit ſive immiſit. Sed ab ejus tamen morte ſtatim crebri: & tranſportavit in Italiam ipſam Pyrrhus bello quod cum Romanis. Hinc quoque jam Romæ nobiles. & magis per Punica bella: quibus tanta copia ut uno tempore centum quadraginta duos ceperit & in urbem miſerit L. Metellus. Nam Critolaus apud Plutarchum in Parallelis aperte mendax, qui à Paullo Æmilio, bello Pyrrhi, centum ſexaginta Romam miſſos vult, & quidem turritos. At poſtea ſane Romæ ſemper: ſive capti, ſive magis pretio parati ad populi voluptates. Vides initia, vides frequentiam. quæ magis expreſſa apud Plin. quem ſi voles, lege? De fide igitur veterum cur ambigimus. Nonne noverunt hoc animal? intime atque optime. An fallere nos voluerunt de compacto? nec potuerunt quidem in re cottidie omnium oculis ſenſibuſque expo-

ſita.:

ſita : & in qua miracula milleni aliquot homines ſimul viderunt, id eſt theatra tota. Iſta ipſa ætas fidem fidei illorum ſtruit, etſi in alio illo orbe. Luſitani navigationibus ſuis terras eas aperuerunt. in quibus animal hoc crebrum. Inſula Madegaſcar eos habet, & quidem Indicis majores. habet Zeilam, ubi venales ſunt miro modo. Ad menſuram enim admetiuntur, ut pannos, aulæa, telam tanti palmos ſingulos. ita cum magnitudine pretium creſcit. Habet provincia Malabar, Goa, & tota illa ora, itemque regnum Benamen inferiores Æthiopiæ, omnes (quod notes) albos. Qui adierunt, qui viderunt: eadem aut ſimilia narrant de ingenio bruti hujus non bruti. Quæ ut ſerio aliquando noſcas ac credas, cape à me de natura eorum & moribus. quæ nihil aut paullum ab homine abire, miretur aliquis, imo indignetur. Sed prius univerſe commemorabo elogia de iis veterum, inde facta ipſa diſtincte, & exempla. Ariſtoteles Lib. IX. Hiſt. cap. XLVI. inter alia de elephante: ἔστι δὲ εὐαισθητότατον, καὶ τῇ συνέσει τῇ ἄλλῃ ὑπερβάλλον. *eſt autem apprime bonis acutiſque ſenſibus, & cetero intellectu excellens.* Cicero de Natur. deor. III. *Eſſe illi bellua quandam cum genere humano ſocietatem.* Strabo de Devinat. II. ἐγγὺς εἶναι λογικῷ ζώῳ *adſidere anima-*

animali ratione prædito. Philoſtratus: τοῦτο γὰρ ζῷον δεύτερον ἀνθρώπου τάττω καὶ ξυνέσει τε καὶ βουλαῖς. *hoc enim animal proximum ab homine loco, prudentia & conſilio.* Plinius: [Animalium maximum elephas, proximumque humanis ſenſibus. quippe intellectus illis ſermonis patrii, & imperiorum obedientia, officiorumque quæ didicere memoria, amoris & gloriæ voluptas. imo vero, quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas, religio quoque, ſiderum ſoliſque ac lunæ veneratio.] Et Plinius ſane effuſe: tamen vere. ad cujus occupatam laudationem videor non inepte diducere poſſe & adducere lecta mihi teſtimonia aut exempla. Tribuit primo,

Intellectum ſermonis patrii] Quod mireris. Nam cum duo velut limites ſint, quibus Hominem à Bruto diſparamus, Sermo & Ratio: prior iſte vide quam vacillet. Sermonem patrium ait ab iis intelligi: id interpretor. Indorum, Æthiopum Afrorum, & ubicumque nati. Præter Plinium, Lib. IV. C. XXIII. Ælianus: συνιᾶσι γὰρ ἐλέφαντες καὶ γλώττης ἀνθρωπίνης τῆς ἐπιχωρίου. *capiunt & humanum ſermonem elephantes, ſed indigenam.* Etiam Dio: Libro XLIIX. ἤδη καὶ ἐκεῖνό εἶπον, τῆς πατριώτιδος αὐτοὺς ἐπαΐειν. *Et jam hoc ajunt, eos*

patriam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

patriam vocem audire atque intelligere. Nec alia res certior. Inſtitutionem eorum vides? lingua fit. Domituram? lingua. Incitationem, revocationem? lingua. Denique ut clavus navim: ſic animal hoc impellit dirigitque quo libitum humanus ſermo. De inſtitutione, Ælian. lib. XV. audi: *Docentur*, inquit, *atque inſtituuntur ad varia* φωνῇ τινὶ ἐπιχωρίῳ, ἧς περ σιῶν ἐπαΐειν εἰλήχασι, φύσει, τινὶ ἀπορρήτῳ καὶ μάλιστά γε ἰδίῳ τοῦ ζώου τοῦδε *ſermone vernaculo, cujus miro quodam & ineffabili modo ac velut peculiare natura ſunt capaces.* De domitura. Strabonem: in libello de Aromatibus. *Primum* ait *captos vinclis ac fame domant.* μετὰ δὲ ταῦτα πειθαρχεῖν διδάσκουσι, τοὺς μὲν διὰ λόγου, τοὺς δὲ μελισμῷ τινι καὶ τυμπανισμῷ κηλοῦντες, [deinde cicures eos reddunt manſuetoſque, hos ſermone, alios cantu aliquo aut tympani ſonitu delinientes.] De regimine toto: cottidiana olim exempla in bellis, in pace. atq; item hodie. Quin furere etiam cum incipiunt & à ſe abire, ad mentem reducuntur oratione. Credere ita ſerio Chriſt. Acoſta me jubet: cujus aſſertioni præſtruenda breviter fides. ſæpius enim teſtimonio ejus utar. Is gente Hiſpanus, ad novum illum orbis tractum abiit, quem Orientalem Indiam vocamus. Diu illic egit. luſtravit, ſcripſit: & inter alia de elephantis

non

non pauca, viſa ſibi aut à viſoribus accepta. Crebrum enim valde & cottidiani uſus animal in iis locis. Is igitur (Plin. & Ariſtotel. meminere ejuſdem morbi. ſed Plini locus malus, cui corrigendo non hic locus.) refert, Genere morbi tentari elephantos quotannis quod haud diſtat à furore. cauſſam, amorem eſſe, & venire cum venit ad eos Venus. Tum bacchari eos, furere, lædere, incurrere: niſi quidem vinclis coërceantur. quod fit ab incolis ſtudioſe. [Sed eum morbum haud ferme aliter tolli, quam pharmaco verborum. Adſiſtere belluæ magiſtrum, increpare acriter, & oſtendere fœditatem. Tantamne belluam & reginam aliarum ita dementire per adfectum? Vilitatem eam eſſe, degenerationem à natura & à ſtirpe. Rediret ad ſeſe, & conculcaret amorem, qui turpiter ipſum. Et his talibus, quæ etiam homini utiliter adhibentur, fieri medicinam.] Quomodo autem poſſunt iſta, niſi ſi non audit ſolum, ſed imbibit, & capit? Nec vero, ut aliquid mirius dicam, audiunt ſolum ſermonem, ſed edunt. Oppianus diſerte Elephantos colloqui inter ſe vult:

Φήμη δ' ὡς ἐλέφαντες ἐπ' ἀλλήλοις λαλέουσι.
Φθογγὴν ἐκ στομάτων μεροπηΐδα τονθελίζοντες

Fama eſt inter ſeſe ſermocinari elephantas,
Diſtinctaſque ſuſurrare atque emittere voces.

Acoſta

Acoſta ille idem nihil certius in regno Malabar eſſe ait, quam quod hæ belluæ communicent inter ſe ſermones. Denique vis in hac re aliquid miriſſimum; (ignoſce. tanta novitas egebat novo verbo.) edunt & loquuntur etiam humanam vocem. Boves inter prodigia Romæ locuti olim? junge & elephantum. Atque audi ipſum Acoſtam: [Erat, inquit, in urbe Cochin elephas, qui operas diurnas præbere ſolitus ad portum & res marinas. Eum forte jam feſſum urgebat nihilominus urbis ejus Præfectus, ut Liburnicam, quam commovere cæperat, deduceret porro in mare. Ille abnuere, inſtare alter multis blandiſque verbis, & ad extremum in gratiam Luſitani regis ut id vellet, orare. Hic (immane dictu) elephas motus, clare hæc duo verba ingeminat. Hoo hoo: quod Malabarum lingua eſt, Volo, volo. ac ſine mora navim traxit in mare.] Trepidas ad hæc & nutas? Age, ago, movebo tibi in iſto exemplorum mari magis majores fluctus: & ambiguum relinquam, non dicam an hominem capiant, ſed ad hominem imo ſupra hominem ſapiant elephantes. Dixi enim de priore limite, qui diſcriminat obſcure: alterum vide, Rationem. qua ego omnino carere me fateor, ſi prorſus ille. Audi igitur è Plinio, quæ huc ſpectant. Ait:

Impe-

Imperiorum obedientia.]Clara,& quam nemo neget. Semel domiti,omnia ab homine, & pro homine perferunt: & tanta illa moles vel à[Philoſt. tradit lib.II]puſione regitur ac dirigitur tredecenni. idque ſine vi, bacillo tantum καλαύροπι in Philoſtrato ſcriptum) aut [Falcem ſive δρέπανον Ariſtoteles Elephantiſtæ attribuit: Ælianus eadem mete ἅρπην.]levi ferro. Et quid non imperentur? Etiam jugum ſubiere, & traxere currum. Oppianus id tradidit, & Romæ primus oſtendit Pompejus, ac poſtea ſæpe Principes ſecuti. Nummi docent. Tertia in Plinio laus.

Eorum quæ didicere memoria.] Tenax ſane memoria, & ad humanam, ut mox dicam. Sed ingenium, Plini, cur omittis? Prævaricaris in hac cauſſa:quia ſi ulla propria & magna iis laus, hæc eſt acuminis & ingenii. de quo, te ſilente, non ego ſilens. Ingenium igitur iis docile, facile, flexile, aptum ad omnes artes: & artes Belli dico, ſive Pacis. Quod vide mihi & diſce è paucis his effectis. Ac de bello, quis non ingenium eorum admiretur: ſive cum belluis pugnam, ſive in homines juſſu hominum habent? Dirigunt enim velut [Plin. VIII. cap. VII. Ælian. VI, CLVI,] conſilio aciem, defeſſos aut infirmos in medium agmen recipiunt, in [Ælian. VII.

cap.

cap. XXXVI.] fuga ipſa ſuos non deferunt, ſed gregatim abeuntes circumdant & propugnant. Iam læſis medicinam faciunt: ſpicula aut infixa tela leviter manu ſua extrahunt, & ut [Libello, *πότερα τῶν ζώων.*] Plutarchus ait, *ἄνευ σπαραγμοῦ ῥαδίως καὶ ἀβλαβῶς, ſine convulſione & ſine damno,* prorſus ut [Aelian. lib. VII. *ὥσπερ οἱ χειρουργίας ἐπιστήμονες.*] peritiſſimi chirurgi. Quin & proprium medicamentum, aloës lacrymas, inſtillari vulneribus ab iis Philoſtratus adſeverat. At pro homine quis homo neſcit acres eorum pugnas? Inſtituuntur, velut milites ad prælia, bellatores non dorſo ſolum ferunt, ſed & ipſi bellant: propugnant ſuos, impugnant hoſtes: denique eo veniunt, ut munia etiam omnia militaria uſurpent. Lib. XIII. cap. XXII. Aelianus quidem mihi auctor, Elephantos decore etiam motus bellicos edere: ex iis viginti quatuor Indorum regi adſiſtere, & excubias agere, ut fidiſſimos quoſdam corporis cuſtodes. atque ita agere, ut alternis in ſtationem ſuccedant, ſine ſomno quidem aut conniventia oculorum.] A peritiſſimo milite, dic ſodes, quid aliud exſpectes? Iam quanta fides eorum in dominos, quam ad extremum ſpiritum pro iis pugnent, ſatis tibi claruerit vel ex uno elephanto illo Pori, qui decantatus: & ab

eo diſce omnes. Hæc de belli artibus. At in pacis quid hominem doceas, quod non iſtos? Quorum tanta in diſcendo (Æliani verbis & ſententia utar) εὐπείθεια καὶ εὐκολία, ut eas diſciplinas arteſque hauriant, quas ægre homo ipſe. Circa corpus, circa animum hoc conſidera. De corpore: conformant id ad omnem ex arte motum aut geſtum. Ingeniculare, ſubmittere, & adorare reges docentur. Ariſtot. πολλὰ γὰρ καὶ παιδεύεται καὶ ξυνίησιν ἐπεὶ καὶ προσκυνεῖν διδάσκονται τὸν βασιλέα. *multa erudiuntur & ſciunt quando & regem adorare condiſcunt.* Saltare etiam & choræas ducere. Plutarchus. IX. Hiſt. CXLVI. ὀρχήσεις τε μανθάνει, καὶ χορείας, καὶ προσκυνήσεις. *ſaltationes diſcit, & choræas & adorationes.* Ad ſcopum jaculari, armis uti. natare. Strabo: οὕτως δ' εὐπιθασσεύτους εἶναι, ὥστε καὶ λιθάζειν ἐπὶ σκοπὸν μανθάνειν καὶ ὅπλοις χρῆσθαι, νεῖν τε κάλλιστα. *adeo autem manſueſcere, ut & lapides ad ſcopum jacere, arma uſurpare, & natare optime diſcant.* Vbi tamen τὸ νεῖν ſive Natandi verbum mihi anceps: quia nec alteri id traditum, & alienum à natura elephantis qui aquas profundiores horret. Ventilare, gladiatorios militareſque motus edere docentur. Plinius: *Vulgare erat arma per auras jacere, non auferentibus ventis,* (ut ſcilicet

iterum

iterum jacta reciperent) *gladiatorios congreſſus edere aut laſciviente Pyrrhice colludere.* Denique in theatris eos geſtus effingere, quos vix Pylades aliquis aut Bathyllus. Plutarchus. lib. πότερα τῶν ζώων. ἐν τοῖς θεάτροις ἐπιδείκνυται σχημάτων εἴδη καὶ μεταβολάς, ὧν οὐδὲ ἀνθρωπίναις μελέταις τὸ ποικίλον καὶ περιττὸν ἐν μνήμῃ καὶ καθεξῆς φυλάξαι πανὺ ῥᾴδιόν ἐστιν. *in ſpectaculis oſtendit elephas eas geſtuum figuras & varietates, quarum copiam atque concinnitatem difficile ſit humanæ ulli induſtriæ exprimere, aut memoria complecti.* Itaque & funambuli elephanti reperti ſunt, irriſum vobis here exploſum. Plinius: lib VIII. cap. II. *Poſtea & per funes inceſſere.* Eod. l. cap. III. iterum: *Mirum maxime, & adverſis quidem funibus ſubire, ſed regredi magis, utique pronis.* Quorum verborum mens: quod & aſcendant per extentos funes adverſi: & regrediantur etiam per eoſdem proni. Seneca: Epiſt. LXXXVI. *Elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua & ambulare per funem.* Suetonius Nerone: *Notiſſimus eques Romanus elephanto inſidens per catadromum decucurrit,* id eſt, per funem in theatro extentum, interprete Dione de hac ipſa re: Καὶ ἐλέφας, inquit, ἀνήχθη ἐς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἀψίδα καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ σχοινίων κατέ-

δραμὼν, ἀναζάτην φέρων. *Elephas ad ſuperius theatri faſtigium conſcendit, atque illinc per funes decucurrit, ſeſſorem ferens.* Quod genus ſpectaculi primum exhibuiſſe Galbam, qui poſtea Imp. Suetonius idem monet: *Prætor*, inquit, *commiſſione ludorum Floralium novum ſpectaculi genus, elephantos funambulos dedit.* Et quæ frons ultra obduret contra tot & tales teſtes? Atque hæc tanta cura & intentione diſcunt (id quoque valet ad vim teſtandam & indolem acrem animi: ut ſæpe deprehenſi ſint noctu velut dictata ſua ruminantes & meditantes. Plutarchus cum Plinio mihi auctor, quendam tardioris ingenii, & verbis verberibuſque male ſæpe acceptum, inventum ad Lunam geſtus illos & motus præſcriptos exercentem. Grandia hæc, grandia: tamen de illis artibus quid dices, quæ non niſi propriæ videntur humanæ mentis? Legere aut ſcribere, quis ab homine ſejunget? ego: niſi ſi elephas inter eos. Nam is quoque ſcribit. Rides? time potius. æmulus repertus Muneris tui, & tuæ artis. Plin. è Muciano clare adfirmat *quemdam Græcas litteras pingere didiciſſe, eaque lingua ſcripſiſſe.* IPSE EGO HAEC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Et Philoſtr. *Scribunt igitur, atque tripudiant, & ad*

fiſtulam

fiſtulam ſaliunt. Quod ſi hos duos teſtes elevas (here ita memini Aeliano] Libr. II. Var. cap. XI.] quid facies, qui oculis ſuis id ſpectaſſe pæne per oculos ſuos jurat? *Vidi*, inquit, *ego ipſe quendam in tabula litteras Romanas promuſcide ſcribentem,* [ἀστραβῶς καὶ ἀτρέπτως.] *recte & non contorte. Quin etiam cum ſcriberet, oculi ejus cum rigore dejecti in tabulam erant: ut plane intentos diceres & ſcriptitantes.* Sed jam concludam hæc de artibus, inſigni & nimis certo exemplo, cuique milleni aliquot oculi ſpectatores. munere, quod Romæ publice dedit Germanicus Cæſar. Plin. cap. II. tangit, & magis ubertim narrat Aelian. lib. II. cap. XI. exque iis ego, *Ludis igitur illis, Tiberio Principe* 12. *elephanti theatrum inducti ſunt ſive Circum, induti floridas & hiſtrionias veſtes. Ac primum ad vocem Magiſtri dividebantur in diverſas Circi partes, inter eundem molli & ſaltatorio greſſu inundantes: iterumque ad eandem vocem coibant, & efficiebant ſaltatorium quendam orbem. Sed & flores ſpargebant, & corollas, & ad cantum terram pedibus leniter & numeroſe pulſabant, & omnia præſtabant quæ peritiſſimi ludionum. Iam iidem (quod inſanum mirum) docti menſas accumbere cibum potumque ſumere, parce, modeſte,*

ordine, humanum in modum. Lecti erant humiles (agnoſcis Romanum ritum) *inſtrati purpura & aulæis. menſæ ad eos, vario & dapſili inſtrumento: diſpoſita pocula aurea, argentea, minuta, grandia: cibi in lancibus, panis, caro, fructus. Ecce ingreßi duodecim elephantes, ſex mares, totidem fœminæ: illi togati, hæ ſtolatæ. Decore & verecunde in lectis ſe reclinant, menſam accumbunt. tum ſigno dato (non enim ante) in menſam promuſcides ſive manus ſuas extendunt: ſumma modeſtia cibos capiunt, delibant. non voracitas ulla in iis, non aviditas viſa, non majoris meliorisve partis appetitio, præreptio. denique cum bibendum, pateram pueri porrigebant; iique promuſcide eandem genialiter hauriebant &* (jucundæ potioni hoc adnexum) *reliquiis vini circumſtantes aſpergebant, velut cottabum facientes.* Hæc meis verbis texui, ſententia germaniſſima Aeliani. Et effare. potuitne ſpectaculum magis ad Gratias, ad Venerem, ad Naturam? cui utinam his oculis arbiter paulliſper ego! id mihi ante omnes theatrorum opus, luxum, nugas. Atque hæc niſi promptiſſimi cujuſdam & acutiſſimi ingenii ſigna ſunt, tardus valde & cæcus ego. Quid illa, quæ non à doctrina inſita ſunt, ſed emicant & ſubſiliunt naturæ ipſius ſponte? Cujuſmodi

ſpectata in iis ſæpe ad prodigium uſque ſagacia & acuta. Quale illud Plutarchi libello πότερα τῶν ζώων. [In Syria elephas quiſpiam alebatur. ſeruus curator additus, cottidie de dimenſo ſubtrahebat & dimidio belluam malo furto fraudabat. Fors fuit, ut hero præſente cibum daret: & admenſus igitur eſt totum. Elephas ut injuriam diu ſibi factam, qua poſſet, detegeret, accurate hordei partem ſeparat: dimidium ſibi ſervat, altero repulſo.] quid niſi clamans, callidiſſimo invento, illud diarium ſibi hactenus fuiſſe? *Alius* (refert idem ſcriptor) *cum rudera & terram magiſter ad explendam menſuram pabulo identidem miſceret: fraude fraudem hanc ultum jens, in ollam ejus carnium plenam, è foco correptum cinerem injecit.* Sed exemplum quod ab Acoſta, fidem omnem ſuperat, etſi ex fide. Palam enim & ſpectante populo res geſta eſt [Elephanti cuidam in urbe Cochin ad horam cibus non oblatus. Queritur & barrit. Magiſter excuſat, & vas æneum ejus cibarium oſtendit perfluens & pertuſum. cauſſam hanc moræ eſſe, quod cibi non ultra tenax. jubet igitur, ſi eſſe velit, ad fabrum ærarium ferat reconcinnandum. Ille paret: promuſcide aufert, fabro offert. Faber ſive per negligentiam, ſive ludos belluam faciens, infi-

deliter reparat atque obſtipat. Elephas refert. Herus vitium videt, & indignatur. inclamat illum abſentem, hunc præſentem. denique redire jubet cum illo ipſo vaſe. Facit. & fabro querulus impingit. Ille homo ſuavis iterum imponere conatur, & admoto malleo claudere rimam ſimulat, non claudit. Nec tamen imponit. Nam ille catus lebetem reſumptum ad flumen defert, immergit, & aqua implet periculi faciendi cauſſa. Videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrum recurrit, intonat magna voce. Confluunt vicini, & inter eos Vicarius regis. Faber blandis verbis demulcet (neſcio an ultra audeam dicere) belluam: vas denique ſumit, & refingit probe atque ex fide. Sed ille ne tum quidem fidens, iterum ad flumen, & ad hauſtum. dum contineri aquam videt, vertit ſe ad aſtantes & oſtendit, velut teſtes eos advocans in hoc factum. ita demum abiit domo. Quid addam? nec verbum: quia revera datus ſum in ſtuporem. Et cur jam Aeliano Lib. XIV. cap. VI. non credam, qui jure optimo duplex cor tribuit tam cordatis; Sed ſatis ad ingenium iſta: redeo ad Plinium meum, qui ſuggerebat.

Memoriam] Ea autem pars tam magna in hoc animante, ut homini non dicam nihil cedat, ſed eum excedat. Vnum exem-

plum

plum vetus dabo, pauca nova. Michael quidam Glycas inter Græcos, Annales ſcripſit haud improbe nec indecenter. Is in parte prima prodidit: [Elephantum quendam cum in Circum deduceretur, ſedentem in foro ad Milliarium aureum, Magiſtrum ferarum, ſubita ira atque impetu interfeciſſe. Cauſam non aliam violentiæ fuiſſe, quam quod ante annos totos decem, eodem illo loco, idem Magiſter, eundem elephantum ferro percuſiſſet. quam injurium tot annos recondens, tum demum iit ultum.] Aliud ex Acoſta: Miles quiſpiam in urbe Cochin elephantum, per laſciviam, in fronte putamine nucis percuſſerat: (grandem illam Indicam intellego, quam incolæ Coccum appellant.) Elephantus putamen ſtudioſe tollit: illud, atque iram, recondit, poſt dies pluſculos in via quapiam publica obambulantem militem conſpicit: accedit, & elatum ex ore putamen, promuſcide ſua acriter in illum conjicit. tum exultabundus abiit, quaſi talione illa injuriam probe ultus.] Iterum ex eodem: [Miles elephantem in eadem urbe cum rectore obvium habuit. noluit decedere. elephas ſuam & rectoris contumeliam id interpretatur: ulciſci tamen à rectore prohibetur. Poſt dies aliquot in ripa Mangatæ fluminis (id urbem alluit)

militem fabulantem otioſe repperit. Cum rector non adeſſet, corripit illico hominem, in altum tollit. nec precibus nec clamore adſtantium motus, aliquotiens flumine merſit, allevans ſubinde & demittens. Cumque luſum eum ſatis diu luſiſſet, contentus hac vindicta, hominem vitæ ſuæ jam diffidentem, rectum & illæſum deſtituit eo ipſo loco unde ſuſtulerat.] Sed hæc in deteriorem & vindicem partem Memoriæ exempla: ecce etiam in beneficam & benignam. Acoſta idem mihi ſuggerit: [Elephantem in urbe Goa fuiſſe, qui annuo illo & ſolemni furore correptus catenas abruperit & vincla. Fugientibus omnibus ſeruulum quempiam qui ulnis infantem dominicum geſtabat in ædes propere irrupiſſe, oblitum ſarcinæ quam depoſuerat in illa trepidatione ante ædes. Elephas adeſt. mortem omnes & obtritum pueri exſpectant. Ille contra manu ſua leviter attollit, in humile tectum, quod è regione ædium, collocat, reſpectans curioſe, ſatiſne puer illic ſine damno. Dein furibundus curſum ſuum exſequitur. Id datum omnes interpretabantur veteri beneficio, quia mulier earum ædium domina & infantis mater, elephanti tranſeunti ſæpius panem aut fructus obtulerat.] Et alia quædam legere tibi fas, ſi lubet apud

eundem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

eundem Hiſpanum. Ego in Plinio pergo, qui admonet.

Amoris] Quod ipſum jure mirum. Nam ſicut Sermo & Ratio homini peculiaria videntur, ſic certi Adfectus. Inter quos avidus ille & varius amor, pro leni tormento ſoli huic animantium datus. Sed abnuit elephas, & hac quoque parte ſociat ſe nobis. Serio enim amat Trita & nota [Narrata Plinio cap. V. & Plutarch. in libello πότερα τῶν ζώων.] hiſtoria eſt illius qui Ariſtophani Grammatico præbuit ſe rivalem.

[Vterque enim Alexandriæ in Aegypto corollariam quampiam amavit, nec minus ſtudii aut ingenii elephanto fuit ad declarandum & mitigandam ſuam flammam, quam illi acuto & litterato. Forum, in quo ea deſidebat, crebro abire: adſiſtere, ſuſpirare, poma aut flores offerre: manum intra ſinum blande penetrare: & ea omnia, quæ Venereus aliquis nepos.] Alia ſimilis in Æliano. lib. VII. c. XLIII. [In Antiochia urbe Syriæ, elephas inter cicures more ſuo ad paſtiones jens, vidit forte mulierem haud inſcitam: pariter corollariam. Vidit, periit. Aſſiduus ille apud eam, pro muſcide faciem, manus, lambere, tergere, & quacunque poterat, blandiri, inſinuare. Quin & illa redamauit, corollas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

& flores aliaſque amoris illecebras ſæpe offerens. Cum perſeveraſſet mutuus hic amor, mulier ecce ad plures abiit. elephas deſiderium non tulit, nec mentis ſuæ ultra compos, datus eſt in furorem. Sed & honeſti fidique amoris non deficiunt me exempla. Habe unum. [Athenæus l.13. cap. XXX. Aelianus lib. X. c. XIV.] Antigono regi elephas fęmina fuit. Evenit ut in obſidione opidi Megarenſis, puerum pareret uxor Indi elephantiſtæ. Is ſua lingua commendat infantem inter bellicas turbas elephanti (ita nomen ejus fuit) Nicææ. Capit illa ſerio in fidem. & omnia officia exhibet, quæ piiſſima aliqua nutrix ſive mater. Infans ante pedes ejus deponi debebat. niſi fieret, cibum non capere, iram omnibus ſignis oſtendere & dolorem. Gaudere contra, eo adjacente & tum cunas movere ad oblectandum, aut ſomnum conciliandum, tum ventilare & pellere muſcas. quod faciebat ſane ſcite, arundinis ramum promiſcide ſua motitans. Atque hæc officia interdum etiam uſurpabat elephas maritus. Pergit Plinius, & addit,

Gloriæ cupiditatem.] Qui ſane ipſe affectus hominum proprius, & inter eos, animæ ejuſque maxime ſapientis. Exempla ejus in hac bellua pluria. tu unum vetus à Plinio cape, novitium alterum ab Acoſta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſta.Plinius: [Erat, inquit, Antiocho regi. elephas, cui (ita enim hominem canumque exemplo diſtinguuntur) nomen Ajax. Is dux plerumque agminis,generoſus,celſus, & velut rex in regio illo grege. Evenit ut flumen tranſmittendum eſſet.renuit infelix, & mala ſua ſorte Ajax. Pronunciatum enim illico à Magiſtris,Principatum eju' fore qui prior tranſiſſet. Intellexit, & arripuit Patroclus (& hoc elephanti alteri nomen) fluviumque transmiſit. Præmio igitur donatus eſt, phaleris argenteis,quibus mire gaudent, ornatus, & velut in poſſeſſione poſitus principis loci. At Ajax noſter propere ab hoc Vlyſſe circumventus, fatum etiam qua poteſt, illius veteris exſequitur: & mortem ignominiæ præferens, inedia ſe confecit] Acoſta autem infit [in litore vicino urbi Goæ tormentum grande æneum commovendum erat. conatur elephas, non poteſt. Inſtigante magiſtro, & duos juniores elephantes oſtentante,qui id facerent ni ipſe faceret : iterum iterumque conatur, tanto niſu. ut medius illico creparet] En! dum gloriam illam præreptum alteris ivit, miſer ſibi vitam. Sed proſequitur laudationem ſuam Plinius, & adjungit magis alta. Eſt enim, inquit, elephantis, quæ etiam in homine rara.

Probi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Probitas.] Ergone virtutes elephanto? virtutes. ut nequid ſcilicet ad perfectum omnibuſque numeris hominum deſiit. Et de probitate plane verum eſt. Innoxium enim, pudens & pudicum hoc animal: probæ mentis, probi oris. Vis ei ut omnibus noceat: ut nemini, voluntas. Homini occurrit? [Plin.cap.IV.] vitam non adimit, oſtendit piam. Feræ alteri? tranſit. Quin niſi irrites & impugnes, nec in Arena quidem excitabis ad lædendum. In magiſtros rectoreſq; ſuos mira illius pietas. [Strabo XV.] quos aliquando per calorum aut furorem interfectos, ita luxerunt, ut inedia interfecerint ſeſe ipſi. Eadem in natos: quos [Aelian.lib.VI. ca.XV.] urgentibus venatoribus adeo non deſerunt, ut millies capi, cædi malint, quam ipſos. Adde reverentiam in grandiores & ſenes. quibus de loco, de potu, de cibo juvenes concedunt, bonæ ſuæ Naturæ legibus non Lycurgi ullis minis adducti. Adde pudorem & caſtitatem, quia non niſi occulte & ſilvis tecti coëunt, & ſane rarenter. Nam quod Plinius & ex eo Solinus prodiderunt, *non amplius quam ſemel parere, nec plures ſingulis:* valide refutat ratio. quia ſi unus ſaltem è duobus: jamdiu, minuente numero, defecerit id genus. Aelianus tamen lib. VIII. cap. XVII.

uſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

uſum Veneris ſemel item iis tribuere videtur. Sed ea ex Ariſtotele hauſta, male aut lecto aut intellecto. Nam lib. v. Hiſt. Anim. cap. XIV. ille hoc tradit: [Marem quam ſemel injerit, non ultra tangere interpoſito tamen triennio coitum repetere, ſed nimirum in alia. Fæminam uterum biennio gerere, parere ſingulos.] Strabo etiam de initu eorum & partu, magis caute & vere. Adtexitur in Plinio,

Prudentia] Quam non dilato, ſatis mihi in Acumine & ingenio dictam & doctam. Oſtendunt tamen & hanc proprie in Acie inſtruenda, in tardandis ſecutoribus fracto dente, in flumine tranſmittendo. quæ apud Plinium, Philoſtratum & Aelianum vide. Sequitur,

Aequitas] Quam in ſe, quam in aliis amant. Retegunt imo ſcelera, & alienas etiam injurias vlciſcuntur. Hiſtoriam Aeliani duplicem te non celo. Lib. x. cap. xv. Narrat Romæ eveniſſe, Imperatore Tito: [ut uxor elephantiſtæ malo jure cum altero mœcharetur. Videt Elephas, non fert domini hanc injuriam: irruit, & in ipſo complexu, utrumque dentibus transfigit. Denique provide ita copulatos relinquit, ſtragulo tegit. & cum dominus adveniſſet, ſtragulo rejecto facinus oſtendit, & ſe ultorem] Hoc pro magiſtro, ſed

probo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

probo. Narrat lib.III. cap.XVII. iterum in ullum, ſed improbum. [Fuiſſe magiſtrum elephanti, qui adulteraret: nec contentum furtiva libidine, uxorem ſuam clam ſuſtuliſſe, & ad præſepe elephantis ſepeliſſe, altera illi mox inducta. Elephantum hoc ſcelus tacitum non habuiſſe, uxorem novam illuc traxiſſe, & cornibus pedibuſque refoſſæ cadaver tantum non rebus ipſi mulieri inclamantem, cui, & quomodo, innupſiſſet.] Extrema laus eſt.

Religio.] Quam veteres omnes tribuunt conſenſu. Luſtrari aqua, orientem ſolem ab iis adorari, Plutarchus Libello πότερα. & Aelianus lib. VII. cap. XLIV. mihi auctores: Lunam novam, Plinius, & Aelianus lib. III. cap. X. Sed & hoc ad Religionem, quod mortuos è ſuo genere ſepeliunt, & prætereuntes iniiciunt humum. Aelianus ille idem hoc tradidit lib. 10. cap. XLIX. Homines ecce, mi Haurene, elephantes feci: Sermone, Ratione, Adfectibus, Virtutibus præditos: quid ſupereſt, niſi ut etiam divinos? Divinant enim & Oppianus de hoc animante dixit:

Μαντικὸν ἐν στήθεσσιν ἔχειν κέαρ.

Divinum cor habere in pectore.

additque præſcire eos fatalem ſuam horam. lib. XXXIX. Dion amplius, ſcientia, eos ornat cæleſtium rerum. ἤδη γάρ τινες, inquit,

inquit, καὶ ἐκεῖνο εἶπον, ὅτι πρὸς τῷ τῆς φωνῆς τῆς πατριώτιδος αὐτοὺς ἐπαΐειν, καὶ τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ γενομένων συνιᾶσιν. *Quidam hoc etiam ajunt, eos, præter quod ſermonem patrium intellegunt, ſcire etiam quæ in cælo gerantur.* Sed inter quoſdam illos, ne te fallam, non ego. Habes luſum, natum non importune mihi ex heſterno luſu & joco inter vina. cui ut ſeria multa & vera ineſſe nihil ambigo, ita quædam majora vero: nec uſquequaque in his talibus veteres illos Fidei litaſſe, facile tecum credam. Quis enim tam magni oneris ſit, ut quidquid illi imponunt, vehat? Nec tamen mali quidpiam in iſtis etiam falſis: quia innoxia mendaciola ſunt, & volente Deo Riſu nata. Qui ſi te non aſpexit dum hæc legis, jam nunc me imponente licet uſurpes cognomen priſci illius Craſſi. Iterum ſalve.

F I N I S.

ENCO-

ENCOMIVM
FEBRIS
QVARTANAE,

Gul. Menapio Inſulano autore.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ENCOMIVM
FEBRIS
QVARTANAE,

Gul. Menapio Inſulano autore.

Etsi decere videtur eum, qui Paradoxon aliquod proponere velit, remotum à ſenſu opinioneque vulgi, quique rem communibus mortalium votis atque ſtudiis damnatam cupiat commendare, inſigni aliqua & exquiſita variarum rerum cognitione eſſe præditum, paremque ad ſcribendum adferre facultatem, ne forte opinatam vulgo paradoxi abſurditatem abſurdior viciet oratio, & omiſſa illecebra ſuavitatis gratiæque omnis, faſtidium & contemptus ſequantur lectoris: Ego tamen in hoc novo argumenti genere fretus ſive mediocri illa rerum à me lectarum obſervatione, quarum ſicuti me delectari fructu fateor, ita queror paucitatem: ſive parta qualicunque vi ſcribendi, quæ ſane ipſa præceptis & uſu confirmata quum fuerit, efficere interdum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

terdum valeat, uti non doctiſſimus homo diſerte tamen & luculenter ſcribat: ſive ſedulitate contemplationis denique fretus, quæ profecto neſcia intertiæ, multas & utiles ſæpe cogitationes ex ſeſe parere ſolet ſecedentibus forte in ſolitarium ocium: His, inquam, rebus omnibus confiſus, conſtanter propoſitum exequar argumentum. Non quia unus ego è multis aptiſſime illud à me tractari abſoluique poſſe confidam, quatenus in medium proponatur, ac non potius aliis exiſtimem delegandum, quos hodie orbis terrarum doctiſſimos habet: ſed quia ſpes judiciorum æquitatis animum meum ſuſtentat & confirmat, quæ ſane facit, uti perſuaſum habeam, non poſſe non probari conatus promptitudinemque, cum eaque compenſatam iri raram operis difficultatem, ut modo incœptum opus non fœliciſſime terminetur. Nec ego quidem ipſe ſtatim ab initio tentati ſtili mihi auſus eram promittere, quod omnium, qui mihi daturi forent operam, poſſem explere expectationem: nec adhuc quidem alium quenquam tam inſolentem & arrogantem puto futurum, qui, ſi meam perſonam hic aſſumat, id ſe facturum confidat: verum ita demum me ſum officio ſatisfacturum ratus, ſi, ut pro natura argumenti, infœ-

cundi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

cundi videlicet & ſterilis, aliquis ſaltem fructus meorum ſtudiorum ad lectorem perveniret. Quod ſi cui omnium facilis & expedita ratio videtur præſentis pertractandi argumenti, eidem lampada trado, facileque me in hoc æmulationis certaminiſque genere vinci patior. Quandoquidem ſicuti hic viciſſe, ſingularis quædam victoris eſt gloria: ita victum fuiſſe, victi dignatio & honoris ſpecies aliqua eſt, à quo ſcilicet evocatus fuerit antagoniſtes ad æmulationem honeſti exempli & ad curſum provectus victoriæ. Nulli enim unquam inſignis gloriæ palma contigit, ubi contentio defuit honorum, & illa certaminis concitatrix æmulatio. Et interim tamen prima ſequentem (ut ille inquit) honeſtum eſt in ſecundis tertiiſque conſiſtere. Quod ſi utique mei ſunt exempli poſthac futuri imitatores, ſicuti fortaſſe ſuccedent, eorum tamen nemo (puto) tam mihi erit iniquus, qui ubi viderit materiæ duriciem ſtilo ductuique ſuo difficulter cedere, proprio admonitus exemplo, partim à reprehenſione vindicet operam meam, partim collaudet conatum: operam tanquam arduam & difficilem, conatum autem tanquam liberalem & bonæ cujuſdam ſpei plenum. Sed inutiliter fortaſſe facio, qui vel in deprecanda occupor invidia:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

invidia: quaſi vero locum habere invidia poſſit, ubi deſunt tumor & arrogantia: vel ut metuendum mihi putem à ſeverioris judicii cenſura, quandoquidem tentata exempli noſtri æmulatio quemque ſcriptorem nobis ſit factura propicium. Ergo tota hac diſputatione præciſa, omnique poſito metu, noſtrum inſtitutum ſecuris animis perſequemur, promiſſamque laudationem exhibebimus febris illius, quam veteres, quod quarto quoque die recurreret, Quartanam dixere. Advertenti igitur mihi animum ad genus febris quartanæ, totamque ejus naturam conditionemque conſideranti, apparet ipſam non alia magis ratione mortalibus inviſam atque infamem, quam diuturnitate ſua. Quam ideo accidere neceſſe eſt, quia quartana ſuſcitatur à materia maxime lenta ac tenaci: nempe atra bili, haud quidem ea apta facile ac cito attenuari, diſſolvi, revelli. Veruntamen ſic exiſtimare oportet, quod quicquid in quartana ineſt moleſtiæ ac doloris, plus proficiſcitur à teneritudine ac mollicie animorum noſtrorum, faſtidium continuationis ferre nequeuntium, quam quod efficiatur morbi culpa ſenſuque doloris, qui ſane de ſe non eſt omnium acutiſſimus. Neſcio enim quomodo naturæ noſtræ comparatum ſit vicio, vel potius perver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

perverſitate judicii, ut diuturnitatis continuatione plus ſatis afficiantur & affligentur animi, nec magis ſoletur nos ſpes, quam diſcruciat expectatio bonorum. Quo argumento videre licet, ut ſi detur optionis libertas, potius magno aliquo malo nos ſubito perfunctos velimus, quam ut ſuſtineamus diuturnam moram levis alicujus mali, breve tormentum cum longo cruciatu libenter commutaturi. Cæterum ſi totum illud genus quartanæ febris recta ratione æſtimaremus, non perinde affecti doleremus, aut certe doloris ſenſum ſecuritatis fiducia magna ex parte ſublevaret mitigaretque. Namque ſi fidem habere volumus ſummo & antiquiſſimo medico Hippocrati, ſunt hujus verba in libro de Epidemiis, ſive morbis communibus: Quartanam omnium eſſe febrium facilimam tutiſſimamque. Quam tanti viri ſententiam multo veriſſimam quotidiana vitæ noſtræ confirmant exempla, quamvis gliſcente ſubinde ingluvie minus forte quam olim frequentia. Quod ſi nobis inter laborandum deeſſe noluerimus, atque noſtram diætam attemperemus ad conſilium boni & prudentis medici, ea eſt propoſita ſecuritas, uti nec repente nos quartana jugulet, nec revolutione periodorum conficiat. Illud interim excipio, niſi

aliquod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

aliquod externum ac violentum ſymptoma ſuperveniat, quomodo etiam annotatum eſt ab Hippocrate in libro de Natura hominis, quo de etiam poſtea dicemus ſuo loco. Quod ſi ad reliquas febris conferretur quartana, eſt ipſa quidem imparibus modis ſecurior atque tolerabilior illis: præſertim de numero acutarum, quod hæ intenſiſſimos dolores ſecum afferant, & violentiſſimæ quoque ſint, criſin habentes breviſſimam, cito terminantem vel in vitam, vel in mortam. Ex quo fieri neceſſe eſt, ut animus inter ægrotandum ancipiti ſpe ſolicitudineque diſtractus, mirum in modum paveat & angatur, atque ita neceſſario ceu altero illo animi morbo corporis quoque morbus interea gravetur, tanquam duplici auctus malo. In hac autem noſtra, quoniam magna promittitur ſecuritas, nullæ ejuſmodi affectiones, unde merito conturbemur, incidunt. Quocirca recte facimus, metum omnem deponentes futuræ perniciei, quando cauſſa omnis abeſt metuendi. In quo illud etiam commemorandum, quod ſicuti plures cauſæ ſperandi offeruntur diætam ſuam recte inſtituentibus, ſic etiam gravius inſtat periculum intemperanter ac vicioſe viventibus. Nec tamen tam gravi periculo delinquitur in hac noſtra, ſicuti in

aliis

aliis illis acutis febribus: qua ratione illis, quoque victus exquiſite tenuis imperatur, quod illic vitæ atque necis diſcrimen in brevi momento verſetur: Quartanæ autem finem afferunt, mora, & diuturnitas. Quod ſi ipſa utique vicio malave aliqua fortuna ægroti longiſſime continuetur, vel deſinit in alium chronicum morbum, & ſui (quaſi ita diceres) congenerem, putes hydropen, teſtante Galeno in Comment. ſuper 11. Aphoriſmum Hippocratis, particulæ 3. vel ſuimet ſimilis manens, longiſſimo tempore nos affligit, nec tamen iccirco neceſſario interimit. Quin fuiſſe aliquos legimus, quibus incubuerit quartana diutiſſime, in duodecimum prorogata annum. Autores habemus Avicennam, & Marſilium Ficinum: hunc in libro de Triplici vita, illum 4. Fen. 1. Ex quo conficiunt, quartanam in cenſu morborum chronicorum tenere principatum, propterea quod continuatione tanta annorum multorum nullum alium morbum in par conſortium admittat. Volo autem, ut interea vires utcunque conſtent laboranti; quibus prorſus collapſis atque proſtratis, inutilis eſt ſpes omnis reſurgendi. Simul & illud volo, quod in omni reliqua vita eſt neceſſarium, uti ægrotus diætam ſuam legitime moderetur. Atqui fortaſſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

incredibilis alicui res videbitur, poſſe quartanam in plures perdurare annos, eo quod dolor omnis exoluat vires: modo viribus exolutis minus atque minus quotidie proficitur. Hanc dubitationem tollit doloris diſtinctio, quod dolor omnis vehemens & acutus, & continua ſerie productus, vires minuat exhauriatque: qualis ſane non ſentitur à quartana correptis febri. Quod ſi utique velimus perſentiri dolorem gravem, tendentem tamen magis quam pungentem, quæ natura eſt pigræ & lentæ materiæ, talem ſuſcitantis dolorem: vel illud quoque, quod oſſa ceu confracta contuſave ſint ægrotanti, ſive ipſo ſenſu videantur, patiuntur autem ipſa tale quiddam per συμπάθειαν reliquorum membrorum melancholicorum, tum eo magis quoque, quod ipſa ſint membra melancholica. Reſpondeo, illud noſtro propoſito ſervire, & ad cumulum quartanæ laudum facere: quod quum dolor aliquis ſentiatur æſtimatione dignus, non tamen valeat robur naturæ ſibi perpetuo conſtans deiicere atque ſuperare. Liceatque nobis ſic exiſtimare, quod dolor quartanæ exemptus ſit à reliquis magnis doloribus, ſingulari quodam beneficio naturæ, omni vi conſervare hominem cupientis: quod alii plerunque dolores ſint pernicioſi, iſtius exitus

ſit

ſit ſalutaris. Sed quid illud ? Quod natura non valens ſeſe celeriter expedire à febribus acutis & erraticis, (quia non ſuſtinet mutationem ſubitam de contrario in contrarium) ad præſidium confugit quartanæ ? ut quoniam liberari per ἀντίσπασιν ægrotus nequit, quod proximum reſtat, auxilio ſubveniat παροχέτευσις. Obſervatum namque eſt à Galeno libro primo Artis curandi ad Glauconem, itidemque traditum ab Hippocrate libro tertio Prognoſticon, febres omnes errabundas ſeu inordinate vagantes fere in quartanam finiri. Cauſa etiam ibidem à Galeno appoſita : Nam quum atra bilis, inquit, in quibuſdam partibus inſuper moveatur, in quibuſdam immota maneat, in aliis putreſcat, aut feruere incipiat, inordinatas fieri febres neceſſe eſt. At vero quoties in cunctis venis eadem fiat affectio, exuperante atra bile, quartana conſiſtit febris. Hæc ille. Nam quod aliquis fortaſſis accuſet officium naturæ, non ſubito ſeſe expedientis, ſed quod interjectu quartanæ tandem liberet detentum febribus errabundis : ego profecto cenſeo eam accuſationem eſſe injuſtam, & hominis plus ſatis queruli. Nam quatenus vis ingruentis morbi eſt inevitabilis, eatenus nihil nobis optandum eſt ultra poteſtatem naturæ : quæ dum, quod valet, præſtat,

præſtat, quocunque tandem modo beneficium præſtetur, gratum nobis & acceptum eſſe debet. Satis igitur nobis liberalem & beneficam arbitrari naturam debemus, dum quando nec ſubito, nec aliter valet, ſumpto aliquanto temporis ſpacio & advenientis vim morbi fortiter excipit, & eandem coalitam atque firmatam ſtrenue expugnat. Beneficii igitur ſui laus eſt quod maleficam febrim commutarit in ſalutarem, & quod quietem quandam (ut in illo genere) natura ſumpſerit ad concoctionem morbi profuturam: non eam quidem perpetuam ac placidam omnino, ſed tamen pauciora habentem intervalla exacerbationum, quam ulli reliqui morbi. Videturque mihi haud inepta ſimilitudine intelligi quartanæ conditio, comparata ad homines ſaltum facturos. Solent enim ii aliquantum ſpacii retroſilire, jactatiſque brachiis quaſi libramentum aliquod adhibere, quo ad conſtitutam metam robuſtius commodiuſque proſiliant: Ita quoque mihi natura parte temporis ſolito ampliore ſumpta, ceu retrorſum abire videtur, quo adverſus morbi graſſantem vim fortius valeat inſurgere. Iam vero quod ad febris quartanæ investigationem attinet, promptiſſima ſane facilimaque ejus eſt cognitio. Nam

id qui-

id quidem ad commoditatem & ad compendium ſanationis magnopere pertinere, nemo unquam dubitavit: intereſtque plurimum tum medici, tum ægroti, morbum penitus deprehenſum fuiſſe, ne hic de ſalute, ille de honore ſuo periclitetur. Quanquam multo majus periculum hic imminet ægroto, ubi morbi conditio fuerit ignorata, eo quod tum ipſi ſimul & medici & morbi ſit experienda fortuna. Quocirca non immerito veretur Timæus Platonis, errorem aliquem forte admitti in conſectatione cauſarum ſecundarum, quouſque ad primas perveniatur. quin illud quoque ſeſe metuere ſignificat, ne contrariæ interdum cauſæ à medicis præſumantur: quod quoties accidit, periculoſa ſequatur medicatio neceſſe eſt. Atqui extra illud periculum noſter hic eſt poſitus, ipſo morbo certiſſimam ſui cognitionem præbente, quoniam ſtatos retinet paroxyſmos quarto quoque die redeuntes, perpetuo nos vel nominis ſui titulo admonens. In quo illud etiam operæ precium agnoſcere, quod aliquid occultæ vis & religionis docta olim antiquitas obſervavit in numero quaternario ſimul & ſeptenario, idoneoſque ambos habuit ad conſtitutionem abſolutionemque rerum quarumque maximarum: quemadmodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

pulchre attingitur à Platone in Timæo, & à Macrobio in Somnio Scipionis. Quam ego nunc mihi vellem dari aliquos ex ſectatoribus iſtis ac magiſtris Platonicæ diſciplinæ, ceu Macrobium, Marſilium Ficinum, & Leonicum Thomæum Venetum, qui vim ordinemque numerorum ac cuborum Platonicorum mihi perſequerentur & explicarent. Papæ quam ſupra humanum illi modum diſputarent, quam cœleſtia mundanis aptarent & componerent, quam circuitus ſiderum configurarent cum periodis humanorum morborum. Sed enim ut in propoſito noſtro maneamus, quaternus & ſeptenarius numerus repræſentantur in quartana febri. Nam præterquam quod ipſa cum quibuſdam aliis morbis quartum & ſeptimum decretorium diem habet communem, ſi tamen tres periodi numerentur à primo aſſultu morbi, inveniemus quatuor fuiſſe dies quietos, tres ægros, quæ viciſſitudo durat quouſque febris hominem reliquerit. Itaque perpetua quadam ſerie quaternus & ſeptenarius numerus illic conficiuntur. Nam quod aliquis forſan obiiceret, eum tenorem non neceſſario in omnibus quartanis febribus retineri, propterea quod quandoque viſæ ſint in quintum aut ſextum diem prolixiuſve deſinere: hic primum

mum

mum reſpondeo, rariſſimum eſſe illum caſum: deinde, eſſe eas quartanas nothas, ac veris ipſis magna ex parte immitiores periculoſioreſque, idque propter extremam craſſitudinem cruditatemque atræ bilis, quæ tum revulſioni, tum coctioni attenuationique, omni maxime repugnet. quamvis ſubſtantiæ habita ratione, illis nonnihil cum veris quartanis conveniat, reliqua autem diſſimilimas confitemur. Sed pergamus recenſere laudes quartanæ. Inter quas haud ea quidem in poſtremis habenda, quod plures interveniunt dies ſalubres, quam ægri: contra quam in tertiana, quippe in qua dies ſalubres & inſalubres æquali portione tempus inter ſeſe partiantur. Nam illi quidem è diverſo morbi, qui continenter nos affligunt, nullam intermiſſionem quietis, nullum ſpacium reſpirationis concedentes, nihil habent quamobrem ad quartanam febrim comparentur, multum ſcilicet largientem ocii atque laxamenti, quominus nos moræ & expectationis cujuſcunque pigeat: quum & in illis acutis ac continentibus morbis: & etiam aliis quibuſdam chronicis, vitæ noſtræ nos ſæpenumero tædeat: atque idipſum vitæ pœnam putemus, quod ſic vivimus. Libet autem hic citare certos hendecaſyllabos verſus Martialis, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

elegantes ſint, & huc commode referri poſſint. Is enim in ſexto libro Epigrammatum, cum aliquo ſtomacho conqueritur æquali ſuo Martiano, quod uſque in ſenectutem vitam tranſegiſſet doloribus languoribuſque plenam, vix ſe legitimam expleſſe ſenectutem deputans. Sunt hi verſus ipſius:

At noſtri bene computentur anni,
Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A meliore vita ſeparentur.
Infantes ſumus, & ſenes videmur.
Ætatem Priamique Neſtoriſque
Longam qui putat eſſe, Martiane,
Multum deſipiturque fallitur que.
Non eſt vivere, ſed valere vita.

Quod ſi in reliquis rebus mortalium nulla eſt fœlicitas ſine aliqua mixtura malorum, ſi læticiæ dolor eſt finitimus, voluptati proximum faſtidium, & quemadmodum proverbiali illo Græcorum verſu dicitur.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Quod ſic à quibuſdam vertitur,

Ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca eſt:

Quid eſt ergo, quod miſere afflictemur, aut quod impotentes feramus caſum febris quartanæ? quum numerus dierum infœlicium & malorum ſuperetur à fœlicium & bonorum, & inter quoſque paroxyſmos inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

intervallum quietis toto biduo continuatæ interveniat. Quo etiam alia commoditas concurrit, faciens ad diminutionem doloris haud contemnendam, quod laborans ipſe dies ſuos ſtatos atque numeratos habeat. Etenim minore omnino doloris ſenſu percellitur, cui ſuum malum eſt exploratum atque prævifum, quam qui imprudens aliquo malo corripitur; propterea quod, quemadmodum veriſſime Plato in Timæo docuit, παθὸς omne ſubitario impetu in nos irruens, ſpiritum animalem ſtatim conſternat, & quaſi præfocat. Cujus rei fidem haud aliunde, quam à nobismetipſis, quam à ſenſu & experientia quotidiana liceat ſumere. Porro vertamus nunc animum ad prognoſtica ſigna medicorum, & perſcrutemur, nunquid illinc aliquid ſpei ac ſalutis promittatur affectis febri quartana. Scribit Hippocrates Aphoriſmo 33. particulæ ſecundæ optimum haberi ſignum debere, ſi languens ipſe ſibi bene conſtet mente, ſique bene ſe habeat ad ea quæ offeruntur, eo quod illinc datur ſignificatio robuſti cerebri, partiumque nervoſarum, ac membrorum principalium, ceu cordis, hepatis, & renum, tanquam probe valentium, uti in Comment. ſuper dictum Aphoriſmum confirmat Galenus.

Quod quum ita merito cenſeatur, quid eſt quod magnopere metuendum putemus laboranti quartana? Quandoquidem nulla in eo cernitur mentis alienatio, vel (ut iſtorum verbis utar) permixtio rationis: quaſi conſcia ſibimet natura ſecuritatis, & ante tempus edocta, nullam eſſe conſternationis cauſam, ubi nullum adſit violentum aut vehemens malum. Deinde in languentibus à quartana febri plærunque manet cibi potioniſque æquabilis appetentia. Corporis etiam habitudo ſimilis quodammodo priſtinæ videtur, quoniam non adeſt intenſus ille & continuus feruor, carnem excoquens & colliquans. Non æſtuant præcordia ſiti perpetua: aut ſi quid ejus eſt, illis fortaſſe nonnihil accidat, quibus peruſta flava bilis morbi materia eſt: nec tamen ea ſitis tam affligit, quam quæ ſentitur in illis febribus, quas cauſones priſci, hoc eſt ardentes, rectiſſime nominaverunt. Non languens ſtomachus cibi faſtidio vexatur, quomodo uſu venit in cholericis & ſanguineis frebribus, ſic ut invitanda ſit appetentia aliqua varietatis illecebra, condimentorumve graria: aut etiam quatenus hoc parum procedat, aſtus & vis ſit adhibenda, ut illic, qua cum interminatione aliqua ægrotus ad capiendum cibum cogatur, eo quidem conſilio id in

aliis

aliis certis febribus fieri ſolitum, ne vires prorſus concidant, quarum ſane reficiendarum prima medicorum conſuevit eſſe cura. Pronuncio autem hoc loco de quartanæ natura ac conditione, quatenus per ſeſe ſola ſit, nec aliquo violento ſymptomate ægrotus interim adobruatur. Nam quatenus bonus & diligens medicus dabit operam amoliendæ ſplenis obſtructioni, perfecto ſatis acetoſæ bilis derivabitur à ſplene ad ſtomachum per venam illam quam mulgentem iccirco dicimus, unde acuatur appetentia ſtomachi, quo ſatis ipſe valeat ſufficiendo nutrimentum corpori. Quod ſi utique juſtum modum excedat medicus, ob copiam aggeſtæ bilis acetoſæ notandam aliquam edacitatem provocans, veniam tamen iccirco facile prómerebitur, quia in partem peccavit tutiorem. Namque poterunt malo ſuccurrere vomitio & vacuatio inferne facta, eo videlicet futura remedia certiora, quo fuerint vires robuſtiores repertæ: tanto tutiora, quanto facilior repletionis eſt quam inanitionis curatio. Iam vero diætæ obſervatio par prope ac ſimilis ſanorum hominum, ſatis indicat, non aliquo ſumme formidabili periculo in quartana laborari. Imperatur namque à medicis victus nec exquiſite, nec mediocriter tenuis. Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

etiam interdicitur uſus vini, ſicuti in aliis febribus: ſaltem omittendum craſſum rubrum. Galenus autem in Arte curandi ad Glauconem, libere indulget album tenue ac mediocriter calidum vinum, ob cauſam quæ facile conjiciatur: quod quærenda ſit corporis humectatio, modo vina præcalida plus ſatis deſiccant. Et quamvis dubiam apud aliquos intelligo eſſe cenſuram, ſit ne vinum ſiccitatis an humiditatis magis particeps: cum iis tamen ego libenter facio, qui vinum natura humidum cenſent, accidenti quadam ſua qualitate ſiccum, quod calor, quum ſit qualitas actuoſa, efficiat ſiccitatem: ſicuti etiam humiditas nimia cum tempore frigus corpori parit, ex ſententia Galeni in libro de Temperamentis. Infeſtatis igitur quartana vinum porrigitur, futurum videlicet melancholici humoris temperamentum & attenuatio, ros & irrigatio membrorum, ſanguinis fomentum, inſtauratio virium, naturæ ſolatium. Quod vero ad cibos attinet, ex præſcripto Galeni, ſaltem ægroto ſubducimus ſuillam carnem, edulia, tenacia, tardique meatus omnia, quæque corpus exiccare refrigerareque creduntur. Libenter autem miniſtramus cibum valenter nutrientem, boni ſucci, facilisque concoctionis: ſub

mole

mole tamen mediocri. in quo cenſu fere ſunt, caro volucrum montanarum & ſylveſtrium, non tamen paſtum ſuum in locis paluſtribus quærentium. piſces ſaxatiles laudatiores: in totum autem damnati, qui pingue & glutinoſum aliquid inſertum habent. Proderit & juruſentum aliquod laudatæ carnis, pulſus gallinaceus, ovum ſorbile. Nec tamen adeo præciſe carnem ſale maceratam denegamus: quin, ſententiam Galeni complexi loco ſtatim citato, falſos & acres cibos concedimus quietis diebus, ob vim quam habent, incidendæ atræ bilis. quod quidem Avicenna ſic moderatur, ut faciendum velit, quatenus non timeatur incrementum caloris. Breviter tandem, cibus quem noſtro iſti offerimus, moderatæ erit humiditatis atque caloris. Nec eundem ſubtrahemus ægroto, præterquam ſub tempus exacerbationis: ipſumque tanto intervalli receſſu exhibebimus ante recurſum paroxiſmi, quo appareat interea temporis plene concoctum. quod qui breviſſime definiunt, ſex horarum ſpacio metiuntur. Aërem porro temperatum quærimus, modice vergentem ad calorem. Acres & continentes curas ac ſolicitudines abjiciendas ſuademus. Somnum largiuſculum indulgemus, non ita multum à mediocri exeuntem.

Inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Intermediis illis diebus inter quoſque paroxyſmos conſuetæ exercitationes permittuntur, alias quies ſumma requiritur. Ex quibus omnibus jam facile pateſcit, nullum grave periculum inſtare laboranti quartana, quum victus ei concedatur concors ferme cum victu illorum, quorum craſis vel leviter modiceque ab optima temperie receſſerit. Iis igitur omnibus quæ victus rationem attinebant, ſatis intellectis, veniamus ad alteram illam diætam, pharmaceuticen dictam, cogituri etiam quid illa in ſe artis ingeniique habeat. Minimum in ea eſſe periculi, vere fateri poſſumus: ſaltem artificis prudentiam, uſum, diligentiam requirimus. Nam quod Plato ipſe in Timæo quartanam febrim ægre ac difficulter ſanabilem putavit, reſpexiſſe illum video ad copiam atræ bilis, non aptam facile ac cito ſive revelli, ſive rarefieri: ut hic Columellæ verbo utar. Sed enim ego plurimis ac maximis cauſis adductus, ſic affirmo: Si hactenus aut edicto aliquo fuiſſet vetitum, aut aliqua forte fortuna ſic accidiſſet, aut is ſcholarum omnium conſenſus extitiſſet, ne certa de Platone ferretur ſententia, me tamen unum in hac opinione perſtiturum, illum uti ego ſummum fuiſſe philoſophum profitear. Illud etiam addo, divinam hominis mentem

pleraque

pleraque contigiſſe, nec hactenus plene humanis perſcrutata ingeniis, nec forte unquam penitus peſcrutabilia. Quod quam ipſi liberaliter concedo, tam rurſus nolim artis curationiſque medicæ parem attribuere cognitionem atque peritiam. Eſt namque in confeſſo apud omnes, Vnicuique artifici in ſua eſſe arte credendum, cedendumque. Et certe ſi ad medicam artem reſpiciamus, multa ſunt in quibus philoſophis & medicis non convenit inter ſeſe. Extatque ſingularis aliquis libellus Hippocratis, ubi placita medicorum & philoſophorum confert, & à ſe invicem diſtinguit. Et quanquam in eo quidem Platoni nonnihil aſſentior, quod in eodem Timæo ſuo nolit bilem atram medicinis fortioribus irritari, quaſi indicaret, quod res ac experimenta teſtantur, peccatum, ſi quod illic ſit, ſtulto errore & inconſulta audacia medicorum admitti: verum illud ipſum dogma de atra tractanda bile nequaquam adeo promiſcue & indefinite ipſi medicorum ſchola concefferit. Etſi enim à primis initiis noſtra febris ſit mite pacateque habenda, & quieti quam plurimum largiendum: ubi tamen paululum curando proceſſerimus, ſignaque aliqua apparuerint concoctionis, fidenter medendum ſuadent noſtri medici: purgantibus quin etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

etiam ſuccurrunt pharmacis, ſubveniunt quoque vomitionibus. Interim miſcent ægroto aloen, filiculam, mirobalanos, epithymum, tripolium, colocynthiden etiam, aliquo adhibito temperamento ſervienti partim ſuavitati, partim ſecuratati. His nos pharmacis laborantem levamus pro præſenti ſtatu morbi, idque ſemel, iterum, ac ſæpius quoque ſi ita oportere ſit viſum. Phlebotomian etiam adhibemus ab initio progreſſuve febris, magna quidem cum fiducia, ſi vires fuerint utcunque robuſtæ repertæ: majore adhuc, ſi in manus noſtras venerit aliquis habitiore corpore præditus: maximo autem, ſi nacti erimus pleni ſucci atque ſanguinis hominem. Ergo non eſt quod conſtans ac perpetuum haberi debeat dogma Platonis, monſtrantis non eſſe agitatu multo movendam atram bilem. At qua in re tandem peccavit vir ſapiens & doctus? Quia, inquam, ſuo tempore à rudibus inchoata medicina principiis, nondum noverat Empiricos: quos ſic nominant, quaſi diceres experimentales. Enimvero quum tota methodus & obſervatio artis conſiſtat in attenuatione atræ bilis, Plato, qui ſaltem ingenium ſuum intendiſſet ad difficultatem materiæ revellendæ, attenuationis compendium & formam nondum viderat. Vidiſſet autem, ſi

æqualem fere ſuum Hippocratem habuiſſet doctorem: illuſtrius etiam, ſi hujus interpretem Galenum. Et tamen ille ipſe Plato, quamvis pronunciavit febrim quartanam difficilis eſſe curationis, ſanabilem tamen intellexit: effecitque ſua illa ſententia, ne plane devium à noſtra putare poſſimus. Et quoniam conſequentia rerum nos in phlebotomiæ mentionem deduxerat, neceſſitate ſic exigente, ſcire licet, certiſſimam propemodum ſanguinis miſſionem eſſe ſtantibus adhuc naturæ viribus, nec ullum ingruere medico metum furentis choleræ, ſicuti fit, ſecantibus nobis venam febri tertiana pura vel cauſone vexatis: nec rurſus formidandam cruditatem futuram, quomodo uſû venit remittentibus ſanguinem phlegmatica pura infeſtatis. Quam ſecuritatem uti phlebotomiæ, ita reliquæ medicationis adjuvat & confirmat, quod non ſuſpicemur futurum abſceſſum, (apoſtemata vocant) ſi juſta fuerit adhibita opera digerendo cruditatem ipſam. Quod etſi alias quoque locum habeat, in quartaña tamen fit tutius, propterea quod atra bilis propriæ ſiccitatis frigoriſque beneficio, putrefactione minime ſit obnoxia. ſolent enim putredines ſequi ad humiditatem, ſuperantem parte aliqua calorem: ſi recipimus ſententiam tum aliorum, tum

inpri-

inprimis Ariſtotelis libro de Generatione & corruptione. Et certe morbi omnes continenter nos torquentes, putes febrim ſynochon, (ideo id cognomen ſortitam) & quotquot ejus generis ſunt, à putredine intra venas collecta fiunt: vel ſi defectus adſit caloris, putredo autem circa membra principalia colligatur, naſcuntur, aut certe formidantur morbi pituitoſi generis, ceu apoplexia, epilepſia, hydropſue: ſicuti annotatum video quum alias quoque à Galeno, tum vero præcipue libro nono Methodi curationis tum vero in Comment. ſuper 16. Aphoriſmum Hippocratis, part. 3. Cæterum iis nos periculis vacamus, quod & extra venas malum omne ſit, & futuri abſceſſus ſuſpicione vacamus. Huc confer benignitatem prudentiamque naturæ, quam iccirco atram bilem, quartanæ materiam, diſſipaviſſe per univerſum corpus ſunt imaginati philoſophi (quamvis princeps ejus ſedes ſplen ſit) ne ſi uni alicui membro prorſus inſerta atrabilis fuiſſet, tota mole in unum contracta, quod mali deciditur, id uni illi membro incumberet: unde neceſſario & dolores magni efficerentur, & valetudinis incommoda multa ſequerentur. Sed revertar ad commoditates curationum, quarum ſane cumulum illud quoque auget, quod ordo meden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

medendi haud facile invertatur, quodque nulla ſit pręcipiti feſtinatione opus. Quamdoquidem pedetentim eſt inchoanda continuandaque medicatio: id quod ſecus in multis aliis morbis accidit. (Omittimus autem hic illos, de quorum eſt ſalute conclamatum: namque hos nullus unquam prudens medicus libenter attigit, ne artem ſuam ludibrio & contemptui exponeret.) At ſubitariis & acutiſſimis morbis audacter manum medici admovere conſueverunt, propterea quod, ſicuti ipſis in ore eſt, Melius eſt anceps experiri auxilium, quam nullum. Atqui ab utroque hoc diſcrimine nos liberi, tuti, ſecuri extamus. Non deplorata, non infirma, non ambigua ſpes ſalutis offertur, non repentinum & validum occurrit malum, ſed à debili orſum initio ſenſim intenditur, eodemque tenore remittitur. Itaque à prudentia medici naturæ aſſectatoris illud quoque requiritur, ne noſtrum iſtum præcipitet, tempore autem & mora rem totam moderetur, utque à lenioribus medicamentis ordiatur, atque partitis ſubinde vicibus digeſtionem cum vacuatione mutet atque variet, donec melius habuerimus. Ita ſiquidem medico ipſi paulatim licebit ægrotum & explorare curando, & curare explorando. quo genere medicationis,

quod

quod adhiberi queat certius, ſuavius, melius? Iam vero nolo in eo multis perſiſtere, ut doceam facile poſſe ægrotum haberi obſequentem medici præceptis, ac minime moleſtum & importunum aſſidentibus, ne ſingula quæque curioſius colligere voluiſſe videar. Tametſi nec illud quidem parvi faciendum, nactum te fuiſſe ægrotum facile tractabilem: quum multos paſſim videre ſit difficilimis præditos moribus, malorum ſuorum impatientiſſimos, ſtimulante morbi natura iracundiſſimos. At quid ejuſmodi in quartana febri? Pigra namque & lenta quum ſit morbi materia, nullas furioſas concitat commotiones. Denique quum ſuapte natura melancholia efficiat ingenioſos & induſtrios, ex ſententia philoſophorum omnium, norunt melancholici ipſi regere & domare animi imperium, non facile inſultaturi aſſidentibus, & curam ſui fidelem gerentibus: non rabie, furore, tumultu omnia permixturi: contra quam frequenter fieri videmus in febri ſynocho, ac cauſone, & aliis formidabilibus morbis. Noſtra autem hic ſecuritate fretus maxima (quam certe noſtro hortatu ſuaſionibuſque adductus merito ſumat) omnes ejuſmodi moleſtias de animo quaſi expuere videtur. Quod quum de aliis, tum vero de illis facile

præſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

præſumimus, quorum tetricam atræ bilis naturam atque ſpeciem ſanguinis benignitas fovet, condit, temperat, melancholicos ſanguineos iſti vocant: vel qui ſanguinei, quum à primo ortu ſint, caſu forte aliquo in quartanam inciderunt. Sed quid magnopere laborandum nobis ſit, ut ſpem reſurgendi & animos faciamus patienti quartanam? An non eſt ſententia Hippocratis Aphoriſmo 34. particulæ 2. In omnibus morbis minus periclitari, quorum naturæ aut ætati, aut tempori, aut habitui congruat morbus, quam quibus ſecus accidit? Agedum & gradiamur per illum numerum, & partes ſingulas attingamus, profecto reperiemus nullum, aut certe minimum ſuſcipiendum nobis metum, ſuſpicionemve mali. Namque ſi naturam attendamus, quam Galenus in Commentario ſuper dictum Aphoriſmum interpretatur temperaturam, craſin: Natura, inquam, concors eſt cum quartana. ut hæc ab humore eſt melancholico, ita illa quoque. Aetas autem ipſa in id fere vitæ tempus incidit, quo plurimum accreſcit atræ bilis. Hippocrates in libro de Natura hominis, inchoat ab anno vitæ noſtræ 25. definitque in 45. oſtendens inter has ætates intercurrere quartanam. quod ſi citius ſeriusve ſuperveniat, futurum affirmat, ut quam

ocyſſime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ocyſſime finiatur. Galenus autem initium capit à 45. anno. Vtcunque tandem ſit, in eo conveniunt ambo, quod quartana fere à 45. vitæ anno nobis minime ſit moleſta, quodque non facile incidat in ætates infirmas & imbecillas. id tamen ſi forte contingat, propinquam fore liberationem. Ergo jure exiſtimare poſſumus, ab ipſa natura eſſe comparata præſidia ſalutis ad congreſſionem certaminis, ad expugnationem & victoriam, eo quod quartana ſaltem incurrit in ætatem robuſtiorem, &, quaſi ita putares, tacito quodam ſuo beneficio parcit debiliori. Huic aunumeres alterum illud (commodo enim noſtro quodam fit, ut ſtatim de tempore ipſo anni dicamus, alterius adhuc commoditatis atque fœlicitatis admoniti) quod quartana plerunque nos invadat in ipſo autumno, autumnus à ſalubriori tempore hyeme excipitur: hyems in ver, adhuc ſalubrius anni tempus, exit. Nam id quoque interim neceſſario referendum, quod quartana autumno inchoata, plerunque in vernum tempus prorogetur, ſi Cornelio Celſo fidem habemus, id confirmanti libro tertio Rei medicæ ſuo. Galenus non adeo definite pronunciat, atque Celſus: eadem tamen propemodum mihi ſentire cum illo videretur. Namque afferens rationem

Apho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Aphoriſmi 25. particulæ ſecundæ Hippocratis, quare quartanæ autumno advenientes ſunt longæ, maxime autem quæ ſub hyemem, ſic inquit: Sicuti vero æſtate & diſcuti humores & vires diſſolui contingit, ita hyeme contraria eueniunt, & humores intus remanere, veluti latibulis incubantes, & vires ſervari robuſtas. Neque igitur morbi ſoluuntur manentibus his qui eos afficiunt humoribus, neque ægroti moriuntur viribus interim ſufficientibus. Hæc ille. Eſt igitur, cur reſervatos & acceptos ver humores noxios excernat, eo quod quemadmodum iterum docet Galenus ſuper 20. Aphor. Hipp. part. 3. veris natura eſt, profunda quæque corporis expurgandi. Illud quoque memoratu dignum, niſi forte experientia rei miraculum redarguat, quod Plinius ſcribit de quartana febri lib. 7. Natur. hiſtor. c. 50. Morbis, ait, leges quaſdam natura impoſuit. Quadrimi circuitus febrim, nunquam bruma, nunquam hybernis menſibus incipere. Sed quod pene exciderat, ipſum etiam tempus autumni eſt familiare & amicum quartanæ, uti hæc, ita illud quoque melancholicum, quo minus hinc reſtare putemus periculi. Nam quod aliquis diceret, æſtate etiam advenire quartanas febres, id ſane magno ad laudem quartanæ eſt adjumento:

mento:

mento: quod quum vires naturæ tum habeantur debiles, tamen & ambientis aëris & temporis conſtitutio ſatis ſint diſſoluendæ rarefaciendæque atræ bili. Ex quo etiam fit, ut æſtivæ quartanæ magna ex parte ſpacio ſint breviſſimæ: ſicuti etiam prodidit Hippocrates Aphoriſmo 25. particulæ. 2. Sed progrediamur ad reliqua. Scribit Hippocrates, minus etiam periclitari, quorum habitui convenit morbus. Habitus paucis verbis definitur à Galeno, ut ſit affectio quædam ſtabilis & perpetua. Nihil igitur nobis nec boni nec mali commercii cum habitu, propterea quod quartana probe curata tempore finitur, non autem firmatur in habitum. Quippe tantæ ipſa eſt ſecuritatis, ut quemadmodum verbis Hippocratis citatur ab Aëtio Amideno libro quinto rei medicæ, ut inquam, idem aliquis homo non bis laboret quartana, nec unquam laboraverit, nec etiam futurum ſit ut bis laboret. Vt jam apud me in minore admiratione eſſe incipiat ſententia Platonis, teſtimonio roborata medicorum principis Hippocratis. Citat namque Aulus Gellius lib. 17. Noctium Atticarum, Platonem autorem, quod qui quartanam paſſus convaluerit, integraſque vires recuperaverit, eundem poſtea conſtantius fideliuſque valiturum. Sed enim licet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

tantorum virorum autoritas maximi apud omnes eſſe debet, ſicuti certe eſt: rationem tamen beneficii tanti, quod quartana præſtat, cuperem intelligere, pro ea quæ mihi eſt diligentia, & deſiderium diſcendi. Quod ſi mihi cum bona reliquorum pace hic aliquid commentari definirique liceat, ſic plane cenſuerim, cauſam robuſtioris valetudinis à quartana febri eſſe exquiſitam atræ bilis attenuationem. Huic rationi alteram affingo, qua doceatur quartanam non eſſe de numero morborum recidivorum. permittatur enim mihi in hac tanta ta vocabulorum penuria hoc verbo uti: quamvis in alia ſignificatione eo Vergilius eſt uſus, quando dixit, hinc in ſeptimo, illinc in quarto libro Æneidos,

Funeſtæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
Et recidiva manu poſuiſſem Pergama victis.

Cæterum non eſt contendendum nobis magnopere de verbis, quando res ipſa tenetur. Sed agam rem meam. Vt enim quiſque humor eſt denſior atque tenacior, ita quoque difficilius rarefit & revellitur: quum autem rarefactus & revulſus fuerit, probabile eſt ipſum relinquere quam minimum ſui. Ex quo conficitur, ut perpurgata materia, quæ morbum attulerat, non ſit proclivis in morbum relapſio. Quod quo manifeſtius co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

gnoſcatur, à diverſo exemplo ſumemus argumentum. Quæcunque ſunt lubrica, viſcida, glutinoſa, & (ut uno verbo dicatur) pituitoſa, eadem poris atque tunicis viſcerum imbuuntur, maxime adeo, ſi in vaſa arcta & ſinuoſa fuerint impacta, atque (ut iſti vocant) villos: hos ſi ita vocare volumus, ſtomachus, præcipua ſedes phlegmaticis, plurimos habet. Conſentaneum igitur rationi eſt, pituitoſos morbos promptius reverti, quam melancholicos: eo quod horum materia attenuatur, diſcutitur, revellitur: illorum autem abſtergitur materia verius, quam deraditur. Nec caret experimento noſtra ratio. Etenim morbus comitialis an non eſt à pituitæ copia? At quis magis recidivus? quis magis ſonticus? ut vetuſto verbo hic utar. In quo iterum alius ſeſe campus, & quidem latiſſimus quartanæ laudum aperit, ſi quidem expatiari libeat. Alii multi vehementes & acres morbi relinquunt notas & veſtigia ſuarum affectionum in viſceribus noſtris, licet alii aliis ſenſibiliora relinquant: ſicuti recte docet Galenus libro primo de Locis affectis. quo fit, ut ejuſmodi morbi non immerito ſibi afferant formidinem perpetuam reverſuri periculi. Diſpar omnino quartanæ eſt ratio. Epilepſia, ſicuti dictum eſt, & qui ejus generis ſunt morbi minantur

redi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

reditum. Moleſtatis quartana, non ſolum tutelæ & ſecuritatis præſidium datur, ſed robuſtior etiam conſtantiorque valetudo conceditur. Alii multi morbi ſuos gradus habent,ut mitiores deſinant in acerbiores. Exempli gratia. Σκοτομία,quæ & vertigo, prænuncia eſt & quaſi informe ſpecimen comitialis morbi. A lævore proximum iter eſt ad diarrhœan,hinc tranſitus ad dyſenteriam. Ab una hectica febri, ab una apoplexia ad aliam aſcenſus eſt. Quartana ſemel abſolvitur, pejor ſe ipſa non redit: ac ne redit quidem, ſicuti ſtatim eſt auditum. Et quum alias medico in votis ſit ægrotum ab interitu ſervare, quatenus perfectæ ſanitati nequeat reſtituere, officioque ſuo ſatisfactum cenſeat, ſi plus adjumenti qua nocumenti, laxamenti plus quam laboris attulerit: Nobiſcum ſecus eveniunt omnia. Namque valetudo noſtra ſtatim tranſacta quartana in meliorem tutioremque ſtatum reponitur,non momentaneæ aut imbecillæ ſanitati reſtituimur, nec id magis quidem medici induſtria ac miniſterio,quam beneficio ac præſidio naturæ, quartana ipſa ceu intermedio quodam organo utentis. Medicus naturam, quoad valet,imitatur: illa nullius ductum ſequitur. Medicus pharmaca condit, miſcet,temperat: natura provehit modera-

tur,gubernat: ſibi ipſi dux, magiſtra, lex optima,quam perpetuo ſecuti non temere aberrabimus. Tametſi non diffiteor,pleraque in vita nobis accidere, quæ abſque adminiculo medicinæ ſanari nequeant, excogitatæ videlicet & à natura conceſſæ ad tutelam,ſubſidium,conſervationem,ſpem, ſolatium generis humani. Quod ſi magnam in morbis habet vim ægroti fiducia, fuitque ea ſæpenumero non ſolum ſolatio ad confirmationem animi, ſed etiam adjumento ad conſecutionem ſalutis, quemadmodum medicorum libris proditur, & res ipſa per ſeſe declarat: magnam noſter iſte fiduciam ſuſcipiat licebit,ac certe quantam maximam pectora capere poſſunt, repoſitam eam quidem & in medico & in natura.in medico, quod, uti ſuperius eſt oſtenſum, inveſtigationis certitudine & medendi ordine haud facile decipi & errare poſſit: in natura, quod non pernicioſam, ſed ſalutarem eſſe voluerit quartanam. Quin unus omnium Cornelius Celſus libro tertio illo ſuo rei medicæ, auſus eſt affirmare,neminem à quartana jugulari: dignus profecto autor qui legatur,ob eximiam quandam eruditionem atque elegantiam ſermonis:dignus etiam cui credatur, ob ſummam artis peritiam. Quod ſi utique in magno numero unus aliquis interci-

tercipitur, exiſtimare convenit, non id quartanæ febris injuria accidere, ſed alius forte allapſi ſymptomatis: ſicuti vita noſtra omnibus horarum momentis eſt tranſmutationibus obnoxia. Quanquam hic quoque medicus induſtrius & diligens ſeſe purgare tuerique poſſit, quod ſcientiæ omnes ſunt univerſalium rerum, atque earum quæ frequenter ac plurimum in humana vita eveniunt. Eſt autem, quod vere & audacter confiteri poſſimus, de ſe, hoc eſt de ſua natura, eſſe ſalutarem quartanam, ſupraque reliquas febres: quarum certas alioquin nobis eſſe præſidio, medicis video placere. Quam quartanæ quaſi prærogativam mihi advertenti, ſubit mentem admiratio, quid ſit quod lingua Latina, alias verborum affluenter dives, quartanę proprium aliquod nomen non indiderit, ſed in cenſum febrium repoſuerit. Hanc mihi admirationem nonnihil minuit copia rerum, multo excedens verborum copiam. quam tamen illam ſuam inopiam ita noſtra lingua ſupplevit, ut ex proximo arripuerit, quod commodum videbatur. Quia igitur certarum periodorum circuitione quandam quaſi affinitatem aut ſimilitudinem quartana habere videtur cum tertiana, eſt viſa commeruiſſe febris appellationem, ſaltem periodi notatione diſtincta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Quod etſi uſus nos tolerare facit, haberem tamen, quare cum priſcis illis inventoribus artium & nominum expoſtularem de hac mutatione. Etenim febris dicitur à ferbendo (ut πυρετὸς græce) facta unius literæ tranſpoſitione, mollioris ſoni gratia: licet Nonius Marcellus dictam velit à feritate, quæ etymologia ſi locum habet, poſſint jure febris appellatione comprehendi morbi quicunque difficillimi & efferatiſſimi: ceu iliacus & cœliacus, angina, dyſenteria, & ejus generis alii morbi. Veruntamen velimus hunc honorem deferre Nonio Marcello, utpote antiquiori, ut etymologian ſuam admittamus. Sed quid ergo tantum eſt in quartana, ſive feritatis, ſive fervoris, ut in febrium debeat numerum aſcribi? Certe mitiſſimam, placidiſſimam, ſaluberrimam omnium febrim hactenus Lector intellexiſti: ſi modo tenes memoria, quæ idoneis locis de quartana prædicavimus. Accedit ad prædicta illud quoque neutiquam omittendum, quod minimum hæret contagionis in quartana, Multarum febrium eſt natura, vapores de ſe putridos ac peſtilentes remittendi, adeo ut ſi ſaltem venas ægroti pulſatiles tangas, tibi manus ſubdoleat: ſi oculorum aciem fixius intuearis, ſentias aliquam ejaculationem factam in oculos tuos, id quod

à vio-

à violentia vaporum ſurſum aſcendentium, ſeque per univerſum corpus diffundentium accidit. At quartana, quod extreme putredinis ſit incapax, ob additam frigori ſiccitatem, omni maleficio caret contagionis. Quid autem, ſi imaginemur in quartana febri ſimilitudinem aliquam vini fugitivi ad priſtinam reverſi naturam? abſurdane fuerit comparatio? Non fuerit, opinor. Habet namque vinum ſubſidentem fæcem: habet & ſanguis craſſiorem aliquam & quaſi fæculentam portionem, ut hujus, ita illius fex melancholiæ comparatur à Galeno in methodo medendi. Vinum quo craſſius fuerit, citius circumagitur, & quaſi (ſic dicam) fugit: craſſior ſanguis magis quartanæ obnoxius. Vinum plerunque fit fugitivum initio æſtatis, floreſcente vinea: quartana fere advenit commota & fervente atra bile, ceu in autumno, & in ætate virili. Vinum fugitivum cum ponderis ſenſu in vas aliquod labitur: gravitas corporis toto paroxyſmi tempore percipitur. Remanet vini tenacitas, quouſque ad priſtinum habitum redierit: durante bilis tenacitate, nondum quartana ſolvitur. Vinum remiſſo ſuo illo vicio, fit ſeipſo, quam antea fuiſſet, purius atque melius: quartana poſtquam deſiit, hominem ſalubriorem firmioremque relinquit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quam acceperat, beneficio id quidem attenuatæ ætræ bilis. Vides ne modo hanc quodammodo ſibi conſtare ſimilitudinem? Quanquam circa recuperationem prioris habitus aliqua reperitur diſſimilitudo. Namque vini corrigendi pauciſſimis cognita ars eſt, cognita alioquin, licet quæſtus aviditate nimia celetur: curandæ autem quartanæ & à medicis ſunt remedia, & à natura parata præſidia. Porro ſtulti & ingrati hominis fuerit, accuſare parentem rerum Naturam velle, quod morborum remedia nobis monſtrarit, non etiam vicia vini, frugum, aliorumve terræ naſcentium. Majorem omnino familiaritatem cum genere humano fortita eſt natura, arctiora ipſi nobiſcum ſunt vincla neceſſitudinis, quam cum potionibus eſculentiſve. Nobis motum, ſenſum, animam mentem, rationem dedit, agnitionem etiam ſuorum beneficiorum conceſſit: quæ tanto nobis hoc loco gratiora eſſe debent, quam ſi vini vicioſi oſtendiſſet remedia, ſuppreſſiſſet autem morborum medelam, quanto nobis charior eſt incolumitatis retentio quam bonorum, ſanitatis quam fortunarum converſatio. Sed enim relicta hac commentatione, ad calcem operis ire pergemus. Prius autem quam Epilogum abſolvamus, juvabit

adhuc

adhuc paululum in amplificanda quartanæ laude inſiſtere. Quarum illa omnium maxima & excellentiſſima,meo judicio, quod à multis & maximis morbis nos liberat. Nam hæc eſt ſententia Hippocratis primo libro Epidemiorum, quam etiam quadantenus Galenus confirmat, approbat præter alios etiam Avicenna 4. Fen 1. Quum enim duplex ſit medendi ratio, ut aut à morbo hominem præſervemus, aut afflictam inſtauremus valetudinem,utramque hanc à quartana præſtari videbis. Scire igitur licet,univerſalem ſanationis cauſam eſſe rarefactionem atræ bilis, ejuſdemque delegationem factam ad partes ignobiliores, videlicet ad inferna viſcera, indeque ſecuta vacuatio. Quo argumento quartana liberat arreptum inſania, & morbo quam proprie vocant melancholian. Eam mihi ſententiam confirmare quodammodo videntur verba Galeni in Comment.ſuper 21.Aphoriſ.Hippocratis, part 6. quo loco docet, quare hemorrhoidibus & varicibus ſupervenientibus ſequatur inſaniæ ſolutio. Sunt hæc verba ipſius: Eſt autem varix, quum venæ latiores fiunt in coxis & cruribus,quod ex craſſo & melancholico humore contigit: adeo, ut pellente natura ad partes ignobiliores, eos qui inſaniam efficiunt humores, &

præſertim quum melancholici fuerint & craſſi, dictarum ſequitur affectionum generatio, & inſaniæ ſolutio. Quum igitur ablegatio bilis atræ inſaniam ſoluat, ſicuti ex Galeno edoctum eſt, par propemodum eſt ratio, quare inchoatam lepram finiat & ſanet. Nam id quoque ab Hippocrate, Avicenna, & Bertrucio Bononienſi memini traditum, tametſi rationes ab illis omiſſæ fuerint. Liberat etiam quartana à morbis ſpaſticis, quod etſi aliis etiam quibuſdam febribus ſit cum quartana commune, ipſa tamen multo præſtat efficacius. Quin obſervavit Galenus, quod non ſolum communi ratione, atque aliæ febres, ipſa ſuperveniens ſpaſmum ſoluat: ſed quod etiam à ſpaſmo præſervet. In quo etiam curationis nobilitas datur intelligi. Namque curationum omnium nobiliſſima eſt προφυλακτικὴ. Verba ſunt Galeni in Comment. ſuper 70. Aphoriſmum Hippoc. partic. 5. Quæ quidem fit ex evacuatione revulſio, acutiſſima eſt & perniciosiſſima: quæ vero ex repletione partium neruoſarum, qualis in morbo comitiali, neque acutiſſima eſt, neque ſimiliter periculoſa. Meminit autem Hippocrates nunc non de tali convulſione. nam verba in Aphoriſmo, Capti, & Capiuntur, longitudinem temporis oſtendunt. Hanc itaque convulſio-

nem quartana non ſolum prohibet fieri, verum, ſi fieri anticipaverit, ſoluit. Fit autem ab humoribus lentis ac pituitoſis, qui partibus neruoſis inſerti ſunt. Quum autem horum humorum duplex ſanatio ſit, excretio & coctio, ambas habet quartana: excretionem quidem ex rigore, hæc enim ſola agitatio ſufficiens eſt craſſum excernere humorem: coctionem vero caloris febrilis adjumento, qui rigorem conſequitur. Hæc ille. Fuerit fortaſſis ſupervacuum hic repetere ſuperius dicta, quod quartana etiam liberet hominem à maleficis illis febribus, quæ alias erraticæ, alias mutuatione â Græcis accepta, planeticæ dicuntur. Redigitur ſaltem mentio in memoriam, ut intelligatur, quæ illic dicta ſunt, huc quoque referri commode poſſe. Poſtremo liberat quoque interdum ab abſceſſu, penitus autem, ſi interim ſanguis abunde de naribus fluxerit: autore Hippocrate libro ſexto Epidemiorum. Hactenus de quartana febri ſunt audita non pernicioſa, non terrifica ſigna atque argumenta, ſed ſalutaria, & ſpei ſecuritatiſque pleniſſima omnia inventa. Quæ quum ita ſint, (neque enim eſt locus contradicendi, volentibus nobis præſcita atque placita medicorum recipere) quid eſt quod inter laborandum noſtros animos magnopere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

conturbet atque diſcruciet brevis tempo-
ris fugax mora? Et certe breve omni illud nobis videri debet, quo quum defuncti ſumus, ſalutem, ſecuritatem, tranquillitatem conſequimur. Suſtineat autem æquis animis ejus gratia exemplum unum aut alterum commemorare. Proſpicit aliquis ſibi victus tenuitate & parſimonia, quo reliquum vitæ liceat in ſplendore, elegantia, liberalitate, magnificentia tranſigere. Alius terras mariaque pererrans, mille ſubit diſcrimina rerum, ut venturæ ſenectuti comparet ſubſidia. Suſcipit aliquis bellum, cœlum terraſque miſcens, ſpe & animo perfruendi futuræ pacis commodis atque bonis. Breviter, ii omnes multis & magnis laboribus, periculis, tædiis, ſolicitudinibus diſtinentur, qua ſui tandem voti compotes efficiantur. Et moleſtum forte cuiquam erit, jucundiſſimum ſanitatis beneficium atque voluptatem redimere una vexatiuncula febrili? nec ea tamen, niſi in quartum quemque diem revertente: nec rurſus multum duratura, modo forma hactenus à me præſcripta teneatur, & induſtrius medicus quæratur. Poſſem ego hic multa adferre, quibus in mediis languoribus ægroti noſtri ſolarer & confirmarem animum. At ejus diligentiæ nulla neceſſitas. Non enim magis hic diſerti cupimus videri,

quamvis tales nos optamus fieri, quam rectæ inſtitutionis gratiam à lectore mereri. Nolumus etiam hoc loco ſuffragari nobis uulgatam illam & communem ſententiam philoſophorum, ſolitam commemorari malis omnibus levandis leniendiſve: Malum, inquam, omne in opinione hominum, non autem re ipſa conſiſtere. Nec rurſus illud hic audimus, Ferendam eſſe æquanimiter ſortem ac neceſſitatem inevitabilium malorum: & ſi quæ ejus generis reliqua ſunt philoſophorum dicteria, quibus rerum aſperitas verborum lenimento conditur ac mitigatur. Valeant, & adhibeantur hæc conſolationum remedia in manifeſto metu atque diſcrimine mortis, ſive dignæ ſive indignæ. Valeant in ſuppliciis, valeant in pernicioſis morbis, valeant in orbitatibus, valeant in exiliis, valeant in gravibus peccatis, valeant denique ac plurimum efficiant in periculis honorum atque bonorum. Nobis certe nullo uſui ea ſunt ſolatiorum fomenta: & ſtultum quidem ſit, decreta adhortationeſque philoſophię ad conſolationem ægrotorum pertinentes illic inculcare velle, ubi ſumma & certiſſima ſpes ſalutis eſt propoſita. Supervacuum autem, animos juſto vacantes mœrore, blanditiis ſermonum levare velle. Inutile etiam, foris remedia

quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quærere ſolatiorum, quæ rectius ex natura rei, de qua eſt actio, petantur. Extraneum quoque,& ab omni ratione alienum, expectare confirmationem aliunde velle, quum una conſideratio atque unicus reſpectus febris quartanæ animum à mœrore ad gaudium, ab angore atque anguſtia omni ad ſpem ampliſſimam traducere poſſit. ut dolendum jam laboranti nullo modo cenſeamus,quum ipſi non philoſophorum Academicorum imaginaria aliqua, non opinata, non infirma ſalus portendatur, ſed vera, ſed certa, ſed firma à nobis promittatur, detur, conſtituatur.

Quapropter deponat poſthac metum omnem inutilem laborans. ſoletur doloris ſenſum fiducia ſecuritatis : leniat moleſtiam diuturnitatis, ſi quæ forte futura eſt, ſpes liberationis : mitiget expectationis tædium, certa perſuaſio affuturæ paullo poſt melioris conſtantioriſque valetudinis. Poſtremo denique multitudo omnis falſam de quartana febri concœptam opinionem abjiciat, & doctorum chorus meam ſententiam tanquam veriſſimam ſuis calculis approbet. Quod ubi fiet, arbitrabor & recte à me operam poſitam in ſcribendo fuiſſe, & magnum me præmium induſtriæ ac laboris conſecutum.

F I N I S.

IACO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

IACOBI GVTHERII TIRESIAS.

SEV CÆCITATIS ENCOMIVM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

IACOBI GVTHERII TIRESIAS.

SEV

CÆCITATIS ENCOMIVM.

De Orbitate toleranda cum ad Annam Robertum ſingulari prudentia virum nuper ſcriberem, Ampliſſime Brularti, is exigui laboris fructus mihi uberrimus fuit, quod pervulgata illa conſolatio tuo ſit judicio comprobata. In hac officii mei ratione, duo potiſſimum præſtare conatus ſum: & Roberti prudentiam è filii optimi tumulo redivivam excitare, & Choartii in adverſis & proſperis caſibus ſapientiam collaudare. Otium deinde moderatum atque honeſtum nactus, cum libros de jure Manium abſoluiſſem, & ad Officia Domus Auguſtæ pergerem, in medio ipſo opere reſtiti, temporum triſtitia perturbatus, quæ ingenii acumen ad levioris ſtudii genus retunderet. Quare cum in Homeri Tireſiam forte incidiſſem, quem nobis finxit apud inferos ſolum ſapere, ceteros

umbra-

umbrarum vagari modo : volui de Cæcitate ea ſcrutari & quærere quæ umbram quandam & imaginem veteris illius Sapientiæ repræſentarent, quibus oculi tanquam virtutis antiquæ pictura aliqua tenerenrur. Recte quidem Cæcitas Orbitatem ſequitur: orbos enim dixerunt Latini, qui chariores ſibi filios, quaſi lumen oculorum gratiſſimum amiſiſſent. Cum vero ætate noſtra orbam propemodum Sapientiam eſſe intelligerem, in Poëtarum de Tireſia fabulis lubuit immorari, dum alii aliis delectantur, & cornicum oculos configere, vel ſummam mortalium omnium ſapientiam compilare ſe putant. Tibi vero, Illuſtriſſime Brularti, ut tuorum erga me meritorum memoriam conſervarem, cui tantum debere me fateor, quantum quilibet alius poſſit, hoc temporis mei interuſurium lubens merito perſolvo, uſque dum æternum tuæ gloriæ, ſi cœptis Deus annuat, conſtituam grati animi monumentum. Non vereor aſſentandi ſuſpicionem, qua nullus unquam tuam ſibi benevolentiam comparavit: ſed humanitatem veneror, quæ jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ fructum mihi largita eſt, cum ultro ad te accerſitus, poſt libros de jure Pontificio vulgatos, expertus ſim literas te meliores colere, eaſque omnibus fortunæ

bonis anteferre. Quam amica tum mihi tua illa vox fuit, qua de illis velle mecum colloqui denuntiaſti? atque ut frequenter te inviſerem cohortatus; viciſti tua benignitate cogitationes meas, quarum magnitudine mens quodammodo mea obcæcata eſt. Iteraſti eadem & iſta mihi ſæpe, ſed maxime cum ad te Berniacum ſalutandi cauſa veniſſem, ubi vultu hilari poſt ſermones varios: Iam vero, ais, cum Muſis habituri ſumus commercium: etenim cum illis omnibus rationem habere nunc poſſumus, & ſemina ſtudiorum quæ in animis noſtris radices egerunt, & ad tempus apta ſunt, mutuis colloquiis propagare. Ego vero, inquam, minutus & aridus & ad creſcendum tardus, ſerius è terra prodeo, nec cito adoleſco.

Cum arrideres, abrupit ſermonem ſalutantium turba; receſſi, & ad Tireſiam quem mente conceperam, ſtatim reverſus, illius Cæcitatem & Sapientiam in hortorum tuorum ambulationibus, poſteaque in itinere mecum ipſe meditabar. Atque attentius primum de Cæcitate hæc in otio cogitabam, ut illam, aut corporis eſſe, aut mentis, vel utriuſque perſpicerem. Quæ corporis, ut incommodorum conſuetudine gravior plerumque eſt, ſic ſola virtutis compenſatione levatur. Tum enim ſuis

illa

illa deliciis fruitur, quæ corporis oculis non percipiuntur, ſed viſum quendam habent inſigniorem, quo ſapientis vita gubernatur. At ſi mens hominis quæ cogitatione quidvis intueri poteſt, ſuis tenebris obvoluta, luce ſapientiæ careat, aut corporis cæcitas, ſua caligine mentis quoque perſtringat aciem; hæc demum maxima & miſerrima omnium miſeriarum eſt, quæ nullis remediis proptet vulneris acerbitatem curatur. Etenim cum pœna oculorum ad cæcitatem mentis converſa eſt, nihil eſt quod ſperemus reliqui, ut in Harpaſte illa fatua, quæ capta oculis, cæcam ſe eſſe neſciebat, domuſque tenebras iucuſans, inepta, rogabat ut alio deduceretur, unde ſibi luminis aliquid oboriretur. At Catuli Meſſalini caſus acerbior, qui luminibus orbatus, ingenio ſæuo mala cæcitatis addiderat. Non verebatur, non erubeſcebat, non miſerebatur: Sæpius à Domitiano, non ſecus ac tela, quæ & ipſa cæca & improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. Nec longe alia Polymeſtoris cæcitas fuit, ut deteſtabilior imanitas. Hic cum hoſpitii jura quodam quaſi parricidio violaſſet, Thracio captivę mulieris commenti, effoſſis oculis, & ſuorum ſcelerum conſcientia cruciatus, eas dedit pœnas quæ ſolæ
ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſunt hominum impietati à Diis immortalibus conſtitutæ. Huic infamiæ & calamitati ſocium adjungo Polyphemum, cui agreſtis ita & durus animus fuit, ut Deos in cœlo eſſe non ſentiret: vel quod maximis ſuis ſceleribus conniverent, vel quod neq; propitios cuiquam eos, neque iratos arbitraretur. Quod perite in illius perſona Homerus expreſſit: nam cum ſupplex illi Vlyſſes eſſet, Ioviſque Hoſpitalis injiceret metum: Stultus (inquit) es, o hoſpes; neque enim Cyclopes Iovem curant aut metuunt, cum ſe illo præſtantiores beatioreſque putant. Horribilis iſta quidem cæcitas fuit, qua Vlyſſes motus, informi monſtro oculi ademit lumen. Quare cum infamem illum ferumque pinxiſſet Poëta, cum ariete tandem colloquentem facit, ejuſque laudare fortunas quod qua vellet ingredi poſſet, & quod vellet, attingere. Recte quidem, inquit Tullius; nihilo enim erat ipſe Cyclops quam aries ille prudentior. Ceteros non moror ſuis facinoribus utraque luce privatos. Recentiora exempla adferam, quæ omnes omnium cæcitates & crudelitates ſuperant. Narrat Italus hiſtoriæ ſcriptor, fratres duos nobiliſſimos, meretriculam mutuo deperiſſe. Ex peccandi conſuetudine eo crevit invidia, ut appareret Atreï filium ex iis eſſe unum, qui pœnam

novi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

novi generis, fratri moliretur. Cum ergo Hippolytus rivalem Iulium ferre amplius non poſſet, conqueſtus apud amicam eſt, quod diviſus illius animus in Iulium eſſet propenſior, quem unice unum amare videretur. Cumque captam ſe illa & irretitam oculorum Iulii illecebris fateretur, arſit iracundia Hippolytus: qui opportunum ratus tempus, quo fratrem modo ulciſceretur, cum ſe ad venatum exerceret; ut in ſilvis feras inſequitur, illum vi armata adortus, ab equo deſilire, deinde in ejus oculos involare ſicarios jubet: erepti coram oculi amoris ſævi impatientiam Hippolyto vix extinxerunt. Hanc amor apud homines carnificinam commentus eſt, qui dum uni oculos eripuit, alterum de poteſtate, de conſilio, de ratione, de mente deturbavit. Vter illorum cæcior iis videbitur qui aliquid vident? is certe cui libidinis plus obfuit cæcitas, quam luminis. Nam cæcitas quidem iſta mentis durior multo moleſtiorque eſt, quam oculorum. Etenim nihil cernente animo, lux omnis à nobis exulat. Vere vetus nos inſcriptio monet: *Quam multi ſunt, qui oculis patentibus nihil vident.* Nec ſtulte forte Epicurus dicebat, neque oculos ad videndum natos eſſe, neque aures ad audiendum. Nam cum ex quinque ſenſibus, quos cum belluis

belluis communes habemus, tres maxime ſerviant corpori; duo reliqui, viſus & auditus, ceteris imperant & philoſophantur. Cumque animo videamus, animo cernamus, qui lucem tranſmittit ad oculos, neceſſe eſt illos animo caligante prorſus nihil videre, qui virtuti bellum intulerunt. Neque enim homo is eſſe putari debet, quem forma iſta corporis aut oculorum acies declarat, ſed mens cujuſque, is eſt quiſque: & qui mentis oculis nihil vident, falſis rerum imaginibus illuduntur ſemper. Quemadmodum cum bilis ad hepar redundat, deliria gignit, atque ante oculos cujuſuis generis feræ variæ apparere videntur ægrotis: ſic omnibus iis accidit qui morbis animi laborant, quas nos perturbationes dicimus: hi enim ea cernere ſe putant, quæ ab oculorum ſenſu ſunt remotiora. Vt qui ſuffuſione ſanguinis in oculo ex ictu affecti, quæcunque viderit, rubra illis videntur: & ictericis cuncta ſunt aurei coloris: arquatis aut veternoſis, ait Varro, quæ lutea non ſunt, lutea apparent. Qui ergo res cæcas & ab aſpectus veri judicio remotas intuentur, viſiones eas ſibi fingunt, quas Græci vocant φαντασίας, quæ fluentes nullam omnino veritatis lucem habent. Itaque ſtulti omnes, inſani aut furioſi, qui ſine mente, ſine oculis quoque

Anda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Andabatarum more contra rationem videntur pugnare. Tales etiam ſunt perſpicaces plurimi, qui cum non intelligant ſe in media luce cæcutire, tanquam ſi offuſa Reipub. ſempiterna nox eſſet, ita ruunt in cogitationum tenebris, ut rerum omnium migrationem commutationemque male ominentur, quam maxime deſiderant: & aliorum vitiis ſic iraſcuntur, quaſi invideant; graviſſimeq; accuſant eos, quos maxime vellent imitari. Sed ne cæcus ipſe à via quam teneo longius digrediar; fallax mihi plurimum oculorum ſenſus videtur, ſed tum præcipue cum vehementiori appetitu, qui longius à naturæ conſtantia diſceſſerit, impellitur. Tunc enim eæ objiciuntur formæ quæ reapſe nullæ ſunt, ſpeciem tamen aliquam habent, qua cæcus animus impeditur. Quod ſpeculorum uſus nobis apertius demonſtrat. Nam ſi concavum ſit ſpeculum & poculi modo, minora nobis oſtendit ea quę extrinſecus ſubjecta ſunt. Si curuum, in immenſum dilatatur imaginum magnitudo; plurimumque refert, elatum, averſum, obliquum, ſupinum an rectum ſit. Varie enim ex iis qualitatibus figurarum torquentur umbræ. Sunt ſpecula quæ caput eorum qui ſuam in illis imaginem inſpiciunt, deorſum invertant, & pedes ſurſum. Hac ratione dixit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ullius, ut ſpeculorum levitas hinc illinc altitudinem aſſumpſit, dextra detrudit in lævam partem oculorum, læva in dextram: Ita lævitas aut aſperitas mentis noſtræ hinc illinc moderationem aſſumit, aut invidiam, odium, miſericordiam, amorem, triſtitiam, eoſque omnes porro affectus qui eam nobis referunt imaginem, quam ſedato animo aut perturbato concepimus. Videre enim licet pleroſque, objecta voluptatis ſpecie cæcis libidinibus conſtrictos: alios cæca ambitione perturbatos, qui cum obſcurum tempus aliquod ſervitutis apparet, vivi videnteſque perire non diffugiunt. Hos cæcus amor, illos cæca cupiditas, & quidquid vitiorum in tenebris latet, ſommo ſempiterno conſopitos, in furioſorum cogitationes impellunt: Hi omnes quæ ſibi videre videntur, ita ſunt, ut quæ dormientes ſomniant, vel certe vigilantium ſunt inſomnia. Quid animorum perturbationes ceteræ ſunt aliud, quam obcæcatæ in agro foſſæ, in quas decidunt ii qui à ratione, quæ lux quædam lumenque naturæ rite nominatur, paululum deflectunt? Nonne effrenata illa ambitionis inſania evertendæ Reipub. cauſa ſolet eſſe? Quo jure quaque injuria cæci & præcipites ferimur ad honoris umbras, qui jam non dignitatis teſtimonium, non beneficium

 ambi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ambitionis;ſed inſanientis & prodigi animi præmium eſt, quod exquiſitis palam pretiis,licitationis calori addicitur. Itaque non modo dignitas nulla jam pene eſt, ſed ſumma ubique deformitas : quod temporum injuriæ tribuo,quæ facile remitti non ſolet. Sed homines obſcuros & cæcos hujuſmodi, quos luce in ipſa virtus nuſquam vidit, fruſtra inſequeremur : hos enim non magis debemus intueri, quam ſi in nubibus larva aut Hippocentauros animadvertamus.

Iam vero ad oculorum Orbitatem veniamus,quæ tam bona quam mala dicitur, & ex mentis habitu præcipue dignoſcitur. Quam perdita ſit atque profligata illorum natura, qui utraque Cæcitate correpti ſunt,exemplis aliquot oſtendimus:Oculorum ſola, inter ea quæ Græcis ἀδιάφορα καὶ μέσα nobis indifferentia,computari poteſt. Nam ut à mente regitur, probanda eſt aut reprehendenda Quod & in Diis ipſis aſſerere veteres non dubitarunt. Cæca enim antiquitas tres deos cæcos venerata eſt, quos ἀδιαφόρους, nec fugiendos ſemper, nec colendos tradit. Cæcus Amor triſtitiæ condimentum eſt : ſed plura illius vitia poëtæ omnes decantarunt :

Nam

Nam Amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Ineptiæ, ſtultitaque adeo, temeritas,
Incogitantia excors.

vel, ut ait Cæcilius,

Amoris in manu eſt, quem eſſe amentem velit,
Quem ſapere, quem ſanari, quem in morbum injici.

Sed errat Cæcilius; nec enim in poteſtate Amoris eſt ut ſapientem aliquem ſuis delinimentis reddat. Nam quiſquis amatorem, ex Menandri ſententia, hortetur ad Sapientiam, is operam ludit. Amoris vim Archilochus verius depinxit.

Ingentem oculis infundens caliginem,
Quæ ſuffuratur ex pectore teneram mentem.

Quod ſi Amor rationem ſequatur ducem, tum à Sapiente alienus non eſt; cum ſit princeps ad benevolentiam conciliandam, qua ſublata, omnis eſt è vita ſublata jucunditas.

Eadem & de Fortuna dicenda, quam & bonam & malam conſtituerunt. Illam tamen

Inſanam eſſe & cæcam & brutam perhibent Philoſophi.

Quam nec boni nobis aliquid nec mali tribuere Stoici putant; ſed bonorum ac malorum materiam dare, cui dominetur animus Sapientis, omni fortuna fortior. Hoc noſter confirmat Plautus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Centum doctum hominum conſilia ſola hæc devicit Dea
Fortuna, atque hoc verum eſt, proinde ut quiſque fortuna utitur,
Ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes dicimus,

Ego vero Fortunam non ſolum ipſam cæcum eſſe, ſed eos etiam plerunque cæcos efficere, quos complectitur, merito mihi perſuadeo.

Plutonem ad Ariſtophanem reiicerem, ni Comicorum me facetiæ prohiberent: vel ad montes Hyperboreos relegarem, ſi perpetua ibi nox eſſet, nec ſemeſtri luce: vel Arimaſpi in fronte media uno oculo inſignes, aſſidue circa aurum cum gryphibus bellum gerentes, oculatos homines auxiliares ſibi advocarent. Nam quiſquis Plutonis adoret numen, illi cum gryphibus Scythiæ, noctes dieſque pugnandum eſt, quibuſcum monoculi luctantur ſoli cæco ſemper eventu & incerto. At qui binos in pectore oculos habent, perſpicaciores ſunt & acutiores, quam infeſtis his ſe belluis committant, quæ avaritiam principem habent, quam monſtrum nullum tetrius, præſertim Optimatibus viris, qui Reipub. gubernacula tenent. Habere enim quæſtui Rempub. non modo turpe eſt & flagitioſum, verum etiam

etiam ſceleratum, nefarium & perfidioſum. Si vero ex eo quantum cuique ſatis eſt, metiamur divitiarum modum, habemus abſtinentiæ & continentiæ plurimum, quo virtutem alamus, quæ bene partis divitiis ſublevatur. Nam qui alienis, vel publicis utilitatibus conſulit & ſua negligit, apud bonos & Sapientes ſtultitiæ ſuſpicione non caret, qui ita compoſitam temperantiam, ſtultam ſocordiam nominarunt.

Tribus his numinibus Iuſtitiam adjungere poſſem, quæ obducto velo ubique depingitur. Satius forte fuerit quærere, quare ipſi Iuſtitiæ velum obtenditur, & illius oculi faſciola obligantur. Prior ætas Iuſtitiæ vultum expreſſit, aſpectu vehementi atque oculis acrioribus, neque humilem, neque atrocem, ſed venerandæ cujuſdam triſtitiæ dignitate, ut Chryſippus refert. Quanquam illam apud Ægyptios ſine capite fuiſſe Alexander ſcribit, quod mirum nulli videri debet: quoſdam enim Plinius narrat ſine cervice, oculos in humeris habentes; quod nec mirum omnino eſt. Quid vero cauſæ fuerit, ut Iuſtitiæ oculis velum opponeretur? An quod illa cæcis temporum difficultatibus quandoque ſerviat, vel in magnis exemplis aliquid habere videatur ex iniquo, quod ſine quadam mentis cæcitate eſſe non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

poteſt? Vel quod acutiores illius oculi, ſuo fulgore hebetentur, cum ad ſummum jus illud reſpiciunt, ex quo ſumma ſæpe injuria naſcitur? Aut quia Iuſtitia conſtans & perpetua voluntas definitur? Quod probabilius puto: voluntas enim rationi ancillatur, atque ut cæca à ratione ſola ducitur, in iis quæ conſtanter prudenterque fieri ſolent. Et cæca voluntas ab intellectu lumen accipit & movetur. Ab hac Cæcitate Iuſtitia merito laudatur, ut hoc tritum vetuſtate proverbium, *Quicum in tenebris?* Quod in una re dictum latiſſime patet, ait Tullius, ut in omnibus factis re non teſte moveamur. Ad reliquos veterum Deos tranſeamus. Inter eos omnes unum, ſi Homero credimus, late videntem Iovem intuemur, ceteri quodammodo cæcutiunt, ut tres illæ principes Deæ, Iuno bovinis oculis, Minerva cæſiis, Venus caninis commendatæ. Merito quidem ſolum Iovem late videntem apud ſuperos, & ſolum Tireſiam cæcum apud inferos ſapere Homerus refert, licet deos Græci à videndo denominatos doceant, & Ægyptii per oculum Deum deſignent. Nobis vero dum inferiorem Tireſiæ Sapientiam contemplamur, dicet aliquis, quæ illius cum Cæcitate cognatio eſſe poteſt;

Viſu carentem magna pars veri latet.

ut apud

ut apud tragicum Tireſias idem fatebatur. Nam ad effigiem mentis factus oculus, illius præfert imaginem, & tanquam in ſpeculo naturam ejus, quæ alias videri non poteſt, optime refert: menſque per oculos, ea quæ oppoſita ſunt, tranſpicit, quaſi per feneſtras lucentes vitro, aut ſpeculari lapide obductas. Ecquis negaverit naturam oculos homini addidiſſe, niſi ut cernat, quæ cerni poſſunt? hæc Soli, qui aſtrorum obtinet principatum, quam ſimillimum oculum finxit, quem è mundo tollere videntur, qui oculos ex corpore tollunt. Nam viſus oculorum inter omnes ſenſus præſtantiſſimus, res pulcherrimas, Solem, Lunam, Cælum, Mundum intuetur, ex quibus magna rerum æternarum cognitio oritur: quæ enim non videntur, per ea quæ videri poſſunt, oculorum beneficio, à ſagaci mente conſpiciuntur. Vnde Anaxagoras homines non aliam fere ob cauſam natos putabat, quam ut viderent vel ipſum Solem, quem ferrum candens, & ignitum ſibi fingebat. Acutius forte Stoici oculis homines Diis appropinquare aſſerebant, quos inventionis ſenſus Ariſtoteles tradit, cum per eas ſint artes omnes excogitatæ, & inventæ. Prætereo conſulto quæ prudens artifex natura in oculi conſtructione patefecit, ut ceteris ſenſibus imperaret:

raret : ſed in eo ſubſiſto , quod magna ſit oculorum & intellectus concordia. Nihil enim ex Philoſophorum doctrina in intellectu eſt, quod prius non fuerit in ſenſu; & quidquid animo cernimus, id omne oriri à ſenſibus, fatentur omnes. Proinde ſi ſenſus aliquis deſit, neceſſe eſt aliquam ſcientiam deeſſe, quæ plurima ab oculis in mentem transfunditur. Cui cæco quod cupis, oſtendes, ſi millies proferas; & cui videnti demonſtres, quod oculis non ſubjicias? Num natura nobis fruſtra oculos homini dediſſe videtur, quæ nihil fruſtra facere dicitur? præterea nonne oculi pudoris & amoris ſedes, virtutum & vitiorum indices produntur? Illi certe moderationis, clementiæ, amoris, miſericordiæ, odii, triſtitiæ, doloris, lætitiæ certiſſimi nuntii ſunt, in quibus mens noſtra inhabitat, tanquam in arce corporis firmiore. His negamus, his annuimus; quidquid in corde aut mente naſcitur, hac ſubit, hinc pendet : hi truces, torvi, flagrantes, graves, tranſverſi, limi, ſubmiſſi, alacres, obtuſi, conniventes, concreti, caligantes, omnes animi detegunt motus; ut ex illis totius quoque corporis diſpoſitio cognoſcitur. Cajus Caligula homo nihil humanum ſapiens, Agrippæ Regi ob Iudæorum tumultum offenſior, cum vidiſſet illum ignitis, & flagranti-

grantibus iracundia oculis ſuis perterritum; Dubitas, inquit monſtrum illud hominis, cum tam diu mecum verſatus ſis, me oculis non minus quam voce loqui? In audacia illi proſiliunt & percurrunt: in reverentia immobiles manent & quieti. Hi inſtabiles ac perniciter moti, inordinateque projecti, inſaniam arguunt, quam etiam ferocientes & truculenti. Novi ego hominem, inter eos qui ipſi inſaniunt, inſaniſſimum, cujus inſtabiles & volubiles oculi huc illuc non ſecus ac index ventorum pinnula perpetuo circunferuntur, quem nullus aſpexerit, quin inſanientem, & mente perditum exemplo judicarit:

Non omittam quod tradunt medici, ex oculis magnam vitæ mortiſque ſignificationem colligi. Nam cum internis incendiis excaleſcunt & ignis plurimum habent, acutiorem & periculoſiorem morbum demonſtrant: atque ut breviter dicam, omnia fere medicorum prognoſtica, quibus ægrotantium vita vel mors prædicitur, in oculis ut in ſpeculo videntur. Quare in Tireſiæ Cæcitatem non abſurde Iuvenalis ſcripſiſſe vulgo creditur,

Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam
eſſe deorum,

Sed hæc quæ de oculorum nobilitate & natura dicuntur, multum ea quidem, quam in Tireſia laudamus, illuſtrant Cæcitatem. Nam ut res corporeas & tractari & videri natura voluit; ſic rerum incorporearum æſtimationem ex ſolo virtutis ſplendore dignoſci Sapientia conſtituit, quam oculorum in nobis ſenſus acerrimus cernere non poteſt. Nemo tamen tam ſine oculis, tam ſine mente vivit, qui oculorum præſtantiam non miretur & laudet: ſed nemo Sapiens illorum neceſſitatem appellabit, quaſi à natura, ad ſummi boni cognitionem fluxiſſe dicatur. Nam ſi oculorum commoda cum illorum incommodis conferamus, omnium cupiditatum, quæ in nos cæco impetu incurrunt, ardorem excitare oculos videmus. Oculi enim irritamenta ſunt vitiorum duceſque ſcelerum, quæ rationem evertunt totam. In his amores cæci dominantur, qui omnem vitiorum turpitudinem trahunt, quam in laſciviente virgine Argus cuſtos adhibitus cum oculis centum nec perſpicere potuit, nec prohibere. In quorundam oculis venena ineſſe Plinius ſcribit & faſcinationes, ut in Tribuli, & Illyriis, qui viſu interimunt, quos iratis oculis intuentur.

Nihil ergo ad beatam vitam, quam Sapientia quærit, perſpicacitas prodeſt ocu-

lorum,

lorum, cum lyncei homines ſapientiæ luce deſtituti, ubique labantur, & in magnas plerumque calamitates incidant. Sæpius vero beatiores ſunt qui ſenſibus carent oculorum. Quod in Sapientibus & eruditis hominibus vidit Tullius, quibus vivere eſt cogitare. Nam Sapientis cogitatio, inquit, non ferme ad inveſtigandum oculos adhibet advocatos. Etenim ſi nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti ſimilis adimeret? Appium quidem veterem illum, qui cæcus annos multos fuit, & ex magiſtratibus & ex rebus geſtis intelligimus in illo ſuo caſu, nec privato nec publico muneri defuiſſe. Hic etenim plus vidit cæcus in pace Pyrrhi dirimenda, quam Senatus univerſus, qui quid inter pacem & ſervitutem intereſſet, non ſatis videbat. Nam pacis illa pactio, lex erat ſervitutis. Quare cum Senatus ſententia inclinaret ad pacem & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa quæ verſibus proſecutus eſt Ennius, *Quo vobis mentes*? Sed non omnes cæci qui multi ſunt, Appii illius mentem gerunt: ut nec omnes Cineæ incredibilem vim dicendi & varietatem ſunt aſſecuti, qui eloquentia ſua Romanorum Sapientiam obcæcavit. Cum Auguſtoriti Pictonum ante annos triginta juri operam daremus, vidimus Ioannem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Bocellum & ipſum cæcum, qui legum & conſuetudinis patriæ, qua municipes utuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum ita peritus eſſet, ut ſuo jure dicere potuerit, quod apud Ennium dicebat ille Pythius Apollo. Se eum eſſe, unde ſibi, etſi non populi & Reges, at omnes ſui cives conſilium expeterent. Hunc Scævola Sammarthanus, cui antecellere omnibus ingenii gloria contigit, ſuis verſibus celebravit. Sic Caii Druſi domum compleri conſultoribus ſolitam legimus, cum quorum res eſſet, ſua ipſi non videbant, cæcum adhibebant ducem.

Putant Sapientiæ ſtudioſi nos ab illa peregrinari, quandiu in hac communi luce verſamur. Nam verum à falſo ſeparare vix ullus mortalis poteſt, cum falſi ſpecies oculis humanis ſubjecta facile veri induat imaginem, & prudentiores fallat. Nam divitiarum copia, honorum contentiones, hilaritas ſenſuum pro virtutibus coluntur ab iis qui in voluptatis regno felicitatem ponunt. Sic ſunt plurimi, qui φιλότιμοι, φιλοσώματοι, φιλοχρήματοι, fortunæ bona veris virtutibus anteponunt, ait Socrates, quæ improbi plerique habent, & abſunt probis; quibus etiam venalitiarii & mercatores Africanos & Lælios ſuperarunt. At vera virtus in animi bonis felicitatem col-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

locat, quæ tum ſumma eſt cum in veri contemplatione detinetur; quod Sapientiæ præmium eſt maximum.

Prima quidem illa felicitas quæ vulgo putatur, quidquid condimenti in hac vita habet, omne lumen animi extinguit. altera vero eos ad ſe allicit qui ad verum decus, mentis oculis alte ſpectant, omni corporis adſpectu ſemoto, qui Sapientiæ lucem ferre non poteſt. Alte ergo ſpectare quiſquis velit, ſedemque felicitatis & æternam domum ſine oculis contueri; non in fortunæ bonis ſpem ponet rerum ſuarum, ſed in ipſa virtute: cui ſi lux à Iove data acceſſerit, ut ait Pindarus, ſplendidum erit lumen hominis & ſuavis vita. Hac forte ratione Prophetæ in ſacris literis Videntes appellantur, ex quibus unus ſapienter: *Diſce*, inquit, *ubi ſit prudentia, ubi intellectus; diſce ubi lumen oculorum & pax*. Pacis nomine tranquillitatem animi omniumque perturbationum ſedationem intelligit; qualem cum magnus ille Antonius adeptus eſſet, non erat illi grave noctes inſomnes ducere, cum tam brevia noctis ipſius ſpatia viderentur, ex divinæ ſpeculationis dulcedine, ut Sole exoriente quereretur; Quid me, inquit, impedis, Sol, qui ad hoc oriris, ut me ab hac veri luminis abſtrahas claritate? Hæc Sapientia, quam

artem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

artem vivendi ponunt plurimi, ab iis non expeteretur ſi nihil efficeret: ſed expetitur quod eſt artifex comparandæ & conquirendæ animi tranquillitatis, omneſque docet vias quæ ad quietem certiſſimam ducunt, ſine ullis errorum anfractibus aut flexu vitiorum.

Hæc quidem ab humana Sapientia remotiora ſunt, multoſque vetera magis exempla delectant quæ poſſint homines intelligere, aut imitari: quare in iis iterum paucis immoremur. Democritus luminibus amiſſis alba & nigra diſcernere non poterat: at vero bona & mala, æqua, iniqua, honeſta, turpia poterat, & ſine varietate oculorum licebat vivere beate, ſine Sapientia non licebat. Atque hic vir impediri animi aciem adſpectu oculorum arbitrabatur. Cn. Aufidius ſcribebat hiſtoriam cæcus, & in literis cæcus videbat. Q. Aſconius Pedianus ſcriptor alter hiſtoricus, tertio & ſeptuageſimo ætatis anno luminibus captus, duodecim annis poſtea in ſummo hominum honore conſenuit.

Quid memorem Achillem Harleum Senatus Pariſienſis Præſidem Maxium, ad cujus ſenectutem acceſſit ut cæcus eſſet, intentum ille animum tanquam arcum ſemper habuit, ne langueſcens ſuccumberet ſenectuti. Rexit domum ampliſſimam

ſenex

ſenex & cæcus, tenuitque authoritatem privatus, & in omnes fori patronos imperium, qui illum ad extremum uſque ſpiritum, ut parentem optimum coluerunt. Cum vero ſumma prudentia & maximo rerum uſu ad effectricem beatæ vitæ Sapientiam perveniſſet, excellens hæc & perfecta tum maxime in ultimo tempore ætatis enituit, quod in exercitatione pietatis & divinorum librorum lectione conſumebat. Achillem hunc vere ἄριστον Ἀχαιῶν dixerim, cujus pectus, ut de Homerico dicitur, nectare & ambroſia Minerva imbuerat, quo ſuo Tireſiæ poſſet anteferri. Vixiſſe illum cum hæc ederentur, mihi renuntiatum eſt, quem in caſtris atque in acie forenſi Imperatorem, & laborum meorum fautorem habui: & ſi quod majorem vigiliarum munus in illius nomine apparuiſſet, quam æquum ſtudiorum æſtimatorem & judicem expertus eſſem. Sed nec mortuus vir ille eſt, cujus laus emori non poteſt, & cujus vita ſuo tempore occidens tot tantiſque virtutibus claruit, ut ex bonorum omnium memoria nulla ſeculorum injuria deleri poſſit. Conſtituo interim ego honorarium illi cum hac inſcriptione monumentum. ACHILLES. GALLICUS. IMMOBILIS. PIETATIS. ERGA. PRINCIPEM. Et quidem optimo jure, quod nulla adulatione

tione, nullis blanditiis, nulla aſſentatione Principum uſquam gratiam ſit aucupatus. Huic vivo cum gratiam referre non potuerim; eos mortuo honores aliquando quæram, ſi poſſim, qui grati animi teſtationem poſteritati commendent

Taceo Timoleontem Corinthium, qui cæcus in magna luce apud Syracuſanos claruit. Taceo Demetrium, qui ſe obcæcavit ut naturæ ſecreta ſubtilius rimaretur: Metrodorum qui oculos effodit ſibi, ne per viſum à contemplatione Philoſophiæ avocaretur. Sed non fero Gallum Terenium Senatorem, quem captum repente oculis, cum ea de cauſa inedia mori deſtinaſſet, Auguſtus præſens conſolando revocavit ad vitam. Nec enim vir prudens ejus rei dolere damnum debuit, quam formicæ & muſcæ & culices habent. Ingratus eſſem ſi inter tot virorum illuſtrium exempla Ioannem Paſſeratium popularem meum ſilentio præterirem. Hic cum altero oculo captus eſſet, alterum ex multa lectione perdidit ſenex: at ſuam ipſe cæcitatem conſolatus, de illius commodis eam publice orationem habuit, quæ inter editas viri eloquentis præfationes ultimo loco poſita, digna certe eſt & ſua commendatione & genere dicendi perpolito, quæ primum teneat locum. Hoc vero, inter cetera, commodum

modum præcipuum cæcitatis enumerat, quod ab illa didicerit vim veræ ſolidæque virtutis experiri, & adverſus omnes fortunę minas invictum animum præſtare. Ecquis non crediderit cęco hęc de cæcitatis commodis tam vere tamque eleganter dicenti?

Cæcitatem autem in Sapiente commendamus, quæ multis optanda ut viam ſibi pararent ad Sapientiam, quæ nihil per oculos agit. Etenim ſi per oculos mens videret, ut ait Lucretius, erutis illis & effoſſis magis videret: quoniam evulſæ cum poſtibus fores plus inſerunt luminis, quam ſi fuerint obductæ. Recte id quidem; etenim oculorum acies Sapientiam non videt, ſed mentem plerunque avertit, & de ſede dejicit, ac per inanem videndi cupiditatem ad inutile ſtudium pertrahit. Nam ut oculorum alter ſi claudatur, in alterum ejus vim influere compertum omnibus eſt: ſic orbam utriuſque aciem ad animum permeare Sapientes putant; ut lucem veram cæcos illuminare Hieronymus interpretatur, cæcos fieri Sapientes. Sic enim Davidis verba Septuaginta reddiderunt, Κύριος σοφεῖ τυφλοὺς, eaque Sapientia cæcos illuſtrat, quæ omnem mentis caliginem diſcutit. Vere ergo Socrates ad Alcibiadem in celebri illo convivio dicebat: tunc mentis oculum acute cer-

nere,

nere, cum primum corporis oculus vim ſuam amiſiſſet.

Et ne à Tireſiæ cæcitate longius aberremus, priuſquam illius cauſam perquiramus, aduertendum eſt, oculos nimia luce & candore illuſtriori obtundi ſæpe, ut de Xenophontis militibus memoratur, qui cum per multam nivem iter feciſſent, candore vehementiori oculis capti ſunt. Dionyſius Siciliæ tyrannus domum ſupra carcerem ædificandam curavit ſplendidiſſima calce illitam: & qui diutiſſime obſcuro carcere incluſi in tenebris jacuerant vinctos illos ſurſum educebat, qui ex multa caligine in clariſſimam lucem egreſſi, illamque cupide intuentes, cum occurſum lucis repentinum ferre non poſſent, illico obcæcabantur. Solem adverſum intueri nemo poteſt, ejus enim radiis acies noſtra ſenſuſque vincitur: & multi in ſolis defectione, cum eum clarius noſſe cuperent fixis oculis Solem perſpicientes, oculorum defectum experti ſunt ſempiternum. Nec enim ſplendidis facile reſiſtit oculus ſine lachrymarum profuſione, nec Solem adſpicit qui obſcuratis luminibus cum exoritur, ſolus apparet, ceteriſque omnibus adfert aut adimit lucem.

Cum ergo Sapiens nulla luce alia indigeat ut lucem veram contempletur, quam

quæ

quæ ex illius radiis effunditur; oportet eum qui Sapientiam cupit intueri, nihil penitus corporeæ ullius pulchritudinis ultra ſpectare, quæ omnis umbra eſt & ſimulachrum, quo aſpectus noſter deluditur. Quod qui pertinacius perſequuntur, idem certe illis accidit quod imprudenti cani eveniſſe tradunt fabulæ, qui in aqua, ut vidit cibum quem perferebat, dum eripere conatur quod ipſe dentibus tenebat, aviditate deceptus, perdidit quod habebat. Eodem fere modo ſunt ii qui rerum corporearum imagines oculis venantur: cæci enim inter umbras vagantur, & conſiliis omnibus præcipites & devii ad pœnam exitiumque feſtinant. Qui vero majorum rerum contemplatione ad Studium ſapientiæ ducuntur, clauſis illi corporis oculis ea deſpiciunt omnia quibus vulgares & lippientes animi detinentur.

Nunc Tireſiæ cæcitatis cauſam reddere facile quivis poteſt, quam ſalaciores Poëtæ eam afferunt, quæ nec probabilis nec honeſta eſt ſatis, cum illum Homerus inculpatæ vitæ virum laudaverit. Hoc enim μάντης ἀμύμων apud eum denotat, quem Pindarus, Plato, Callimachus, Pherecydes ſecuti ſunt, qui Thireſiam ſuis ſcriptis celebrarunt. Hi unam illius afferunt cæcitatis cauſam, quod Minervam

nudam

nudam ipſe vidiſſet, cum per æſtum levaretur, qui hanc ob rem privatus eſt oculis: ſed lachrimis matris à Minerva datum ut Sapiens inter mortuos Plutoni ipſi venerandus incederet.

Scripſit Plato ad Dionyſium, prudentiam & ſummam authoritatem, naturæ vi quadam & quaſi lege, mutuum ſibi auxilium præſtare, ſeſe aſſidue invicem comitari atque una verſari. Sic carminibus Poëtarum & privatis colloquiis, ſi de Pericle ſermo inciderit, una ſolent Anaxagoram commendare? Creontem & Tireſiam, quaſi par unum componere; Agamemnonem & Neſtorem. Cum ergo Tireſias Creonti regi aſſideret, Sapientem illum fuiſſe nemo dubitabit. Atque hic Thebarum incendia reſtinguere potuiſſet, niſi, ut traditum eſt Græcorum monumentis, hauſta de fonte aqua, cum urbe capta ad Delphicum Apollinem cum reliqua præda traheretur, in via egiſſet animam. Hunc quidem cum Minerva obcæcaſſet pergentem ad Apollinem, alii produnt popularem Proſerpinam rapuiſſe, ut ei mentem mortuo tribueret, quem vivum & cæcum ſuis omnibus ornamentis Minerva decorarat. Quiſquis autem nudam Miuervam conſpexerit, cæcutiat omnino neceſſe eſt. Nam ita ardentes amores excitat ſui, cum videtur, ut

nihil

nihil præterea videre oculis, nihil perluſtrare ullus poſſit: ſed fixus & immotus ſola mente cernat Sapientiam, quæ terrenis cupiditatibus detractis, omnium falſarum imaginum umbra diſcuſſa certiſſimum ſe nobis ducem præbet ad vitam beatam.

Hoc vero Minervæ ſolius proprium eſt: nam qui Venerem aut qui Dianam nudam viderit, non ſapientior quidem ille, ſed plerunq; miſerior evadet. Teſtis eſt Actæon, quem in ceruum mutatum, & à ſuis canibus diſcerptum ferunt. At Venerem quiſquis cupit, nudam videt, nec tamen ſine periculo, quaſi obcæcet neminem, ut Plato poëta falſo putauit. Nec enim ulla cæcitas certior & periculoſior quam quæ à Venere offunditur. Lubet quærere cur cæcum Tireſiam Minerva Sapientem fecerit, ut cæcas res ille, quas non cogitando vix complecti poſſumus, divina quadam mente intueretur: & cantori Demodoco, quem Muſa ſupra modum dilexit & oculis privavit, cantiunculæ delicatiores datæ, quibus contentiones Vlyſſis & Achillis in Alcioni convivio circunſonaret. Verecunde, ut opinor, Homerus contra Poëtarum morem, qui & magnifice de ſe ſentire, & loqui ſolent, Demodoci perſonam indutus, ſe Muſis chariſſimum aſſeruerit, quem Sapientes omnes & laudant

& æmu-

& æmulantur. Hinc cæcum fuiſſe nemo neſcit: at ejus picturam, inquit Tullius, non poëſim videmus. Quæ enim regio, quæ ora, qui locus eſt Græciæ, quæ ſpecies formaque pugnæ, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus eſt, ut quæ ita non viderit, uos ut videremus effecerit? Quid ergo Homero ad delectationem ac voluptatem, at cuiquam docto defuiſſe unquam arbitramur? Hæc Tullius, quæ mihi leviora ſunt, ſi reconditæ Homeri ſapientiæ conferantur, ad quam artem omnem ſuam direxit: quem merito ducem Sapientem Socrates agnoſcit, adverſus quem pugnare audeat nemo, quin ridiculus ſtatim habeatur. Ad idem Socrates expiationem veterem neſciſſe Homerum inſimulare videtur, quam Steſichorus non ignoravit. Hic oculis, inquit, captus ob Helenæ vituperationem, cum cæcitatis cauſam reſciviſſet, edito poſtea poëmate, cum ea quæ ſcripſerat, ſcripta nollet, carmenque retexeret, viſum recepit. Sed Steſichori cæcitas pœna illi ſtultitiæ fuit, qualis & Thamyridis, qui cum Muſas ſuo ſe cantu ſuperaturum gloriaretut, oculos perdidit, & tantæ in Muſas petulantiæ pœnas graviores apud inferos luit, ut Phocaënſis Prodicus notat. Cæcitas enim plerun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

runque ad pœnam à Diis data eſt, quando-
que ad Sapientiam. Ad pœnam quidem iis qui impuris oculis Deos ipſos auſi ſunt intueri. Nam legibus Saturniis cautum eſt, ut qui Deum vel invitum vidiſſet, inueniret infortunium. Quod maximum in perduelles Gallos olim ſancitum, hiſtoria probat; quiſquis enim rebellaſſet, cæcitate plectebatur, in quam volens inciderat. Quod pœnæ genus in omni terrarum orbe, atque in Græcia præcipue conſtitutum, durius in Gallia irrogabatur.

Homeri vero & Tireſiæ cæcitas honorem illis Deorum contulit. Nam & Tireſias, ut ait Pindarus, Iovis ſummi propheta eximius, recta veraque vaticinantur: & Homerus deorum omnium vim ac poteſtatem ſuis verſibus complexus, eorum primus providentiam demonſtravit, & rerum humanarum curam. Hos omnia videre, jus atque pia hominum opera adamare nos docuit, eorumque nutu ac poteſtate imperia gubernari, nihilque recte agi, niſi juvante Deo & favente. Quæ ratio Poëtam prudentiſſimum impulit, ut Heroum principibus, Vlyſſi, Agamemnoni, Achilli certos deos diſcriminum & periculorum comites adjungeret, & ea toto opere narraret, quæ ad Deorum dignitatem pertinerent. Cæci hercle mihi videntur ii qui Ho-

me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

merum temere de Diis fabulatum comminiſcuntur. Quod Heraclides Ponticus pluribus verbis comprobavit,& ex Demodoci cantiunculis colligitur. Nam cum in Alcinoi convivio Vlyſſes & Achillis contentiones vehementiores decantaret, quibus Agamemnon rex maxime delectabatur; quid aliud quam præcepta occultiora tradere voluit rerum recte gerendarum? Nam ut in fidibus plurimis,ſi intentæ ſunt pariter aut remiſſæ, nullum concentum ſervare poſſunt, qui ex ſonorum varietate concors efficitur: ſic contentionibus diſſenſionibuſque prudentiſſimorum hominum magna imperia floruerunt,& Principum fama gloriaque longius eſt propagata. Talis fuit Vlyſſis cum Achille concertatio. Nam cum in Trojæ obſidione, vi rem gerendam Achilles contenderet, Vlyſſes vero prudentia & dolo certandum; ii ratione diſſimili communi utilitati conſulebant: unde Agamennonis animus placide & conſtanter motus gaudio efferebatur. Quid in rerum adminiſtratione optabilius & utilius, quam concors illa diſcordia? quid turpius quam altercationes iracundæ, concertationes pertinaces, maledicta, contumeliæ? quæ prudentes viros minime decent. Sapienter Homerus inter clarorum virorum laudes ſub cæci perſona

has

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

has contentiones decantavit, quibus Græcorum gloria amplificata eſt & confirmata. Sapienter etiam Agamemnonis & Achillis iras inter has epulas præteriit, Therſitæ & Vlyſſis convitia tacuit; quæ nihil apud exteros commendationis merebantur. Quanquam prudens Vlyſſis fuerit factum, cum Therſite in Agamemnonem contumelias vindicavit: ut ſtultum videtur Philoctetis apud Sophoclem commentum, qui Vlyſſis odio, lingua potentem & ſapientem Therſitem prædicat, hominem ridiculum, cujus loquacitas nihil habuit argutiarum, quo illius inſania ablevaretur. Ita ſunt homines in omni ævo, ut nihil tam abſurdum ſit aut turpe, quod patronos ſuos non habeat.

Pergamus porro ad eam Demodoci cantilenæ partem, qua eodem in convivio Martis & Veneris amores imprudenter ceciniſſe arguitur, cum nihil prudentius ab eo deſiderari potuerit. Nam cum Phæacum vitam voluptatibus deditam, quam comparationibus & ludis tranſigebant, Alcionus enarraſſet, in Martis & Veneris adulteria cæcus ille cantor impegit, quibus diuturna imperia dilabi declararet. Nam ut prudentium illa conſiliis & contentionibus ſtabiliuntur & augentur: ſic cæcis & inſanis libidinibus evertuntur &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

labefactata concidunt. Atque hæc quidem de Homeri Cæcitate & Sapientia breviter attigiſſe ſufficiat, ut ad Tireſiam revertamur, qui nihil ipſi Homero niſi ſapientia eſt, ceteri ſomnium. Pauca ergo de illis quoque Sapientia primoribus labris deguſtemus.

F I N I S.

FRAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

FRANCISCI SCRIBANII VERONENSIS

MVSCÆ PRINCIPATVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

FRANCISCI SCRIBANII

MUSCÆ

Ex continua Comparatione cum Principe

ENCOMIVM.

An quiſquam conferre neget cum Principe muſcam?
Eminet in minimis Maximus ipſe Deus.

SI quiſquam eſt, qui me infra Principum ſentire dignitatem clamitet: dum muſcam conferri poſſe cum iis ſtatuo: illum ego & craſſiſſimi erroris arguo; & impudentiæ non ferendæ convinco. Nam & abjectiſſimum quid, & ſordidiſſimum ſi foret muſca: quis tam in omni Philoſophia eſt peregrinus, qui ignoret: nulli mortalium quidquam pudendi adfricare eam rem; cui certo quodam reſpectu, & in tertio, ut loquuntur, aſſimilatur? Similia enim non eſſe idem, conſtans eſt omnium opinio: neque ea in omnibus convenire; neque rapi debere extra ſcopum, propter quem adhibentur: ſed ea demum λέγεσθαι ὅμοια, ὧν ἡ ποιότης μία: nullumque eſſe ſimile, quin diſſimile idem videatur. Ab his do-

ctrinæ præceptis, qui ſeceſſionem facere auſit; quo tandem in numero habebit Chriſtum, principum Principem, Dominum dominantium? quippe ligno is, lapidi, furi quoque ſe comparavit ipſe? Faceſſant ergo, qui extimum putamen volunt mordere ſemper; nucleum attingere non auſint: ac deſinant flagellare eos, qui ſeria jocoſis, humilia grandibus temperare, liberaliſſimo cuique, & ingenuo homini, fas eſſe putant. Non equidem mihi operam luſiſſe videntur; aut à vero quidquam ſtatuiſſe alienum: qui Principem cum Sole nobiliſſimo Planetarum, totiuſque adeo cœleſtis mundi, comparare ſolent. Sicut enim iſte, reliquorum luminum dux & moderator, curſu recurſuque ſuo

——— *tempora dividit anni;*
Mutat nocte diem; radiiſque potentibus aſtra
Ire vetat: curſuque vagos ſtatione moratur:

ita princeps & dignitate præſtat omnibus, & potentia eſt ea: ut omnes Reipubl. diſpenſare operas, urgere, impedire, pro neceſſitate utilitateque poſſit: Quod ſi vero muſca & ipſi ſoli antecellat: ecquis erit tam iniquus rerum æſtimator, qui non illi potius conferendum Principem eſſe, & dicat & ſentiat? Equidem non infiteor; admirabilem eſſe Solis ſplendorem, magnitudinem plane ſtupendam, & quam

Mens

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
quo non tantum Peleponneſo eſt major, ut Anaxagoras ſtatuit; aut æqualis terræ globo, ut Anaximandro placet; aut ſepties vices terram ſuperat, quod Eratoſthenes notat: ſed Ptolemæo teſte, quanquam Copernico invito, terreſtrem hanc machinam centies ſexagies ſepties antecellit. Viciſſim tamen & hoc ſibi dari poſtulat recta ratio: in minimis item rebus elucere ſummam opificis ſapientiam: & vermiculos minutiſſimos Nomen Numenque Creatoris ſui præ ſe ferre. Niſi forte Myrmecides laude eſt ſpoliandus; quod ex ebore navigium finxit, ea potius exilitate, quod pennis apicula abſconderet: non grandiorem navem, quæ avaritiæ hominum, per mare ſervire poſſet. Aut majoris erit æſtimii ruſticus frondator: qui tibi corbem ex vimine, cochlearibus farciat bene grandibus quam qui ceraſi calculum, in modum quas illi exſculpſit: quo continebantur quindecim alearum paria; ſuis punctis tam affabre diſtincta: ut oculorum acie, non dubia, aut tenebroſa, numerari potuerint clare atque diſtingui. Ecquid de Sole & muſca eſt diſſimile? audiendus eſt patrum ſanctiſſimus, idemque doctiſſimus; cujus ego ſingula verba, ſin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

gula hoc loco oracula puto: *Si quis à me quærat, num etiam Muſcæ animam huic ſolis luci præſtare cenſerem; reſponderem, etiam. Nec me terret Muſca, quod parva eſt; ſed quod viva firmaret. Quæritur enim, quid illa membra tam exigua vegetet: quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpuſculum ducat; quid currentes pedes in numerum moveat; quid volantis pennulas moderetur & vibret. Quod qualecunque eſt, bene conſiderantibus in tam parvo, tam magnum eminet: ut cujuis fulgori, perſtringenti oculos, præferatur.* Hæc Auguſtinus: illiuſque patrocinio, quidni Muſcæ comparandum principem eſſe cenſeam? Nimirum in hoc inſecto admirandæ ſunt operationes; quarum ut ſentis motum, ita modum neſcis: niſi quod ab altiori mente proveniſſe ſtatuas. Sic divinitus quædam amplitudo impreſſa eſt Principibus: qua adducti homines, tacita quadam & ineffabili veneratione principem ſuum, tanquam aliquem ex deorum ſocietate, proſequuntur. Hæc eſt autoritas atque majeſtas generata

Donec honos placidoque decens reverentia vultu
Corpora legitimis impoſuere thoris.

hujus vero majeſtatis ratio, & qui tanquam philtro homines abripiat; tam difficulter expli-

explicari poteſt; quam introſpici δύναμις illa κινητική: qua Muſca tot motuum gyros rotare, tot ſpecies effingere poteſt. Quid ſeruulum, natione ſive Germanum, ſive Cimbrum terruit, quo minus, quem ſtrinxerat gladium, in viſcera C. Mar. conderet: cum Minturnenſium carcere detineretur? Quid eſt, quod percuſſor Acheruntïcus, Falcolandiæ apud Scotos, cum Iacobi Regis haurire pugione ſanguinem juberetur, ad conſpectum illius, præpedita voce omnibus contremiſceret; ferrum ne contrectaret quidem? Nimirum & apud Romanos ille, & hic apud Scotos, occulta quadam majeſtate principis percuſſus fuit: & forma auguſtiori; quam vel corporis oculi; vel mentis contemplari ſatis queant. Tranſeamus ab hac muſcæ ἐνδελεχείᾳ ad alia, numero, non pauca, pondere graviſſima: quæ & ſuam aſſerent dignitatem muſcæ; & parem illius cum Principe conditionem oſtendent. Vapulant quidem Muſcæ convitio peſſimo: indociles eſſe ipſas atque intractabiles: nec ad ullum humanæ ſocietatis commodum, aut oblectamentum traduci poſſe.

Hoc vero eſt naturam ignorare, & ipſiſſimo Soli obloqui. Nonne in Principe ſingulare eſt prudentiæ, & paternæ dignitatis opus: de regia ſua, de civium & honeſtis,

& ſalubribus, & ad commercia utilibus ſollicitum eſſe domiciliis? Ejuſdem eſt indolis Muſca: quæ non modo ab Ariſtotele refertur inter οἰκουρικὰ: ſed & Scytharum more, ubi â nocte deprehenſa fuerit illic ſibi ſuiſque καὶ ἑστίαν, καὶ εὐνὴν ποιεῖται. Quid quod in Hiſpaniola inſula, in urbe præſertim D. Dominico, terram pedibus effodiunt Muſicæ: & ſubterraneos poſtquam fodicarunt nidos, cicadas venantur, aliaque animalcula: quæ numeroſe pro futuro, dum lateant, alimento congerunt. Eſtne huic muſcarum ſolertiæ, atque prudentiæ quam ſimilima illa princeps? qui per ſuam hinc inde ditionem, Ioſephi apud Ægyptios exemplo, horrea conſtituit: in quibus tantum recondi poſſit frumenti, quantum cujuſque diſtrictus ſubditis, ad conſolandum neceſſitatem ſufficere judicabitur. Refertur in ſacris, inter pœnas calamitateſque publicas, commerciorum privatio; quam fatalis ſubditorum egeſtas ſequitur: quo nomine principes exportandarum mercium & importandarum non modo commoditatem permittunt ſingularem; ſed ipſa etiam loca communiunt libertatibus atque privilegiis. Quam providæ vero ſunt in Moluccis muſcæ, quam in Sumatra induſtriæ dicam, an ingenioſæ (utrumque enim verum eſt)

cum

cum illic mel in exeſis arborum cavis; hic laccæ ingentem copiam ſuper arborum maximarum ramis congerant. Quid eo moliuntur? nimirum, ut hac ipſa mercimonia, non ſuæ tantum, ſed hominum quoque Reipubl. conſulant. Neque illud eſt minimum ſapientis principis; ita invigilare rebus ſuis, capiti, fortuniſque omnium: ut hoſtium fraudes eludat & inſidias. Id muſcam præſtare, in proclivi eſt admodum. Cum enim ab araneo ſibi, non tam reticulis parari inſidias noverit, quam aſtu: illa τὸν ἐπίβολον, καὶ πολέμιον αὐτῇ τὸν ἀράχνην διαδιδράσκῃ. Quod ſi Pompejus in campis feciſſet Phraſalicis; maluiſſetque fuga ſibi conſulere maturius; quam Cæſaris extremum ſuſtinere impetum: non, credo, poſtea in calamitoſa fuga ab Achilla ſervulo occiſus fuiſſet. Et conjicio equidem; ideo muſcis eſſe & κεφαλὴν εὐπεριάγωγον, καὶ συμπεφυκεῖαν τῷ αὐχένι: ut in omnem partem eſſent circumſpectæ; ordinarent præſentia, futura prævidérent, præterita recordarentur. Proſpicit eodem modo Princeps prudens, ut Proteus,

Quæ ſint quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur:

aut Calchantem Homerum imitantur:

Ὅς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Quod præterea magis neceſſarium Prin-

cipi, aut Reipub. ſalubrius? quam hoſtiles machinas atque illatam injuriam à corpore civium, à capite, à vita propulſare? Quid juſtitiæ conformius eſt? quam jura violantem omnia, divina, humana, terra ſua adire, vim vi repellere? Facit id quidem forti erectoque animo muſca: quæ non ſine fatali quodam inſtinctu, inimiciſſima ſibi animalia, quanquam robuſtiſſima, morſu invadit ſuo: quid dico invadit? perforat plane, non boum ſolummodo, aut equorum; ſed immaniſſimorum etiam elephantum coria. Quæ cauſa fuit; quod apud Poetarum ſapientiſſimum, Menelao Heroi fortiſſimo, ipſa Minerva; non aquilæ, non leonis, ſed

--- μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἔθηκεν.

Hectorem vero & Ænean, cæteroſque Græcos & Trojanos (at quantos & quam fortes viros!) nonne idem ſapientiæ magiſter appellat

Ηὔτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά.

Nihil eſt ergo, feritatis muſcam inſimulari aut importunitatis: quod abacta, cedere nolit: aut repulſa ſemel, pungat ſæpius. Non alio ſunt animo militiæ Duces: qui uno, aut altero, pluribuſve adverſis præliis minime deſpondent animum: ſed vires reparant, & quaſi ex intervallo refocillantes militem, majore alacrite, addo

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

etiam felicitate, conficiunt hoſtem atque trucidant. Romani, etſi ad Thraſymenum, ad Cannas fuſi, fugati, cæſi fuiſſent: magno tamen & invicto animo clades tantas tulerunt: & fortiores victi, quam cum integras vires habebant, exſtitere Neque ea eſt impudentia dicenda, aut importunitas muſcæ: quod intrepide ad hominem advolet; pulſaque non obediat, ſed tanquam obliviosſa ad priſtinum locum revertatur. Non eſt hæc impudentia, ac ne ruſticitas quidem: ſed φιλανθρωπία, ſed humanitas, ſed facilitas: gaudet quippe, & pauperum & divitum, σύντροφος, καὶ ὁμοδίαιτος, καὶ ὁμοτράπεζος.

An ulla ex re majorem capere laudem Princeps poteſt? quam ſi obvius pateat civibus, eorum delectetur commercio; ſine ulla in audiendo difficultate, ſine mora in reſpondendo: nullius inopiam ac ſollicitudinem, non modo tribunali, ſed ne cubiculo excludat ſuo.

Equidem nulla ætas de Tito conticeſcet, amore illo atque delitio humani generis: qui, ne popularitatis aliquid prætermitteret, nonnunquam in thermis ſuis admiſſa plebe laviſſe dicitur. Quid vero, & quanti momenti illud? quod nobiliſſimum animalculum tenebras odit: nec in iis quidquam agit moliturve; ſed

τῷ φωτὶ χαίρει μάλιστα, κᾂν τούτῳ πολιτεύεται) Laudatiſſima certe virtus; quam ſibi non ad intuendum ſaltem, ſed imitandum quoque proponit Princeps: qui parietum latebris minime, aut ignaviam tegit, aut licentiæ quærit velaria: ſed cum Lacedæmoniorum Ageſilao ſic animum inducit ſuum: ei, qui turpiter uiveret, tenebras convenire; honeſtæ vitæ plus ornamenti lucem adferre. TiberI infamia in multa ivit ſecula, porroque itura eſt: quod in capreis inſulis, licentiam nactus ſecreti loci, & velut ab oculis civium remotus, cuncta ſimul vitia, male diſſimulata, tandem profudit: ut recte ipſi, quiſquis fuerit, obejecerit:

Aurea mutaſti Saturni ſecula Cæſar:
Incolumi nam te ferrea ſemper erunt.

Quod ſi vero muſcæ ſpectatiſſimæ quis maculam inurere præſumat, aut crudelitatis ſtigma: quod ſanguini humano inhiet, ejuſdemque ſuctu non quieſcat, quin ſatietur: is ficulneum ſe argumentum, & ſi quid ficulneo poteſt eſſe imbecillius, attuliſſe ſciat. Gratias enim debemus muſcæ, non convicium: quippe ex ſanguinea noſtra maſſa non illud exhaurit, quod ſpirituoſum eſt maxime, & roridum vitaleque nectar partibus: ſed excrementum purgat, & allicit ſanguinis ſerum: quod corpori

nutri-

nutriendo non inutile tantum; ſed noxium futurum erat. Agite vero; num ita deponemus frontem omnem: ut principes quoque ſævitię condemnemus; quotieſcunque gladio maleficorum hominum ſanguinem hauriunt? abſit, ut eo prolabamur impietatis. Res enim pleniſſima eſt ſanctimoniæ, juſtitiæ, humunitatis cum magnitudine pœnę maleficio ſubmoventur ii, quos natura in officio retinere non poteſt: vigetque tum demum jus, fides, æquitas: ubi noxia civitatis membra à corpore ſano reſecta fuerint. Nam

——— ubi non eſt pudor,
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides:
Inſtabile regnum eſt:

& abſque juſtitia principatum gerere, ne Iovem ipſum poſſe, priſci ſtatuerunt. Temperamentum vero dulciſſimum, & juſtitiæ & clementiæ in muſca mihi vide; quæ non ubivis, nec ſemper, nec in quovis rigore ſuo utitur: ἀμύνεται μέντοι οὐ κατὰ τὸ ὀῤῥοπύγιον ὡς σφὴξ, καὶ μέλιττα: ἀλλὰ τῷ στόματι ἐν τῇ προβοσκίδι. Quaſi ex ipſo Cæſarum codice hauſerit, expreſſerit: Nihil eſſe tam peculiare imperialis majeſtatis, quam clementia & humanitas: per quam ſola DEI ſervatur imitatio. Quod ſuo exemplo Iulius Cæſar, omnibus ſui ſimilem perſonam gerentibus, tanquam ſpeculo

culo propoſuit lucidiſſimo; qui detectas contra ſe conjurationes nocturnas non ultra arguit; quam ut edicto oſtenderet, eſſe ſibi notas. O rem ergo nunquam ſatis laudatam; quotieſcunque tranſigi verbis res poteſt; ne pervenire ad cruenta illa juſtitiæ præſidia neceſſe habeamus. Atque id ſæpe præſtabit ſermone Princeps; ſi à puero ſibi eam dicendi facultatem comparaverit; ut quæ prudenter intellexerit, apte quoque & ad perſuadendum accommodate; ad permovendum graviter & magnifice eloqui poſſit. Non dubitavit Pyrrhus fateri, quod res erat; plures ſibi urbes lingua Cyneæ; quam armis ſuis partas eſſe; & fidem facere ſcito veriſſimo πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος.

ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν,

Dubitandumne eſt, muſcam inter ἄμουσα relinquendam? minime; quæ ſingulari eſt ſuſurri, & ſubmiſſę vocis ſuavitate; unde gregatim concinentes, ἀδιναὶ, quaſi confertæ cantatrices à poëtarum principe appellantur; & à lepidiſſimo encomiaſte μετ' ᾠδῆς πέτεσθαι dicuntur, οὐκ ἀπηνῶς.

Quæ cauſa fuit graviſſima; quod Curinna, quæ Pindarum ſuperaſſe dicitur in Lyrico, muſca appellata fuerit; Pythagorę quoque filia ab vocis amœnitate, idem ſortita nominis. Quid de duabus aliis poetriis

poetriis dicam; quarum altera Theſpiaca, quæ Lyricos verſus cecinit; altera Spartiatis, quæ hymnos in Apollinem & Dianam ſcripſit; ambas muſcarum cognomento nobilitatas? Ac mihi quidem, de tota hac muſcæ Principiſque cogitanti virtute, Rhododaphne ſe offert, flore amœniſſimo: ad quam occulta plane interiorique amicitia, etſi in ſcrobe fuerit defoſſa, convolant undique muſcæ; ejus ſe complexu ſatiare cupiunt. Bellum par, &, ſi quod aliud, nobile, muſca & rhododaphne! De muſca res patet atque apparet. Rhododaphne muſis, canibus, aſinis, capris, ovibus, porcis venenum eſt; homini remedium præſtat contra ſerpentum morſum; ejuſque tollit

——— *conceptum in pectore virus*,

Ad rhododaphnen quoque ſe princeps confert, ſed ſpirituali odore fragrantiſſimam. Hæc eſt ſacra Scriptura; quæ

pios recta cœli deducit in axem;
Sed nigrum reprobis addere theta ſolet:

ejus nimirum omnia elogia ſalubria ſunt bene intelligentibus: periculoſa vero his, qui ea volunt ad ſui cordis perverſitatem torquere potius; quam cor ipſum ad eorum rectitudinem corrigere.

Admirabile cæterum hoc eſt; ne quid diſſimulem: in monte Carina Cretæ, non reperiri

reperiri muſcas: viſas quondam Romæ in æde Herculis: neque per fores Veneris ingreſſas in Papho: neque in prato, quod Emma Bremenſibus donavit, animadverſas: neque Venetiis in domum quandam ingreſſas: iſtud omne cui non videatur admirabile? Id vero non minoris æſtimetur momenti: quod nulla ſe inferat muſca in domum; ubi lupi caput aut cauda ſuſpenſa ſepultave fuerit. Tam pertinaci odio à lupo diſſidet: cujus ea eſt verſutia, rapacitas, impudentia, & ex his omnibus famoſiſſima crudelitas: ut cum exploraverit, dormire canes, aut deſidioſum eſſe paſtorem; non ſolum, quod ad ventrem ſatis eſt, interficiat: ſed totum invadat gregem, diſſipet, proſternat; ſanguine cruentet omnia. Nimirum & Princeps fugit lupos: ita enim hæreticos appellamus qui ſua hypocriſi & ſophiſtica, angelicam prę ſe ferentes ſanctimoniam; in animos hominum prius ſe inſinuant: dum horribiles ſuos ululatus erroreſque impios proclamare poſſint. Hic Princeps omnes aditus obſtruit: & ut falſa dogmata in ſementi ipſa opprimantur; ſincerus Dei cultus vigeat, ſerio ſeduloque cavet. Vbi vero petulantius quidam pergant, & in levibus habeant; nos ſolum novas confingere, monſtroſaſque opiniones: ſed ipſos fidei Chriſtianæ articulos depra-

varc,

vare aut fundamenta religionis convellere atque evertere: eos non modo Princeps à Repub. arcere; ſed plectere quoque jure diviniſſimo ſolet. Fecerunt id muſcæ in re ſacra. quamvis momenti longe minoris.

Capta Gerunda à Carolo Sicilię & Philippo Francorum regibus; cum milites vim inferrent ſepulcro S. Narciſſi: muſcarum ſe glomeravit examen copioſiſſimum. Hæ in exercitum irruunt tam infeſto impetu: ut in fugam illum verterint: atque in re ſacra caſtas habere manus, caſtas mentes docuerint. Cæterum id minime probroſum eſt muſcæ; ſed pietatis officium & *συμπαθείας* quod cadavera involant noſtra. Sic enim ventrem ſuum ubi homines humanitatem exuerunt, ſepulchro quaſi deſtinat mortuorum: quidquid Achilles metuat;

μὴ τόφρα Μενοιτίου ἄλκιμον υἱὸν
μυῖαι καδδῦσαι κατὰ χαλκοτύπους ὠτειλὰς
Εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρόν

Nobile eſt, muſcæque peraffine facinus, Theſei Athenienſium Regis: qui cruenta interfectorum cadavera, lavit ipſe manu ſua, & abſterſit; honeſtiori ſepulturæ præparavit. Quo quidem Principes laudari mihi videntur: qui non valetudinaria tantum; ſed Xenodochia benigni conſtituunt; ubi rerum inopes, oppreſſi morbis, ſanitatem

tem recipiant, aut ſolatium : ſed & ſedulo id agunt; ut mortuorum corpora, loco tuto, apparatu ac ceremoniis honorificis, magnæ matri Terræ committantur.

Inclementior eſt illorum vox ἀνδρῶν ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος; barbara autem Perſarum, Partharum, Bactrianorum, Caſpiorum conſuetudo; qui canibus, domi ad hoc officium nutritis, dilaniandos mortuos adjecerunt. Et quod muſcæ omnibus fere inſidiari eduliis, omnia ligurire dicuntur; unde Lycophron eas δαίπτας, voraces atque heluones appelavit; id quidem inimicum eſt dictum, minimeque ut arbitror, ferendum. Nemo enim ita eſt abſolutus bonorum ſuorum dominus; quin tantillum eſcæ, aliis etiam creaturis in tam adfluenti rerum copia, jure legibuſque debeat. Notum eſt, nulliuſque morſu violari, aut traduci dicteriis debet; quod ipſi quoque Principes ex civium ac ſubditorum bonis, jure omnium gentium victitant. Nonne in quotidianos Reipub. uſus ad Principis ſuſtentationem conferimus quotannis immutabilem plerumque ex indictione penſionem? ſive ex fundis ea colligatur; ſive ex cenſus & patrimonii æſtimatione. Nonne præterea ob neceſſitatem, publicitus incidentem, jugatio poſſeſſionum indicitur; illatio capitalis in ſin-

ſingula promulgatur capita; hoſpitatio indicitur? Illud vero, quod muſcæ hinc inde vagantur, angulos perreptant non unos; nequaquam eſt curioſitatis aut πολυπραγμοσύνης, ſed induſtriæ atque diligentiæ: qua quis & profutura ſibi, & obfutura cognita habeat atque explorata omnia, minima, maxima. Talem deſcribit ex optimis patribus-familias patrem ſuum adoleſcens Comicus; eo ipſo laudans, dum vituperare forte cogitat:

Muſca eſt meus pater: nihil poteſt clam illum haberi:
Nec ſacrum, nec tam profanum quidquam eſt, quia
Ibi illico adſit.

Quid? an diſſimilis muſcæ erat Epaminondas, clariſſimus Imperator? qui ſolenne dum convivium agerent Thebani, totamque pergræcarentur noctem; ipſe hinc inde ſolus, per omnia urbis loca itabat: cauſamque rogatus à familiari, ſqualidus & cogitabundus reſpondit: ὅπως ἐξῇ πᾶσιν ὑμῖν μεθυμεῖν ϗ ῥαθυμεῖν. An non Principes idem agunt, num ipſi per ſe ſoli; qui Argi in omnes partes eſſe nequeunt: ſed per ſpeculatores; quandoque viros graves & prudentes? idque ſi res ferat, legationis ſpecie; quod Cyrum adverſus Indos: Romanos contra Antiochum molitos eſſe conſtat: quandoque alios & cautos, &

itine-

itinerum peritos amittere conſueverunt? Quo vero id habendum in numero: quod divinationum peritæ, tempeſtates præſagiunt muſcæ,& pluvias? unde majori alacritate atque induſtria pabula ſua quærunt & comportant. Obſcurum non eſt; perinde res conficere ſuas Principem. Nam & is hominum voluntates & ſtudia facile perſpicit: conſilia, perfidiam, fraudes odoratur: bellum vero priuſquam moveatur, præſciendo præcavet. Itaque pacis adhuc tempore & pecuniam apparat; ſine qua milites non minus, atque ſine nervis ambulare poſſunt: & annonam colligit ex frumento, aceto, larido, hordeo, paleis: & armamentaria inſtruit; unde depromantur ad certum numerum peditum equitumque tela, tormenta, machinæ, pulvis. Ac ne quid deeſſe videamur partibus noſtris; mirari ſubit, nobiliſſimam muſcam, eo nomine male audire: quia ſtercuſcula emittit, quaſi puncta, Hebræis ſubſignanda literis: unde non modo vermiculata tabulatorum emblemata, picturæque defœdantur: ſed precioſæ purpuratæque veſtes conſpurcantur. Equidem, quod res eſt, dicam: & opinionem ſuam à noſtra non ſegregebit Auguſtinus: punire hæc animalcula ſuperbiam noſtram, & pluſquam Sybariticum luxum, tam in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

faſtuoſo veſtium apparatu, quam inſana ſubſtructionum mole atque ſplendore. Ex moribus hiſce peſſimis optimas leges condiderunt Principes: qui & leges promulgarunt, & Cenſores conſtituerunt rei veſtiariæ ac ſumptuariæ, imitati Alexandrum Seuerum: qui omnibus officiis & dignitatibus veſtimentorum genus proprium conſtituit. Fecerat idem Tiberius Cæſar: & ante illum lex Appia fuit notiſſima. Neque vero id eo referri velim: quaſi dedeceat Principem veſtis magnifica & pretioſa, citra levem atque effœminatum cultum adhibita: quæ non minoris eſt momenti ad dignitatem corporis, quam illicium ad autoritatem comparandam. Nam & muſca ἡ μυῖα διηνθίσται κατὰ τοὺς ταῶνας, εἴτις ἀτενὲς βλέποι, affabre pictum ornatum exhibet; & in morem

larga cum luce repleta eſt.
Conſimili mutat ratione obverſa colores.

Neque obſcurandum eſt verbis? quod ſtudioſiſſima ſui muſca, levibus politiſque locis non diu inſides: cum lubrica ſint & in iis firmari haud poſſit. Quam hic Principem ſuſcipere cogitationem dicam? novit quippe; imitationem eſſe voluptatem boni, dominamque blandiſſimam: ſed fluere eam, & opinione citius evolare: & quod graviſſimum, ſæpius relinquere cau-
ſas

ſas pœnitendi, quam recordandi. Eſt & hoc ad memoriam dignum: muſcarum plures quam ſeptuaginta ſpecies laborioſiſſimum obſervaſſe Aldrovandum: omnes inter ſe, pro corporis aut membrorum portione, colore, figura diſtinctas. Et proditum tamen ab iis eſt memoriæ, quorum apud me plurimum valet authoritas: apud Toletanos, loco quodam publico, unam tantum comparere muſcam per integrum annum, albedine inſigni notabilem. Quid hoc aliud inculcari poſſit; niſi id, quod res loquitur? eſſe in hoc ſpacioſo ſpecioſoque mundi theatro Principes, numero plurimos, ut autoritate diſtinctos, ſic diſſimiles atque adeo diſpares potentia. Sed & hoc in luce manifeſta eſt poſitum: quavis tempeſtate, unum aliquem floruiſſe Monarcham, cæteris omnibus excellentem majeſtate, quam & gentes pleræque obſervare comiter conſueverunt. Ex omnibus tamen muſcis nulla eſt, quæ contrectari ſe, aut pro libitu haberi patiatur: quod ſuo quodam jure & more Principes imitantur. Quanquam enim adverſus convicia maloſque rumores, cum Tiberio firmi ſunt ac patientes: iidem tamen, ubi maledicendi non eſt modus, modum faciunt: eo præſertim tempore, quo imperii ſublimitas nutare videtur. Conſtat turbulento

mari,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

mari, navarchum naviculatoribus iraſci: ſi quid vel in minimis rebus neglexerit aut offenderint. Habeo etiam dicere obſervatum fuiſſe à naturæ venatoribus: unguentis licet precioſiſſimis, odorem deperire ſuum; cum in iis vitam muſcæ amiſerint anguſtiſſimis ſpirandi viis lentore pingui interſeptis. Principe vero mortuo quid jucundum aut lætabile eſſe poteſt? non dico luctus & mœror omnium pervagatur animos: ſed ipſi Reipubl. fatales ſunt ſæpe dominorum mortes atque ominoſæ: quando cum novo plerumque Rege nová lex promulgatur, mutatione periculoſa. Quod damnum, ut vel metuere nunquam opus ſit; vel ſufferre liceat mitius: muſcæ nobis remedium inſuſurrant. Quæ etſi vitæ ſint perbrevis, ſobolem tamen numeroſam proferunt: & in ea ſpeciei ſuæ perpetuitatem conſervant. Quocirca & natura eas, cum ludere voluiſſet, in iis herbis depinxit, quas orchides appellant, plurimum ad genitalium robur & vim prolificam conducentes.

Optamus idem in Principibus: ac felicitati eorum quaſi coronidem addi cenſemus: in amæno conjugio liberos ab illis educari plurimos.

Sic enim animos inducimus noſtros: non legiones, non claſſes perinde firma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

imperii munimenta, quam numerum liberorum eſſe. Lycurgus quanto lætatur opere; cum fratris Polydectis uxor poſthumum peperiſſet filium! Forte enim cænanti cum magiſtratibus, puerum obtulerunt miniſtri: quem ille, totus in gaudium effuſus, præſentibus tum exhibens proceribus, pleniſſima voce exclamat: Βασιλεὺς ὑμῖν γέγονεν, ὦ Σπαρτιᾶται: & cum puerum in ſella regia depoſuiſſet; nomen Charilao dedit: quod omnes ingenti gaudio perfudiſſet. Idem felicitatis faſtigium ut attingat Princeps meus; calide candideque precor: & in hoc voto finio; ne ſi porro in tam vaſto Oceano vela pandam, elephantem facere ex muſca velle videar.

FINIS.

ERY-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ERYCII PVTEANI

DEMOCRITVS,

ſive

DE RISV

DISSERTATIO SATVRNALIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ERYCII PVTEANI
DEMOCRITVS,
ſive
DE RISV
DISSERTATIO SATVRNALIS.

AD delicias & hilaritatem venio, AVDITORES, ut quæ hactenus ſeveriora viſa, lepôre ſuo condiantur. Etenim jucundiores abire, quam veniſtis, quam adhuc ſediſtis, cupio. Sermone reliquo & argumento ſuavis ero, & vos quoque faciam, omneſque è fronte delebo rugas, ne inveniam, meum in veſtro vultu videbo. Etenim niſi lepos amœnitaſque auribus omnium inerrent, niſi ipſe alas Iocus expandat, animoſque bona voluptas imbuat, condemnabo ipſe quæ dixi & dicturus ſum, & infeſtam Suadæ Sapientiam arbitrabor. Alibi Auditorum curioſitatem erudire pulpiti conatus ſolet: hic quoque debet delectare. Nemo dolorem, aut damnum cogitet, DE RISV dicturus ſum; nemo paupertatem, aut alia vitæ incommoda, in omni ridere Fortuna permiſſum eſt. Dionyſia olim cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Riſu Græci celebrabant: nos Saturnalia. *Virum* producam, ſed omnem ætatem Quæſtio complectatur. *Sapientem* producam, & in tanti nominis umbra ludet, quiſquis Hilaria amabit. Vt Gravitatem & Sapientiam oſtendas, ridere poteris: quod fieri hic ſolet, & animi cauſa inſtituitur, Virtuti adſcribam: imo quod olim apud Athenienſes in Academia non licebat, extra culpam collocabo. Ridere illic nefas erat. Æliani verba ſunt, lib.3. variæ Hiſt. cap.35. *Nam ab injuria & ignavia purum & inacceſſum ſervare hunc locum conabantur.* Sed, ſi res dicenda eſt, tam graves & ſerii eſſe voluerunt, ut deſiperent: & cum Sapientiam vultu affectarent, homines ſe eſſe obliti ſunt. Nos tam tetricam Minervam non habemus. Sapientiæ Muſas jungimus & Gratias: ſed Ridere, imo ludere hæ amant. Ad rem igitur. Riſus à gaudio: gaudium ab eo quod jucundum eſt. Nam quoties ſuavitas pectus imbuit, cor ſe laxat, & jucundo fervore hilaritatem exprimit. Animi motum vultus indicat, cum agitatione viſcerum, thoracis adeoque oris muſculi tenduntur. Quam ſuaviter natura ludat, ignorare nemo poteſt, niſi cui cornea fibra eſt. Gaudium certe nemo Sapienti eripit: ſed gaudii fructus riſus eſt, quemadmodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dum doloris lacrymæ. Si fructum proſcribimus, cur arborem toleramus? Lacrymas certe nemo reprehendit: cur Riſum? & apud Homerum ſapientiæ exemplar Vlyſſes lacrymarum ſæpe imbrem effudit. Quid ſi lacrymarum quoque vicem Riſus occupet? Nam & hi affectus, ſtimulante naturæ genio, in contrarium erumpunt, in lacrymas gaudium, in Riſum dolor ſive pavor. Ita Apulejus de Ariſtomene narrat, quem inverſa lecticula evolutum & excuſſum humi obtegebat loquentis, an potius ridentis? verba audiamus: *Nam ut lacrymæ ſæpicule de gaudio prodeunt: ita & in illo nimio pavore, Riſum nequivi continere, de Ariſtomene teſtudo factus* Sic igitur communis interdum lætitiæ & triſtitiæ affectus Riſus eſt, ut & Lacrymæ, cum & gaudentium & dolentium ſæpe ſtillent oculi, rivuloſque ab eodem animo educant. Spartanos omnes cives, illos ſeveritatis alumnos, Xenophon ſcribit lib. 7. Rerum Græcarum neſcio quo victoriæ nuncio repente in gaudium & in lacrymas actos, & cauſam adfert: *Ita lætitiæ & mærori communes lacrymæ.* Ne miremur, Riſus ipſe amat lacrymas, & cum lacrymis frequenter erumpit. Etenim originem & fontem illæ quoque à corde habent, & hinc ſcaturiunt. Ab oculis de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

inde fluunt, & torrentem faciunt, quo gaudii atque etiam triſtitiæ affectus vehatur. Volunt autem Æſculapii filii tres in humano corpore exhalationes humidas eſſe, à Stomacho, Iecore, Corde,& ad totidem membra ſuperna ſeu receptacula educi: *ad Nares, Aures, Oculos*. A Stomacho *mucum*, & per nares effundi: à jecore *Cremium*, & per aures expurgari: à corde denique *Lacrymas*, & per oculos manare. Quæ cum ita ſint; videant obſecro triſtiſſimi homines, ne mœroris damnent voluptatem, dum Gaudio infeſti. Riſus è pectore vultuque ſi ejicitur, in exilium pariter Lacrymæ ibunt, quas amant. Vir Gravis & Sapiens tamen homo eſt: homini natura Riſum dedit, qua Hilaritatem. Os cujuſque & vultum examina; non ridere, vitium potius corporis dixeris, quam venuſtatem. Quoſcumque tales Vetuſtas recenſuit, Auſteros potius quam Graves, & Moroſos Difficileſque, quam Sapientes accepimus. Nec enim poteſt ſerenus eſſe animus, ubi frons nubila; quemadmodum ubi perpetuo gelu rigent omnia, nulla amœnitas faciem telluris imbuit. Agelaſtorum agmen Heraclitus ducit, ille tam à Riſu alienus, ut fleret continuo. *Mirandum eſt, unde ille oculis ſufficerit humor*; niſi aqua intercus fuit, qua

& obiit. Hunc certe Sapientem atra bile laboraſſe Theophraſtus olim ſcripſit. alii, odio hominum, in avios montes & remota teſqua ſeceſſiſſe, ut paullatim à ſe abiret, & qui ſuavitatem exuerat, jam quoque humanitatis obliviſceretur. An & arrogantiam compungo? Cogitate quam Sapiens fuit, qui ſuæ ſe auctorem ſcientiæ fecit. Fecit Heraclitus; talis eſſe debebat, qui nunquam rideret. Nihil vero ſtultius; quam quod ſenex jactaret, *ſe nihil ignorare, cum juvenis nihil ſcivisset*. Verbo complectar: ne rideret, delirus fuit; ut ſciret omnia, ſtultus. Multa eum ignorare oportet; qui ſe unum æſtimat: atque tantæ quoque dementiæ Heraclitus fuit, ut omnes omnino contemneret, Homerum autem Heſiodumque divinos homines, dignos verberibus cenſeret, & qui à certaminibus, ut Laertius refert, ejicerentur. Sic vero qui Riſu caruit, morbo laboravit; & qui ſeveriſſimus eſſe voluit, Riſum omnibus movit. Anaxagoram Clazomenium Ælianus ſcribit, Variæ Hiſt. lib. 8. c. 13. *Nunquam ridere viſum eſſe, neque omnino ſubridere*. Ariſtoxenum etiam *admodum à Riſu abhorruiſſe*. Sed iſti quidem tanto fortaſſis Heraclito meliores, quod ſaltem non fleverint. Dionyſium etiam Siciliæ Tyrannum idem Ælianus tradit, lib. 13

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

cap. 18. *amaſſe Tragediam, & aptaſſe cothurno dramata; à ſocco autem & Comœdia alienum fuiſſe, quod non eſſet ad Riſum proclivis.* Sed Tyrannum nominavi. Marcum Licinium Craſſum, avum ejus, qui bello Parthico periit, alii ſemel, alii nunquam riſiſſe volunt. Nunquam, Plin. lib. 7 cap. 19. *Ferunt Craſſum avum Craßi in Parthis interempti nunquam riſiſſe, ob id Agelaſtum vocatum.* Et Solinus, cap. 4. in eadem propemodum verba. Semel. Sidonius ſcribit.

Tam Cenſorius haud fuit vel ille,
Quem riſiſſe ſemel ferunt in ævo.

Agelaſti olim credebantur reddi, qui in Trophonii ſpecum oraculorum cauſa deſcenderant. Vnde Parœmia: *In Trophonii antro vaticinatus eſt.* de homine triſti, tetrico, & moroſo. Ridiculum, quod de Parmeniſco Metapontino Athenæus refert lib. 14. cap. 11. Is poſtquam in ſpecu Trophonii Riſum amiſerat, Apollinem percunctatum ivit remedium. Apollo reſpondit. *Dandum à matre Riſum: hanc veneraretur.* Reverſus ad Penates parentemque, cum ridere nihilominus non poſſet, à numine ſe deceptum cenſuit. Sed quid? interjecto temporis aliquo ſpatio, forte in Delum venit, ubi Latona, mater Apollinis, colebatur. Ergo curioſe luſtrans cuncta,

cuncta, tandem ad ſimulacrum ductus eſt. Vbi ligneum ac deforme vidit, præter opinionem in riſum ſolutus eſt, & ægritudine ſua liberatus. Qui non riſerunt, iſti quidam ſunt: ſed tales ut exemplo ſuo, aut potius vitio, delere hilaritatem noſtram non poſſint. Hæreo tamen, & jam exſpecto, ut IESVM CHRISTVM, omnis Sapientiæ & Virtutis, imo omnis Lætitiæ & ſalutis fontem, mihi repræſentes, quem fleviſſe inter homines legimus, non Riſiſſe. Quid dicam? In homine Deum agnoſco: ſanctitas hæc fuit & divinitas. Quod mortalibus à natura conceſſum erat, noluit uſurpare, imo quod dederat ipſe omnibus, ſibi negavit. Ad dolores, opprobria, tormenta, ad crucem denique mortemque natus, amplius præſtare quam homo voluit, etiam *Non Ridere*. Vt ſcias quantæ molis ac momenti erat generis humani ſalus, nullas delicias, ac ne ſigna quidem ulla jucunditatis admiſit. Et ſane ubi Deus hominem induerat, & æternæ Sapientiæ Bonitatiſque radius tenebrarum cœpit vilitate circumdari, ne Ridere quidem rerum Natura debuit: niſi debuit tamen, quia Auctorem ſuum complexa. Sic igitur, quod Æternitas non fecit, facere mortalitas potuit, ac deinceps perenni lætitiæ guſtu exſilire. Hujuſmodi certe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vox Genii Numiniſque ad Paſtores fuit, Chriſto jam nato *Gaudium* ecce *magnum & quod erit omni populo.* Atque hæc lætitia, ut magis animos hominum excitaret (quantum opinor) Riſu quoque, ceu veriſſimo typo figurata fuit, in Patriarcharum geſtis. Etenim Chriſtus ad hoc natus, ut Deo victima eſſet, & immolaretur: ſed tanti tamque horrendi myſterii imago Iſaacus fuit: quem unigenitum à patre Deus in holocauſtum petiit. Tertullianum audiamus adverſus Iudæos, cap. 10. *Cum Iſaac à Patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum jam tunc denotabat, in victimam conceſſi à Patre, lignum paſſionis ſuæ bajulantis.* Quid autem Iſaac? Chaldaice *Riſus* eſt: & ita Saræ verba intelligenda lib. Gen. c. 21. cum ab Abrahamo puero nomen eſſet impoſitum: *Riſum fecit mihi Deus, & quicumque audierit, corridebit mihi.* Philo Iudæus, libello, *Quod deterius potiori inſidiari ſoleat*, hunc locum ſacræ Scripturæ citat, & diducit. Ne moleſtus ſim, Latine dicam: *Opifex eſt N. Deus boni Riſus & Gaudii. Nam ſi Riſus Iſaac intelligitur, Riſus autem factor eſt Deus, juxta verum Saræ teſtimonium, etiam Pater Iſaaci rectiſſime dicatur.* Addit: *Hujus appellationis etiam Sapiens ille Abraham fit particeps,*

ceps, cui gaudium proles Sapientiæ, triſtitiam excidens, donatum eſt. Idem Scriptor lib. de Præmiis & Pœnis: *Iſaacum Chaldæi Latini Riſum nominant,* aut potius ſic, Græci γέλωτα. *Riſus autem eſt ſignum, quo ſe profert cultum mentis gaudium: qui affectus eſt inter omnes alios honeſtiſſimus, & tranquillitate ac ſecuritate totam animam replet.* Non riſit igitur Chriſtus ut totam gaudii cauſam Homines acciperent. Sed nunc à Sacris ad Prophana, & Gentium conſenſu Riſum mortalibus commendemus. A Philoſopho ordior: Riſit Democritus, & hoc egit: quem nemo tamen Sapientiæ aut Gravitatis laude ſpoliavit. Imo ſapiens ideo Democritus, quia riſit. Sic docuit, ſic diſſeruit, ſic Philoſophatus eſt. Tolle Riſum, & Democritus non erit: iterum, tolle Riſum, & præſtantiſſimum Sapientiæ lumen extingues. Plus ſcripſerit, an Riſerit, dubites; & utro amplius humano generi profuerit. Anaxagoræ elogio πένταθλος hic ille fuit in ſcientia rerum omnium πένταθλος, i. *Quinque Certaminum,* ſive perfectiſſimus: & talis à Laertio deſcribitur. Sic vero qui ſcivit omnia, Ridere potuit: & qui non ridere non potuit, εὐθυμίαν ſtatuit rerum finem, animique tranquillitatem in Bono Riſu invenit.

Iam

Iam igitur laudas quod de Sapientibus alter
Ridebat quoties à lumine moverat unum
Protuleratque pedem?

Philoſophum Poëta ſequatur, & qui unus inſtar omnium, Homerus: is tanquam Homines ac Heroes ſatis non riderent, hanc oris Hilaritatem Diis immortalibus tribuit, & prope immodicam.

Ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν.
Difficiliſque Deis extingui Riſus inerrat.

Læti hilareſque Dii non eſſe poterant, niſi riderent, & Barbatus Iupiter ſeveritatem numinis ſuavi cachinno mitigabat. Sic Cœlo receptus Riſus, in terris tanquam numen coli cœpit, & templa ac ſimulachra invenit; imo, quæ reverentiam tam jucundi auget Dei, apud Graviſſimos illos Spartanos. Templi Plutarchus in Agide & Cleomene meminit: ſimulachri, in ipſo Lycurgo. Latine iterum dicam: *Neque ſane ipſe fuit præfr.icte auſterus Lycurgus: imo Riſus ſignum ab eo poſitum eſſe Soſibius tradit ut urbanitate, tanquam laboris victuſque tempeſtivo condimento & convivia & ſimiles congreſſus interpolarentur.* Et quis non malit igitur Ridere cum Lycurgo, quam flere cum Heraclito? & corrigere aut conſtituere hominum mores, quam aſpernari? Atque Lacedæmonii, ut idem Plutarchus teſtatur, digni & tali

Legis

Legiſlatore,& ſimulacro fuere; tam amœne ſerii, ut auſteritatem effugerent; tam ſerio amœni, neque ineptiarum laſcivia ſolverentur. Riſu conſecuti ſunt ut & bello fortes, & pace boni eſſent, utrobique Spartani. In Gymnaſiis & Leſchis (λέσχη confabulationum locus) falſa amœnitate tempus traducere, & ingenium ſolebant occupare. *Conſuetudinis autem illius potiſsimum negotium erat* (verba Plutarchi ſequor) ſive, *ut vel virtutem aliquam laudarent*, *vel probrum reprehenderent*, *cum Ioco & Riſu aculeato, admonendi & corrigendi cauſa.* Vnum alterumque ex ipſa plebe exemplum ſumo. Claudus quidam animos ſumpſerat, ac jam ſe præparabat, ut in militiam iret: deriſus fuit tanquam parum aptus: at ille, *In bello*, inquit, *non fugientibus opus eſt, ſed firmantibus gradum.* Alius clypeum Muſcæ imagine inſignive-rat: deriſus fuit, tanquam latere vellet, nec ab hoſte conſpici, qui tam parvum aſſumpſiſſet ſignum. At ille, *Imo*, inquit, *ut agnoſcar. Tam prope enim accedo ad hoſtes, ut vel muſcam videant.* O felicem Spartam, quæ cives ſuos ſic exercuit! ô amœnam, quæ nec ſine riſu virtutem coluit. Ioci & pungentes iſti lepores, velut ſtricturæ ſunt, è pectore velut igni proſiliunt, ſed moto. Sic & amœnitas exercitationem amat.

Friget

Friget animus, cum ſimplicitate tegitur; & languet cogitatio, niſi colore quodam excitetur. Ipſe Riſus calor eſt, aut certe à calore. Hinc γέλωτα ἄσβεστον Homerus dixit; *inextinguibilem*. & Grammaticis γέλως ab ἕλη, quæ vox *calorem & jubar* ſignificat. Prorſus, ut ignem colligas, vim conſidera. Confluunt ad Riſum lacrymæ, neque tamen moto jam affectu, gaudii flammulas extinguunt. Ebullit Riſus, & quem vicit humorem ſimul expellit. Quicquid dico, Calor agit, è pectoris, ut ſic appellem, foco ſurgit, arcem hominis caput petit, & cerebro circumfuſus, Riſum pariter & lacrymas educit. De templo & Simulacro ſatis; *Numen* ipſum videamus. neque amplius commendari hominibus Riſus potuit quam ut Deus fieret. Huic igitur Theſſalia Hypatenſes, Apulejo ſcribente, peculiari ritu ſolennia faciebant. Summa religionis erat, ludum ſeu dolum comminiſci, quo ignarus quiſpiam involutus, Ridendi argumentum publice præberet. Atque hic talis, ſi lepidiſſima ſcena numen propitiaſſet, mœroris deinceps atque doloris credebatur expers futurus. Ipſos Hypatenſes audiamus: *Num luſus iſte: quem publice gratiſſimo Deo Riſui per annua reverticula ſolenniter celebramus, ſemper commenti novitate floreſcit. Iſte*

Deus

Deus auctorem ſuum propitius ubiq; comitabitur amanter, nec unquam patietur, ut ex animo doleat: ſed frontem tuam ſerena venuſtate lætabit aſſidue. Noſtra hæc ſolennia literarum, ſi vanitatem ſuperſtitionis eximis, paria ſunt. Etenim Gaudium Riſumque annua remiſſione quærimus, ſed ſine Honeſtatis aut Gravitatis damno: niſi quod à comploſione naſcitur, & aliqui in pedibus quoque Riſum ponunt. Quid amplius? Hilares ſumus & ſimul erudimur: in his Scholis tanquam Leſchis agimus, cum joco ad virtutem imus. Ad ſummam, honeſtum eſſe Riſum, & viro Gravi atque Sapienti pulchrum, vel ſic tibi perſuadeas, In hoc Minervæ Sacrario colitur. Sed ego quia RISVM Deum feci, omnia

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ERYCI PVTEANI

OVI ENCOMIVM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ERYCI PVTEANI OVI ENCOMIVM.

OMNI ævo obſervatum eſt, AVDITORES, ſummis viris amœnitatem placuiſſe. Nunc ingenio Philoſophus ludit, nunc lingua Orator; ac ſi reliquos inſpiciam homines, eadem manu & nummos aliqui, mox flores tractant, merces & aleas, libros & cyathos. Ne ſolus ſapiam, mihi nunc quoque remiſſio placet, ſed erudita; amœnitas, ſed ſeria. Non de Deo aut Religione, de Principe aut Republica, de pace aut bello dicturus ſum, & dignum tamen Philoſopho atque Oratore argumentum inveniam; dignum, quia Viro Nobili & Incomparabili, DAVIDI FLORITIO RIQVEBORG-TRIGAVLTO, tale viſum eſt. Sunt qui aurum & gemmas, qui vinum aut dapes publicè laudant & vilitatem tamen effugiunt. Divitias laudari pulchrum putabit quiſquis dives eſt; fercula & cibos, quisquis lautus. Et ſic tamen plerique mortalium vivunt: aliis cum arca, aliis cum ventre negotium

eſt:

eſt: nemo non ſerius ſibi videtur, cùm maximè nugas agit. Sed ego nunc cùm nugas videbor agere, ſerius ero. Aurum negligam, & laudabo quod omni metallo pretioſius eſt: ſpernam dapes, & condiam verbis quod omni cibo potúque melius eſt. Exſpectatis fortaſſis, ut rem magnam atq; admirabilem dicam: dicam verò, OVVM eſt, & in eo quicquid avaritia quærit, quicquid luxuria neſcit, quicquid Natura habet contemplabor. Mirari homines ſolent, lapidem è nubibus excuſſum, aut ſtellam in aëre accenſam; hoc etiam terram concuti, Harmaphroditum naſci, mulierem in marem tranſmutari. Scilicet hæc, quia rara, prodigia ſunt, & vaniſſima plerumque interpretatione in terrorem valent. Quid dicam? Lucere Solem, volvi cœlum, æſtatis & hiemis vices eſſe, dierum & noctium, inter miracula numero: item, creari hominem, mente & ratione præditum eſſe, animal ab humanitate dictum ſævitia & violentia, oblectari, nullis armis inſtructum, omnibus uti non nutriri, ſed ſaginari; miſerrimum idem & ſuperbiſſimum eſſe prodigium puto. Si rectè calculum ponimus, Natura, ubi maximè familiaris, maximè quoque admiranda eſt. Hac indole retia aranei texunt, favos apiculæ ſtipant, annonam formicæ congerunt; & quid niſi hominis

minis induſtriam eludunt? Iam verò, OVI naturam, & Gallinæ puerperium ſi inſpiciam, cedent & araneorum doli, & apum ſolertia, & formicarum labor. Ampliùs hîc Natura egit, & benignior fuit: condidit miraculum, ſed quod utiliſſimum eſſet. De Ovo igitur verba faciam, & promptiſſimum Ruris donum, Vrbis patrimonium, omniúmque menſarum delicium curioſiùs inſpecturus, dignum omnium amore reddam. Tractabo gemmam, quam omnes æſtiment; liquorem, quo & ſcire Clodius, Æſopi Tragœdi filius potuiſſet, quid margaritæ ſaperent; & Antonium ſuum Cleopatra in ſponſione luxuriæ ſine damno viciſſet. Hoc illud erit *cùm maxime ſingulare, & verè unicum*, ut cum Plinio dicam, *naturæ opus*. Imò hoc illud erit maximè familiare, vernaculum, & omnibus omnino hominibus ab eâdem naturâ conceſſum munus. Quid ſit OVVM, nemo tam rudis, ut neſciat: & tamen nemo tam perfectus, ut ſciat, quid ſit OVVM. Ego, qui laudes paro, præcipuas ejus virtutes me ignorare fateor. De origine quidem nobiliſſimi olim Scriptores diſceptarunt, OVVMNE PRIVS EXTITERIT, AN GALLINA? Sanè ex ovo Gallina eſt, & ex gallina ovum: differt à matre quod naſcitur, & producit matrem quod natum eſt. Non poſſum hæc

cuna-

cunabula ſine miraculo expedire. Si ovum ante avem, unde ovum? Si avis ante ovum, unde avis? Vtrumque utriuſque principium eſt, aut ſine principio utrumque dixeris procreatum. Sed nolo jam numen ovum facere, & ab æterno derivare. Originem habuit, ſed ut ſine matre naſceretur; cœpit, ut matrem tamen gigneret. Sic aliquando ante gallinam ovum fuit, & rurſus ante ovum gallinam eſſe, fatearis neceſſum eſt: quaſi fœtum dicas, quod elementum fuit: rivum, qui fons exſtitit. Nihil in gallina novi eſt; animantia propemodum omnia eodem miraculo cenſentur. Hæc enim, ut ex Plutarcho Macrobius expreſſit, *aut gradiuntur aut ſerpunt, aut nando volandove vivunt: in gradientibus lacertæ & ſimilia ex ovis creantur: quæ ſerpunt, ovi naſcuntur exordio: volantia omnia de ovis prodeunt, excepto uno, quod incertæ naturæ eſt. nam veſpertilio volat quidem pellitis alis, ſed inter volantia habendus non eſt, quia quatuor pedibus graditur, formatoſque pullos parit, & nutrit lacte, quos generat. Nantia ferè omnia de ovis nutriuntur generis ſui, crocodilus vero etiam de teſteis, qualia ſunt volantium.* Ovum igitur ubique eſt; & ſic nihil ferè niſi ex Ovo prodit: ubique naſcitur, & ſuam ſibi originem vindicat. Etenim rerum omnium initium ſemen

men eſt, quia gignentis naturæ vim habet: ſed ovum inter ſemen animalque quodammodo medium eſt, & velut ſeminarium avis; perfectius ſemine, formam enim jam ſuam habet; imperfectius animali, vita enim adhuc deſtituitur. Sed cedat tamen Gallinæ ovum, ne origine careat: etiam à parentibus laudari pulchrum puto. Præſtat profectò, ex ave, quam è cœno naſci. Nullum autem unquam fuit ovum, quod è cœno concretum eſſet: cum tamen tam vili ſordidaq; origine plura animalia cenſeantur. Video igitur immaculatos Ovi natales eſſe: nullum è terra editum; & aliquod tamen è cælo delapſum, quod Tyndareum, ſive Ledæum Poëtæ appellant. Iam vero poſtquam matrem invenit ovum, adhuc ante homines fuit. Fuit, inquam, Ovũ, cum genus humanum non eſſet. Nec ulla poſtea tam fera aut remota natio exſtitit, quæ tam familiari cibo non miteſceret. Adhuc viſceratio non erat, & dabat Gallina quod pro carne eſſet; imo vero non à ſolis quadrupedibus lac manare mortales crediderunt, poſtquam avis peperit. Nullum igitur unquam ſine gallina rus, nulla domus fuit: & ut ſcires, omni menſæ ovum ſuffeciſſe, alius cibus non erat. Ceres panem dabat, Gallina obſonium; ſimpliciſſima fercula ipſa Natura commendabat: tales Oo-

nas Inſulas Plinius nominat, in quibus avium ovis & avenis incolæ viverent. Poſtquam deliciæ invictæ ſunt, ſuam tamen conſtanter dignitatem ova retinuerunt. Nimirum nihil æquè neceſſarium erat, quàm quod ab initio erat optimum, quod ferculum, & ſimul condimentum eſſet; vim potus ac cibi haberet. Vt breviter dicam, perennare potuit, quod ſine vitio naturæ cœperat. Etiam ab ovo cœnam ordiri ſolebant veteres Romani, ut honorem haberent cibo, qui ante reliquos aliquando exſtitiſſet. Sed Græci, ut oſtenderent, opinor, præ reliquis deliciis ova eſſe, inter bellaria habuerunt. Ordiri ſolebant cœnam, Romani, ſed promulſide abſoluta. hac enim cum aliqui conficerentur, integram ſe famem ad ovum attuliſſe, Cicero ſcribit. Itaque *ab ovo ad mala* cum citaret Tigellius, tota cœna inſaniebat: & illud apud Horatium

——*Gemino bellum Trojanum orditur ad ovo,*

non minus cœnæ ordinem, quam Caſtores reſpicit. Sic agitur durant adhuc ova & naſcuntur quotidie; formam & ſuccum retinent. vigorem & pretium. Rure allata, nihil ruris habent; domi producta, tamen liberioris naturę genium ſapiunt. Vbicumque calathum ſive cubile parabis, gallinæ parienta ſub dio, ſub tecto, in ſtabulo, in cœnaculo. Quid ſi & in dominæ, aut ancillæ

cillæ ſinu? familiaritas hæc eſt non obſcœnitas: nec minus caſtæ quam fœcundę ſunt, quæ tam vernaculæ: interdum matres, ubi nati ipſi ſumus; ut non vitam modo, ſed victum eodem in loco & lecto adipiſci videamur. Matres, & tamen virgines; innuptæ, & tamen puerperæ; quibus hoc quoque natura conceſſit, ut ſine dolore parerent. Ova ipſa cantu, non gemitu, aut quodam potius ſingultu præveniunt; oſtendunt, non abſcondunt: prorſus, ut generi humano, cui vivunt, etiam pariant. Columella ad rem: *Parituras ſe gallinæ teſtantur crebris ſingultibus, interjecta voce acutâ.* Quæ dico, non è longinquo arceſſenda ſunt: quiſque domi ſuæ videt. Et quid mortalibus hac voce jucundius eſt, qua vera avium regina, tam ſuavi contubernio nobis vernacula & pediſſequa, beneficium ſuum quotidie gracillat ſive pronunciat? nidum conſcenſura id agit, inde reſiliens iterum agit. Idem ovum quia & onus & miraculum eſt, ſic merito prædicatur. Ita me Deus, pipat, glocidatque gallina, ſed natura loquitur: illa onus ſuum, hæc miraculum: & quid tandem? Ite, ite mortales, & paratiſſimo compendio ingentia explete vota. Ovum tollite, ut omnia habeatis. Si avari eſtis, hic theſaurus eſt; ſi famelici, cibus; ſi ægri, pharmacum; ſi curioſi, prodi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

gium. Quid terram foditis,& magnæ matris viſcera cruciatis? aurum hic vobis & argentum tenui incluſum cortice genui: quid menſarum delicias quæritis, palati corruptelas? Deorum hęc fercula ſunt: quid ad cataplaſmata, catapotia, antidota, emplaſtra confugitis? tutiſſima hæc ſalus eſt: denique quid occulta, longinqua, ſublimia ſcrutamini? univerſi hic imago expreſſa eſt. Cum gallinam auditis, hæc auditis: etiam pro utero linguam habet: & quemadmodum parit ovum, ita celebrat: fæcunda, quia parit; fœcunda etiam, quia celebrat. Atque hoc jam ſecundum beneficium eſt: beatiſſimæ fœcunditatis munera latere aut contabeſcere non ſinit, periiſſe rara, quicquid in ſalutem hominis non confertur. Refundit gratiam, quia alitur; & quod nullum agit brutum, ſe & ſpem quoque ſtirpis impendit. Paucula quotidie grana ſive hordei, ſive avenæ accipit, aut panis miculas, & magnam reddit partem ſui; id inquam, quod ſatis nunquam laudem: reddit cibum & ſimul delicium, ferculum & pharmacum, deductum velut cælo cerebrum Iovis. Enimvero numen habitare putes, ubi ovum gignitur. Itaque prorſus mihi perſuadeo, hac de cauſa tantum naturæ opus inter cæli imagines à vetuſtiſſimis mortalium deſcriptum eſſe, & tantæ incolam machinę Gallinam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

linam conſtitutam, niſi fortaſſis & hoc cibo ſive lacte fœcundę matris alii Iupiter debuerit, ut viveret, qui immortalis erat. Nihil novi dico, aut fingo. Gallina eſt, quam nonnulli Cygni nomine & ſidere obſcurari conati, ſive ut Ledæ adulterũ celebrarent, ſive in Apollinis gratiam, cui avem iſtam partim quia canoram, partim quia in auſpiciis obſervatam, ingenioſa ſuperſtitio dedicavit. Sanè qui Hygino aliiſq; Cygnus ſive Olor eſt, Gallinã Arabe vocant, Gręci ſimpliciter ὄρνιν, noſtri Avem. ὄρνις verò cum iiſdem pro Gallinâ accipiatur, poſſis in eandem quoq; ſignificationem Avis vocabulũ deducere. Hanc antonomaſiæ prærogativam Gallina meruit: quæ tanto reliquis avibus præſtantior eſt, quanto pariendo utilior: ut illę quidem ſibi generiq; ſuo; at hęc. hominibus ova gignere videatur. Originem habuiſtis, Auditores; antiquiſſima eſt, & cum ipſa natura cœpit; Patriam quia univerſa capere terra non potuit, in cælũ quoque extendi. Quid ſi ante hæc omnia fuiſſe ovum dicam, & ex eo cælum terramq; natam; Paradoxum eſt, ſed è primis Sapientię rivulis, quos admirabili myſterio ad poſteros Orpheus derivavit, & excepit Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, ut rejiceret. Rerum omnium principium exſtitiſſe Aquam: & ex ea ſubſidente fuiſſet Ityn.

His parentibus Draconem natum eſſe, qui capite Leonem, medio corpore faciem ſive Herculis, ſive Chroni repræſentabat. Ab Hercule deinde immenſæ magnitudinis ovum prodiiſſe: id à parente, dum fovetur, attritum, duas in partes diſſiliiſſe & ſuperiorem quidem, cæli; inferiorem, quæ delapſa erat, terræ forma donatam & perfectam. Phœnices, ut refert Euſebius de præparatione Evang. ſtatuebant è complexu rerum, qui cupido erat, limum eſſe, ſive aquoſæ mixturæ putredinem: ex ea ſemina creaturarum & generationem eſſe, primum animalia bruta, hinc ratione prædita, quæ cælum contuerentur, in figuram ovi conformata.

Monſtra hæc, an dogmata? dicet aliquis. Monſtra fateor: quæ tamen à natura non abhorrent. Nam ſi rectè examinare rem totam volumus, & proclus in Timæum explicat, idem planè eſt τὸ Πλάτωνος ὄν. καὶ τὸ ὀρφικὸν ᾠόν, *Platonis ens, & Orphicum.* Sic igitur in conſtituendo rerum principio, tantum ouo Orphici tribuerunt, ut hoc unum non hominum tantum, ſed Deorum domicilium facerent. Ecce ut mundus eſſet, ovum eſſe debuit: & ut philoſopharetur Orpheus, ex ovo mundus prodire. Si per vos licebit, parentem quoque mundi naturam, pleno fœcunditatis ſymbolo, Gallinam

nam appellabo. Talem fortaſſis Lunam arbitratus eſt Neocles Crotoniates, teſte Atheneo, cum hinc prolapſum Helenę ovum ſcriberet, & ſuavi fabula rem alioqui turpem veſtiret: tales Selenides, ſive Lunares feminas Herodotus Heracleotes, quas oviparas affirmat, excluſoſque fœtus πεντεκαιδεκαπλασίονας ἡμῶν εἶναι: *quindecuplo nobis proceriores eſſe.* Ergo ut gigantes naſcerentur, opus erat ovis: terræque filii è cælo tamen deſcendebant. Atque ego nunc vereri incipio, ne ſiquem magnum videatis, ex ovo putetis natum eſſe; & ne me quoque, etſi non maximum, huic tamen numero adſcribatis. Patior. procerum eſſe, pulchrum eſt, ſed ex ovo fieri, divinum puto. De pulchro & magno, & quid ni addam Heroe? olim dicebatur: ἐξ ὠοῦ ἐξῆλθεν, *Ex ovo prodijt.* Quid mirum igitur, immortalem ſi ſe credidit Maximinus Imperator? pro nomine egit. Niſi hoſtis à Senatu judicatus, & unam cum filio DIs inferis eſſet conſecratus, potuiſſet mehercle ſolius ovi beneficio & ſe & caligam ſuam conſecrare. Ergo tam facile erat Deum fieri, quam ex ovo naſci, longeque exactius conſecrationis ſymbolum ſive hieroglyphicum ovo, quam aut pavone, aut aquila, aut ſtella, aut ara, aut quadriga, aut tabernaculo potui deſignari. Sed nec reprehendere Antiquos, nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

reſingere jam numiſmata ſuſtineo: in auro argentoque (æs enim hic mihi vile eſt) non legetur aut conſpicietur ovum; in ovo tamen aurum argentumque inveniam, & quicquid in natura pulchrum, perfectum, atque pretioſum eſt. Hanc igitur ipſam velut ſexu diſtinctam, & tamen procreatione unam ſimplicemque eſſe arbitror; alibi pro mare, alibi pro femina ſe gerere. Pariter res omnes, creatas gemino ordine & indole naſci: alias robuſtiores, atque adeo horridiores; alias teneriores, atque pulchriores: quarum illas quaſi maſculas, has, feminas poſſis appellare. Id vero diſcrimen in origine animalium potiſſimum ſe prodit: quæ cum ab utero geruntur, aliquid maſculi in toto genere habent; cum ex ovo prodeunt, aliquid feminæ. Ipſa Natura qua mas eſt; formatum producit fœtum, quemadmodum generat; qua femina, ovum ſemel genitum in fœtum commutat. Quaſi amplius in ovo & pullo, quam in reliquo animalium ortu negotii ſit, bis debet generari, totiesque naſci: ovũ ab alvo, ab ovo pullus. In ζωοτοκουμένοις, ſive viviparis, natura maris conditionem obtinet: in ὠοτοκουμένοις, feminæ. Sic vero feminam eſſe, hic in laudem valet, & naturæ proprium eſt: marem eſſe, ſequioris conditionis putem. Prorſus, cum feminam dico, matrem dico: ſed à matre amplius,

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quam à patre omnis procreatio trahit. Cũ gignit pater, naturę officium implet, & ſola voluptate liberos nanciſcitur; at mater & agit amplius, & patitur: poſtquam concepit, tot menſium faſtidium mollitiemque tolerat; Veneris ſuæ pondus in moleſtiam, cruciatum, & dolorem fovet; pariendo, lactando, nutriendo benigna eſt, ſæpiusque fit mater. Sic vero in ovo naturam velut matrem agnoſcas; atque adeo primo aſpectu eſſe quod ames, Formam examina; quid perfectius abſolutiusque objici oculis poteſt? colorem penetra; quid venuſtius pulchriusque? Et forma quidem dignitatem ſuam habet: non aſpera, non horrida, non inciſa eſt; ſed lævis, teres, & velut pumice expolita: nec rotunda prorſus (de Gallinis hic loquor) ſed tanquam præſtantius aliquid effingi debuerit, *faſtigio*, ut appellat Plinius, *cacuminata*. Orbem aut globum proletarius quiſque fingit & exprimit: ſed materiam forcipe comprehenſam reciproco volumine in curvos vertices coarctare, inter torni miracula etiam periti cenſent. Sic quanto difficilius eſt, ovum quam circulum cælo cavare, tanto plus ornamenti corpus habet, quod obliquo gyro ſive limbo, quam quod æquali undique & uniformi periodo abſolutum eſt. In globo etiam productæ molis ambages volo; ut quædam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

velut latera, ut ſummum & imum inveniam; ut varietas ſit, finis tam principiumque deſideretur; imo ut æternitas ſit, & nullo ſimplicitatis vitio decor violetur. At cælum mundumque objicies; globoſum, & tamen pulcherrimum eſſe. Quæſo venia verbo ſit: quemadmodum enim pulcherrimum eſſe aſſentior, ita globoſum nego. Quis coram luſtravit & menſus eſt? Veteres tradiderunt affirmaruntque? ad eoſdem provoco. Licet enim nonnulli philoſophorum, ut eſt apud Plutarchum de Placitis, audaci, ut vere dicam, opinione in globi figuram mundum rotundarunt; alii tamen turbini, alii, inter quos Sanchoniathon Tyrius, antiquiſſimus Phæniciæ ſcriptor, ovo credebant ſimilem. Totam etiam formam in dubium vocabat Epicurus: nec quiſquam verius de tanta machina pronunciavit. Ac ſanè ut nova & admirabili induſtria pænè oculos in cælum nuper miſimus, ſidera per tubum vitreis clauſum orbiculis coram auſi perſcrutari, vanum fictitiumque deprehendimus, quicquid tot ſphæris ac motibus ingenioſa Antiquitas machinata eſt; prorſus ut ad unum iterum cælum, & quid niſi ovum? cogi Mathematicorum ſubtilitas videatur. Non fruſtra igitur, quod in Plutarcho, & Macrobio legimus, ſacratum Orgiis ovum myſtica religio coluit, & velut

mundi ſimulachrum celebravit. Etenim ætheriæ forma domus ſpectata fuit, & gignentis omnia naturæ expreſſa in ovo conditio: quaſi compendium univerſi deſignari hoc avis ſeminario potuerit: mundus ovi imagine; & ouum mundi. Siquidem Orgiophantæ, tanquam è naturæ myſteriis educta ſuperſtitione, colebant ovum, notabant mundum, & vitæ velut ſemen atque elementum venerabantur. Hominem qui maxime laudare voluerunt, μικρόκοσμον, ſive parvum mundum appellarunt: ſed ejuſmodi ovum eſt, ac poſſis encomii compendio eundem hominem magnum ovum, nuncupare. Nam ille ut mundo ſe parem aut ſimilem reddat, hoc ſe dicit eſſe quod ovum eſt. Ego penitus ſic exiſtimo, non aliam ob cauſam cæleſti forma ovum creari, quàm quia ipſum cælum ovum eſt. E Deorum domo, qua nihil ſublimius eſt, ſimilitudo derivatur; ut in fragili teſta divini aliquid ineſſe credas. Ac ſane cum nullum animal (quemadmodum obſervare licet) Gallina frequentius erigat caput, cælumq; ſpectet, indicare ipſa manifeſtiſſimo videtur ſigno, unde concipiat. Cœlum videt & cum non intelligit, implente negotium ſuum natura, fœcundo partu quotidie exprimit. Quid amplius? mundum naſci poſſe, quem *neque genitum, neque interitu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

rum unquam multi crediderunt, in ovo videmus. Atque hæc de forma obiter notare libuit, quam in reliqua fere natura expreſſam & ab omni propemodum arte adoptatam eſſe, paullo poſt oſtendam: nunc, ut ſuum Oratio ordinem ſervet, Color inſpiciendus eſt; qui an merito laudari poſſit, hinc conjice: relucet. Nihil candore ſpecioſius eſſe fatentur omnes: hinc lucem amamus, noctem odimus. Quin Deum ipſum, ut pulcherrimus appareat, puro die velut circum ſcribimus; inferos ut turpiſſimi ſint, denſis cæcisque tenebris ſepelimus. Ovum igitur candidum eſt, & ſic quoque cælum imitatur: nec vehementius quippiam à colore laudare Veteres potuerunt, quam ut ovo præferrent. Candidum, inquam, ovum eſt; & omnes tamen colores admittit: ſcribi poteſt, pingi poteſt, tingi poteſt; & nunc flavum, nunc rubrum, nunc cæruleum patrii ritus faciunt. imo candidum eſt, & ſic pulcherrimum, candidum, & ſic puriſſimum, fauſtiſſimumque. Alio colore nec diadema pingas, nec ad honorum petitionem Romani olim admiſſi. Plenam tamen majeſtatem ſi deſideres, aſſeverare poſſum, purpureo interdum cortice ovum naſci, & inſigne velut regium præferre; imo in omen regni, ſive imperii accipi. Scribit Spartianus, eo tempore, quo natus eſt Anto-

Antoninus Geta, gallinam in aula, ſive olla, ovum peperiſſe purpureum; quod cum allatum Baſſianus frater ejus, adhuc parvulus, acciperet, & quaſi ludens apploſum ad terram frangeret, Iuliam matrem in hæc verba jocatam, *Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti.* Ac ſane occidit poſtea; ut velut divinitus emiſſam putes augurantis, non ludentis vocem. Occidit inquam, & quem vivum noluit, divum fecit. Similiter de Alexandro Severo Lampridius refert, Inter omina imperii habitum ab Aruſpicibus purpurei coloris ovũ quod matri ejus vix puerperæ avicula obtulit recens natum. Sed hæc degenerantis naturæ vitia & errores ſunt. Nam & oves purpureas, vicino velut nomine, natas eſſe, in ejuſdem Lampridii Diadumeno legimus. Nigrum fortaſſis ovum ille proferet, qui talem eſſe nivem ore pluſquam philoſophico dixit. Breviter & abſolute Naturalis Hiſtoriæ ſcriptor: *Ovorum alia eſſe candida, ut columbis; perdicibus; alia pallida, ut aquaticis; alia punctis dictincta, ut meleagridi; alia rubri coloris, ut Phaſianis, cenchridi.* Quæ omina ad corticem, ſive cutem ovi referenda ſunt, quam nucleus velut immenſi pretii theſaurus regitur. Ipſum enim ſi penetramus, novas coloris delicias oculi invenient. In cælo quidem diſtincto lumine Sol lucet, in domo ignis:

ignis:cogita nec Sole ovum,nec igni deſti-
tui.quem ut ſeorſim inſpiciam,partes exa-
mino & velut ſejungo;corpus in membra,
mundum in elementa. Vniverſum igitur
ovum,ut forma ſua & colore definitum eſt,
partim é teſta, quam nunc putamen, nunc
corticem appellamus, & cruſtam,partim è
nucleo conſtat. Teſtæ membrana adhæ-
ret, & velut involucrum : nucleus in albū-
men & vitellum diſtinguitur : & in hujus
medio, ut ſcribit Plinius, parva ineſt velut
ſanguinea gutta, quod eſſe cor avium exi-
ſtimant,primum in omni corpore id gigni
opinantes. Teſtam nonnunquam mollem
eſſe mirum ſit,niſi imperfectam adhuc cen-
ſeas:ſed duplicem quoque eſſe animadver-
ſum eſt : intra corticem albumen, & intra
albumen corticem.ubi id inprimis diffici-
le,quomodo durum ſub molli cogatur.Al-
bumen verò alii alborem & liquorem al-
bum,alii candidum ovi,& candorem;Grę-
ci ſimiliter λευκὸν τοῦ ὠοῦ,& λεύκωμα nomi-
nant,quod geminum aliquando naſci non-
nulli tradunt, & membranula interius di-
ſtingui.Vitellus à vita dicitur,quę non qui-
dem pullo,ſed potius homini accedit.à vi-
ta, id eſt alimento vitæ. etenim ſine cibo
nemo viuit;& ſic quod alit maximè,vitam
quaſi donat.Olim nonne vitæ ſymbolum à
cibo victuque fuit? Hinc quidem quercus,
humani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

humani generis prima altrix, coronam prę-
bebat civicam; & qui ſervatus erat, non cer-
tius acceptæ vitæ ſalutiſque ſignum dabat,
quam quod in totam famem aliquando ſuf-
fecerat. Malo igitur, ne vitellus ignoretur,
ab homine vitam, quam à pullo derivare.
Ac ſanè, quia plura in cibum ova, quam in
avem natura deſtinat; imò quia nonnulla
fœturę inepta ſunt & irrita redduntur, quip-
pe citra coitum generata; tanti pretium no-
minis nutrimento potius, quam generatio-
ni adſcribendum eſt: niſi id omnino fateri
volumus, quod abſurdiſſimum eſt, in ovo à
gallina adhuc virgine edito vitellum non
eſſe: id enim nullo unquam incubatu, nullo
calore in pullum matureſcit. Ideoque con-
trarii effectus ſunt: quippe ſub matre cor-
rumpitur, ſed cum cibus fit, alit: in nido
putor eſt, in corpore humano vita. An di-
cam? longe purius meliusquę ovum eſt,
quod patrem non agnoſcit: Imo an dicam?
hic Venus immunda eſt, & inficit. Quin
etiam, ſi Plinio credimus, non aliam ob
cauſſam vitam à vitello pullus poteſt cape-
re, quam quia nutritur. Ipſum enim animal
ex albo liquore ovi corporatur; cibus ejus
in luteo eſt. Si igitur vitellus eſt quia nu-
trit, hominis potius cauſa vitellus eſt, quam
animalis. Vires modò vitelli noſce, & in no-
men, quemadmodum explicui, conſenties.

A colo-

A colore vero luteum ovi, quemadmodum ipſe vitellus croceus, & Græcè χρυσὸς τοῦ ὠοῦ appellatur. Admirabili igitur ordine compactum à provida natura ovum deprehendis in ipſo meditullio luteum latet; illudq; interdum geminum; & maternum terræ officium imitatur, alit enim: albumen circumfuſum eſt, quem ovi velut aërem poſſis nominare: putamen extimum ſummùmq;, & imaginem cœli habet. Ita quidem Varro apud Probum Grammaticum: *Cælum eſt teſta: item vitellum ut terra: inter illa duo humor quaſi in ſinum eluſus aëri, in quo calor.* Contrà tamen Medici veteres ſola elementa complexi tradidere, Cruſtam ſive corticem velut terram eſſe, & areſcentis naturæ vim in frigore præferre. Liquorem deinde frigidum humidumque aquæ ſimilem eſſe. aëri quod ineſt ſpiritoſum, calore & humore mixtum. Denique luteum, quia calidioris aridioriſque naturę eſt, cum igne comparari & conſtitui, tanquam puriſſimum ſit, & flammam ipſe color loquatur. Hinc igitur obſervatum eſt, vitellum intima caloris facultate facilè percoqui ac dureſcere tardius albumen, quippe frigidum aqueumque. Item ovum igni toſtum citiùs diſſilire, quàm elixum aquâ: iſtic enim vi ignis teſtam velut ferruminari, imò rumpi; quia difficilem exitum ſpiritus inveniunt:

hîc

hîc laxari poros, vaporeſq; ſine vitio putaminis exhalare. Præterea corruptum urinumque fluitare, integrum ſubſidere. illud enim aqueſcere contabeſcendo, ſpiritibuſq; augeri: hoc pondere ſuo & ſoliditate trahi. Quemdmodum & circa cadaver uſu venit: id enim ſpiritu deſtitutum primò fundum petit, & in imo deliteſcit; mox ubi computreſcere cæperit, emergit ac natat. Sic verò & in ovo velut cadaver habemus, ſed corrupto; hominiſque fatum hæc imago, hoc ovum ſuſtinet, quoties tabeſcit ac moritur. Moritur ovum, nec colorem ſervat: & ut ſcias, in hoc naturæ miraculo meras tenerrimaſque delicias eſſe, nihil tam facilé perit, quàm quod præſtantiſſimum eſt: ac tale eſſe debebat, quod tantâ cuſtodiâ ſervaretur, albumine cinctum, membranâ clauſum, teſta munitum: imò tale eſſe debebat, quod auri colore dignum natura judicavit. Ergo non in terrâ tantum, ſed & in ovo habent mortales quod ęſtiment: quàm pulcher vitellus, tam quoque pretioſus eſt: pulcher ideo, quia pretioſus. Has divitias ſi intellexiſſet Rex Mydas, & aurum inveniſſet & obſonium: nunc quemadmodum cupiditate cæcus fuit, ita fame periit: & vovendo egit, ut ditiſſimus & ſimul miſerrimus eſſet. Medullam cùm dico, dignitatem exprimo. Ovi luteum, medulla ovi eſt,

pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

pars optima, quia intima. Medulla inquam, ſed mollius teneriúſq; à natura hic collocata, quam in homine atq; brutis videmus, quæ duriſſimis concluſa oſſibus, vitæ vigoriſque ſui elementa circumferunt, turpi colore velut ſanguine maculata. In ovo, ut delicata omnia, ita diſtincta & venuſta ſunt, ac prorſus virginea. Putes in argento aurum, in aquâ ignem: in cryſtallo chryſolithum, in nive crocum, in vitro electrum, in lacte purpuram natare. Sive igitur formam, ſive colorem examinemus, nihil pulchrius ovo: omnium quę amare & æſtimare poſſis imaginem continet. Repeto voces meas: Nihil pulchrius ovo: mundi ordinem, elegantiam & ornamenta habet. Imò augeo voces meas: Nihil robuſtius ovo. *Firmitas putaminum*, ut verbis Plinii utar, *tanta eſt, ut recta, nec vi nec pondere ullo frangantur, nec niſi paululum inflexa rotunditate.* Qui nervos & firmitatem corporis jactent, hoc certamine exerceri ſolent, ut confringant ovum. Conantur etiam, & ſtrictis nexisque digitis utrumq; cacumen valido palmarum niſu premunt, ſed quid? ut fruſtra ſint, & vires humanas à fragili teſta vinci fateantur. Putares ſub ipſis manibus ovum in marmor commutari. I nunc homo, & robur jacta: tenuiſſimum corticem non dicam contērere, ſed ne commovere quidem potes.

Quid

Quid dicam niſi ludere naturam, mortales verò illudi? Quod tenerrimum eſt; firmiſſimum tamen exiſtit. nihil faciliùs læditur frangiturque, nihil pertinaciùs reſiſtit. Miraculum ſi quis velit, hîc habet. Nullum vitrum ovo fragilius eſt nullum tamen æs, nullus chalybs durior: levi caſu aut colliſu vulnus capit & effluit; & vim tamen omnem è tranſverſo illatam ſuperat. Si patres has concedis ovo, dixerim in capite pedibuſq; tantum robur eſſe. Cauſſam verò natura conditioq; ligni non obſcuram ſinet, quod frangi tranſverſim poteſt, rectâ non poteſt. hîc enim quia longitudo fit craſſities, prementi reſiſtit, quicquid extenſum eſt, & in unum robur coaleſcit ac conſpirat, Subtilior ratio à poris ſumatur, qui nervis ſuis, ut ſic appellem, diſtincti, ſecundùm longitudinem, non craſſitiem excurrunt. Rupturam igitur compreſſio facit, cùm in inane incidit; ſed ipſa inanis eſt, cum in ſolidum nititur, etſi procurrentibus poris & velut comitibus interſtinctum. Vtcumque iſta ſunt, mira ſunt: ſed idem ovum & duriſſimum & molliſſimum eſſe faciliùs credas, ſi fortaſſis quod optimum eſt fieri peſſimum poſſe pronunciem. In hominibus id ſive ingenii, ſive educationis pravitate contingit, quorum aliqui boni ſunt, plures mali, & ſic tamen bonos ipſi mali commendant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Ovum optimum eſt, cùm recens: contrà peſſimum: cùm vetuſtum & grandævum. Dicam potiùs, jam deſiiſſe ovum, poſtquam factum eſt peſſimum; imò nec eſſe, poſtquam malum eſſe incœpit. O pugnantem naturæ indolem! etenim aliis rebus cùm pretium mora temporis addat, hic adimit. Nihil eſt quod difficilius ætatem ferat, & ſimul bonitatem inducat: quia puriſſimi tenerrimiq; ſucci eſt, mora corrumpitur: ut natum eſt, ſenium timet; ut cœpit, perfectum eſt, & niſi in uſum eſumq; mox denaſcatur, jam ſponte deſinit ac computreſcit. Quid ſi & conſenuiſſe dicam, ut è matre natum eſt? Teſtam vide, calvitiem loquitur: & niſi avem ſperes, pędorem, putredinem, ſordes alis, aurumq; in venenum commutabis. Et tamen quid fœdius? ſunt qui hoc agant, qui in menſes imò annos horarium & impatientiſſimum ætatis cibum torro fœno ſtipent, & corbes impleant. Scilicet, ut ſuaviſſimi alimenti copioſior merx ſit, annonam è diario faciunt: vendunt ova, poſtquam ova propemodum eſſe deſierunt: digni mehercle, ut ſorbeant, quotquot corrumpi ſinunt, vel certè ut corruptis lapidentur. Quanti apud Belgas omnes pretii butyrum ſit, nemo ignorat: hujus igitur (atq; utinam non rancidi!) quia annoſæ in forum & inde in culinam obbæ ollæq; veniunt,

niunt,audent omnes pari ætate ova ferre. Credo & his ſenium ſalſugo ſive muria faceret ; niſi credita eſſent ſale exinaniri. Veteres an prætereo? egerunt quod accuſo. *Alii* enim,ut Columella ſcribit, *ſalibus integris ova adoperiunt,alii muria tepefacta durant.*atq; hæc ταριχηρὰ ab Alexide nominata. Sed quid addit Columella? *Omnis ſal quemadmodum non patitur putreſcere,ita inanit ova,nec ſinit plena permanere , qua res ementem deterret.* Servari tamen *in lomento, aut hieme in paleis,æſtate in furfuribus,utiliſsimum* cenſet Slinius : aliis ſolida aut etiam freſa faba tegi , ut eſt apud eundem Columellam. Sed parum eſt, inveniri homines, qui requieta putidaque vendunt : amplius dicam : inveniuntur , qui ut teruncium ſeponant , emunt : & digni hi quoque ut quoties putamen ſorpturi rumpunt, pullum inveniant, talemque prorſus guſtent cibum,qualem vel odor ipſe damnat. Sed nos quidem ſi aliter animati non ſumus, in naturæ liberalitatem peccamus. quia namque nimis fœcundæ gallinæ ſunt , avari & maligini ſumus: & quia quotidie pariunt , numerum colligimus, & annonam conſtipamus. Non fruendo agimus, ut perfectiſſimum naturæ munus deſtruatur. Flos enim ille & vigor nuclei poſt paucos dies langueſcit , mox exſpirat,denique computreſcit. Interim vero pennatæ illæ matres *omni tempore* (Plinium

audditis) *præterquam duobus menſibus brumalibus pariunt oua. Ex iis juvencæ plura quam veteres, ſed minora, & in eodem fætu prima ac noviſſima.* Eſt autem tanta fœcunditas, ut aliquæ & ſexagena pariant, aliquæ quotidie, aliquæ bis die, aliquæ in tantum, ut effœtę moriantur. Fabulator Phrygius (neq; enim pigebit ad leviſſimum Sapientiæ genus deſcendere) fœcunditatis hac imagine avaritiam humanam perſtrinxit. Mulier vidua gallinam quotidiano fœcundam ovo nutriebat: rata verò, ſi plus hordei præberet, bis parturam die, alimentum auxit. Sed gallina pinguefacta ſtultiſſimum mulieris votum eluſit: parere deſiit. Neq; remota aut obſcura epimythii verba ſunt. Solent enim, qui ob avaritiam plura appetunt, etiam quæ adſunt amittere. De aureo ovo in fabula quoq; eſt, quod parere gallina potuit: avarus theſauro inhians, ut metallum tolleret, gallinam eviſceravit. Sed cum nihil præter naturam gallina haberet, cupiditas damno fuit: cùm aurum avarus quæreret, ne gallinam quidem habuit. Sic Gallinarii, & ovorum propolæ agunt: perdunt ova, quæ in quæſtum ſervant. Quid malum! vendant recentia, ut ſciamus ova eſſe. Nunc ad ſolem & flammam itur, ut minùs ſaltem mala arbitrio luminis explorentur. Credere non potes

bona

bona eſſe, de quibus dubitas an recentia ſint imò non mala dicis, quæ in pullos adhuc non coiverunt. O lepidam ſcenam! injuriæ ſoror hic quoq; fraus eſt. mulierculæ verſipelles è toto acervo etiam putidiſſima ſolent eligere, in ſinu interq; ubera calfacere & favore, mox proferre & obtrudere, tanquam à matre nova, & nido calentia: nec omnino mentiuntur. Sinus ille nidus fuit, & ſibi mulier, ut gallina eſſet, ovum ſuppoſuit. Cogitare bis natum eſſe, quod tum deniq;, ubi computruit, recentiſſimum habetur. Sed quoniam de forma partibuſq; diximus, nunc quò ſeries orationis ducit, Diſcrimina videamus. Nam quod pulcherrimum eſt, varietas quadam natura diſtinxit: quemadmodum quod optimum, corrumpere avaritia potuit. Debiliſſimum eſſe, & frangi non poſſe, admiratus ſum, & viam velut ad majora ſtruxi. Præmitto etiam, ovum ovo, quod de lacte, aqua, ape dici ſolet, ſimillimum eſſe, & diſtingui tamen: item gemino faſtigio cacuminatum eſſe, & conſiſtere tantum conſuetudo non oculorum tantùm, ſed manuum poteſt. Itaq; erectum in plano ſtare ovum, quidni credas? poſſum collocare. Ita dico, poſſum collocare. non ut ille novi orbis inventor, qui teſtæ caput leuiter in menſam alliſit, & apta imagine obtrectatorum linguas repreſſit:

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

non profectò. Nam ille hoc ipſo confeſſus eſt, tam arduo labore antipodes quæri ovũ ſtatui, & fallaci aſtu peregit, quod aliter fieri poſſe deſperarat. quotquot naſcuntur ova, locabo integra & illæſa: haud aliter quam nucem, glandem, pyrum, ſolemus. Experiatur quicumque volet, facile inveniet, quod ἀδύνατον exiſtimarit. Etenim tanquam cælum & ſidera amet, ovum erigi ſe patitur, manuiq; ſtatuentis morem gerens, faſtigio innititur, & onere libratum velut quieſcit. Parum hoc: recipit pondus quodcumq; & ſuſtinet, & hac potiſſimum parte ſtare poteſt, qua firmiſſimum eſt, & omnino frangi nequit. In ſimilitudine vero differentiam eſſe, curioſi oculi obſervarunt. Ac ſane *Deli fuiſſe olim complures* Cicero credidit (neque pigebit verba ejus referre ex Academicis, & à Nonio citata) *qui gallinas alere permultas quæſtus cauſſa ſolerent: hi cum ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant.* Minuta quidem obſervatio, ſed obſervatio. Vel enim aliquod formæ diſcrimen pro natura aut magnitudine gallinæ erat, vel certè in ovis ſingulis aliquid illi diſtinguebant, quod internoſſe unuſquiſque non poterat. De colore quid attinet dicere? non eadem nive omnia albicant: ſic homines diſtant, ſic ſtellæ lucent, ſic dies ipſi diſtinguuntur. In magnitudine

& forma

& forma idem eſt. Nam alia aliis manifeſta obſervatione majora aut minora ſunt; alia aliis magis minùſve ſive acuta ſive obtuſa; quædam longiora, quædam rotundiora: his venter tumet, his vertex coarctatur; tanquam membra videas, putes variari. Sic verò naſcendo fiunt, formamq; cortex ſumit cum egeritur, & ſimul dureſcit. Nam, ſcribente Plinio, quem hac in re, quàm Ariſtotelem ſequi malo, *exeunt à rotundiſsimâ ſui parte dum pariuntur molli putamine, ſed protinus dureſcente, quibuſcumq; emergunt portionibus*. Sic igitur & à ſapore, qui formam ſequitur, diſcrimen eſt. Etenim emendatioris ſucci longiora perhibentur, quia marem edunt; vilioris rotundiora, tanquam ſexu deficiant: quod nec Romanę fidicen lyræ olim ingnoravit.

Longa quibus facies erit ovis, illa memento
Vt ſucci melioris, & ut magis alba rotundis
Ponere: namque marem cohibent calloſa vitellum.

Subſcripſit huic opinioni Plinius, auctoremque laudavit: alii quoq; Plinium ſecuti, ſive non animadverterent, ſive negligerent quæ Ariſtoteles tradiderat, ovi naturam Latio concluſerunt. Sed nos reliquas differentias, an laudes dicam? perſequamur. Nam quicquid hîc varium eſt, admirandum eſt, ſuaq; indole ſe commendat. imò quicquid hîc vile eſt, rarum eſt, pretiumq; à natura habet. Eſt igitur Decumanum ovum,

& contra Nanum, ſive parcum. Decumanum non ſimpliciter, quia maximum, ut decumanum ſcutum, decumana porta, decumanus limes; ſed quia poſt decimum majus naſcitur, & velut in toto numero eminet. Etenim quod in mari videmus, cùm

Vaſtiùs inſurgens decimæ ruit impetus undæ,

id ubique natura agit, ſed in ovo præcipuè exprimit. decumana ubique ſunt, & inter decumana ipſa ovum decumanum eſt. Iam verò Nanum, ultimum cujuſque fœturæ cenſet, & ab hoc uterum gallinæ claudi. Nanum, ſed tamen ovum: nanum, & ſic magnum: quippe in tam puſilla quoq; formâ mundus eſt. Decumano quid ni δίδυμον, ſive geminum adjiciam? & hoc magnum meritò videatur, imò magno majus: molem pretium ſuperat. Et quanta hæc fœcunditas naturæ! quanta benignitas! tanquam ſatis non eſſet ovum naſci, δίδυμον, procreatum eſt; & cum nihil præſtantius haberetur ovo, geminari tamen ſub eâdem teſta luteum potuit. Vnum duo eſſe poſſe, & duo unum, quod nemo hactenus calculatorum ſcivit, hîc ſine myſterio diſcimus. Atq; ejuſmodi Ledæ ovum fuiſſe crediderim, è quo Caſtores natos eſſe Antiquitas putavit. nec immeritò: Cygni concubitus perfectiſſimo dignus erat ovo. Sed qui cum Dioſcuris Helenam ex eodem ducunt ovo, tergeminum ſive τρίδυμον fingunt. Sic Auſon:

Iſtos

Iſtos tergemino naſci quos cernis ab ovo,
Patribus ambiguis & matribus aſſerenatos.

Atque hoc illud triplex eſt, quod idem in Gripho ternarii numeri exprimit,

—— Triplexq́; Helenes cum fratribus ovum.

Sed quid dicam? deſiit jam Iupiter mœchus eſſe, deſierunt & homines & dii ex ovo naſci, ſeu gallina incubet, ſeu mulier foveat, è teſta non niſi pullus prodit: pullus, ſed qui ſatelles tamen Martis appellari meruit. Viri quoq; ſtrenui, & ſub pellibus nati, ad arma & bella educati laudari non poterant, niſi ab ovo peteretur encomium, & pulli dicerentur: videlicet jam armati erant, priuſquam in lucem venirent. Vna teſta, ſive cortex & loricam, & galeam, & ſcutum, & thoracem faciebat. Sunt tamen

Et viles pulli nati infelicibus ovis.

An quos alba Gallina non peperit? ita Iuvenali viſum. Ergo & infelicia quædam ova ſunt; ſed quibus felicia diſtinguamus. Sunt, ut ſemel dicam, irrita, ſive ſubventanea, Græcè Zephyria, hypenemia, ἀνεμιαῖα; quę ſi pullationi apta eſſent, aliquod etiam hominum genus producerent, quod tumidum turgidum, & inflatum diceremus. Sed pulchrè rebus natura conſuluit, Zephyria omnia ſterilia atque abortiva fecit: faſtum ſuperbiamque naſci ab ovo noluit. Sunt & urina, quæ ab incubatione relicta: tanquam jam præſagiat mater, indignum luce fœtum fore; monſtrum non pullum gigni. Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quoq; in ipſa incubatione quædam animata, quędam ſilentia ſunt: de quibus ne nimis minuta perſequi videar, ſilere & ego conſtitui. Poſt naturam igitur non minùs varia culina eſt, & artifex coqui manus. Hinc dura, mollia, ſorbilia, elixa, ſive ἑφθὰ; frixa, ſive τηγανιστὰ; aſſata, ſive πνικτὰ; ſecta, ſive ἡμίτομα. & erit hodie quoque magirus, qui ſexcenta è ſolis ovis fercula conficiat, & quantum ad Luxum ſatis. Quid mirum? dabo ego convivam, qui unâ cœnâ ſorbere xxv. poterat, & tamen eſurire. ergo huic homini hecatombe ovorum opus erat, cujuſmodi ferculum apud Athenæum Ephippus nominat, & cum bellariis devoratum. Dimidio ovo conſtringi cammarũ piſcem, notat Iuvenalis, & *exiguam feralis cœna patellam* nominat: ſecto coronari lacertum, Martialis: alibi lactucis, aliiſq; cibis jungit. An dicam? Nullum habet cibum, qui ovum non habet: imò an dicam? Omnem habet cibum, qui ovum habet. Quid verò in omni menſâ melius, paratius, mundiùs, ſecurius? & lubet ordine breviterq; percurrere. Primùm nihil melius: totum in nutrimentum & purum putumq; ſanguinem commutatur. nullum hîc retrimentum, nullæ ſordes ſubſidunt: alit, non onerat, teſte Plinio; reficit, non farcit; venæ, non inteſtina implentur. & quis cibus tam beneficus, tam ad vitam vigoremq; ſubminiſtrandum deſtinatus?

tus? cogita aurum ſine ſcoria eſſe, ignem ſine fumo lumen ſine umbra, aërem ſine nube. Prorſus vitalis ille ſuccus eſt quem laudo, totuſque valet. Vidiſtiſne aliquando oleum igni infuſum, incendi protinus, & in in meram flammam commutari: ſed poſt chartam exuſtam, ſive paleas, ſive lignum, cineres ſupereſſe? ſic ovum eſt, ſic reliqui cibi ſunt. Ergo primum optimumq; ferculum eſt ovum: quod deinde? ovum: quod tertiò? ovum. Sed quemadmodum optimum, ſic quoque paratiſſimum eſt. condimento non eget, & omnibus tamen cibis condimentum eſt. Vili pretio emitur, nullo coquitur: quaſi dicas quod pretioſiſſimum eſt, etiam communiſſimum eſſe, citiuſq; in pauperum caſis tuguriiſque, quam magnatum prætoriis; paſtorum mapalibus, quàm Regum turribus inveniri. Si nutrimentum, non delicias quæris, etiam crudum poteſt edi, ut natùm, ſimul paratum eſt promptumque. Babylonii, quemadmodum Suidas notavit, tam quoque olim ingenioſi erant, ut ova coquerent, licet ignem non haberent. Teſtati, ſine coquo, ſine foco edulium eſſe, præſtantiſſimum cibum eodem quo pugnarent inſtrumento prępararabant. Experiri licet, imitari licet: modum non ſubticeo. In ſilva aut ſolitudine ſi fames urgeret aliuſq; deeſſe commeatus, cruda & ſingula fundæ ova imponebant, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

jugi vertigine tamdiu rotabant, donec cale-fierent & percoquerentur. Iam verò ſi ignis placet, ob ſolam munditiem cibis omnibus ovum præferas: ut ſuapte natura puriſſimum eſt, ita nec coquentium, nec contrectantium manu inquinatur. Fumo non inficitur, fuligine nõ amareſcit, cinere nõ conſpurcatur. Sordibus arcendis teſta à natura circumdata eſt; ſubit ignem & ſuſtinet; aquam, & arcet non dehiſcit, non rumpitur; cum vim patitur, totum propemodum in teſtam indureſcit. Alia obſonia quam varia immunditie nauſeam faſtidiumq; pariunt! ab olla & lance vitium trahunt, ſaporque nativus violatur. Quoties aut ſale acres aut inſipidi, aut crudi, aut aduſti! At ovum etiam ſine ſale ſapit, aut tua manu inſpergitur: ſini igne coctum eſt, ſi recens & ſorbere placeat. Sic apud veteres ſorbilia, liquida & pæne cruda erant, optima, cum à matris utero calerent. Quid etiam? ſupellectili vix ulla opus eſt: cum eſſe placet, nucleum & vaſculum habes, cibum & lancem; imo vero cum bibere potum & poculum, nectar & cyathum. Teſta vas eſt, lanx eſt, poculum eſt, cyathus eſt, & in eodem ovo, ut pulchrè Plinius, atq; adeo in ſolo ovo vis ſimul potus ac cibi eſt. De cyatho, ſive ſcypho, non fruſtra addidi. Pulcherrimum venuſtiſſimumque poculorum ovum eſſe, meus me FLORITIVS RIQVEBOVRG TRIGAVL-

TVS

docuit, ille Suadæ & Virtutis filius,cando-
ris & elegantiarum alumnus , ille miracu-
lum hominis,& quod in laudem gentis no-
ſtræ verto, Belga; ille à XII. ætatis anno So-
phiæ, XIV. Themidis. XVI. Æſculapii my-
ſta,ſed ui ubique in toto ſodalium numero
excelleret ; ille, ut videtis , qui adhuc puer
cōſecutus fuit,quod pauciſſimis viris con-
tigit, qui admirabili ingenio perfecit,quod
ſimul omnes quęritis,qui tergeminam do-
ctrinę laurum accepit,cum adire publicum
Academiæ limen alii primum incipiunt.
θαυμάσιον ac divinum niſi appellem,parum
dixero.Nemo illo facundius dicit,ſubtilius
diſſerit,modeſtius vivit,ſuavius amat. pu-
tes amicis natum eſſe , & huc facundiam,
ingenium , ſtudia denique omnia & vota
conferre.Qui vidiſtis,audiviſtis virum,ad-
mirari pergite , & benigniſſimæ naturæ
prodigium appellare:qui non vidiſtis,famę
longe lateque ſparſę credite;& hunc,quod
nomen indicat , noſtrorum hominum flo-
rem, ſed conſtanti & duraturo vigore eſſe.
Itaque vir tam elegans,tam ſuavis,tam per-
fectus, ut in menſa quoq; haberet,quod ab-
ſolutiſſimū eſſet,ovū in poculum,an pocu-
lum dicam in ovum?commutavit.nec am-
plius ſanè commendare Liberi liquorē aut
ingenioſius potuit, quā ut gallinę lacti cō-
pararet.Nihil ſalubrius vino eſſe jam diſci-
mus : ovo propinatur. Sed ille mihi altiori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ſapientia inculcare ſobrietatem viſus eſt, ut quoties conviva eſſes, & ovum videres, bonæ valetudini & honeſtæ voluptati, & conſtanti amicitiæ ſcires poculũ temperatum. In ipſa quoq; menſa Medicum FLORITIVS agit, ſed ne Amici partes omittat: ſic ſobrius eſt, ſed ut ſuaviſſimus tamen ſit: condimentum ipſe cibis ſermone nectareo addit. Ferculis lautus eſt, & delicatius tamen loquitur. Peream, niſi tota cœna audire conviva malit, quam edere. Atque Floritianum illud Liberi ouum, majori etiam laude dignum cenſeo, quia doctiſſimo antiquitatis exemplo commendatur. Etenim Perſarum olim Reges ex aureo ovo bibere ſolitos apud Atheneum Dinon refert. Sed & Ooſcyphia Myrleanus Aſclepiades nobis gemino inſtructa fundo promit, cujuſmodi Neſtoridem, ſive Neſtoris olim fuiſſe pateram argenteã Homerus canit: tanquam cœli naturam & colorem cerneres, ſed aureis clavis velut ſtellis transfixam, quę δὶα τὸ πυρῶδες puriſſimo metallo ſimiles ſunt ac rutilant: deniq; quatuor auribus anſatam, quam cũ alii vix geſtarent, attollere ſolus Neſtor poterat, ille jam ſenex Dionyſius poſtea Thracius Rhodi, ut ferunt, Neſtoridem fabricatus eſt, collato à ſectatoribus & diſcipulis argento. Item Neſtoridem Capuę dicatam Dianæ fuiſſe Athenæus ſcribit, atq; in ea verſus illos Homericos aureis litteris

inſcri-

inſcriptos. Hoc pulchrum igitur erat. Neſtorem imitari: ovum ille expreſſerat. Ac credo ſane, niſi rotunda forma Sol & Luna reliquaq; ſidera ſe offerrent oculis, orbemque perfectum mentirentur, & menſas, & tripodes ovatos feciſſet antiquitas. Poculum ſaltem aptari debuit, quod totum cœlum exprimeret, ovumque eſſet, & nominaretur, quaſi tum demum felicius mortales biberent, ſi ab imagine ætheriæ domus non abirent. Sed ſatis jam poculorum, à potu ad cibum redeundum eſt, ut qua ſecuritate comedi ovum poſsit, videamus. Etſi omnes omnino cibi in damnum noxamque verti ſoleant, & veneno infici; tanto tamen ſceleri ovum aut omnino ſubductum, aut minus obnoxium videatur. Quid enim? clauſum, munitum, & velut obſignatum eſt: atque ipſum pro antidoto valet. Illæſo & illibato cortice, transfundere in nucleum vim veneni tabemque difficile arbitror: & ut concedam tam ingenioſam mortalium improbitatem eſſe, ut etiam per obſtacula à natura objecta noceat; tamen non minus arduum puto: ovum corrumpere, quam hominem occidere. Verum enimvero ſic corrumpere ovum, perverſitas eſt; ſic occidere hominem, ſcelerũ ſumma eſt, Re bona in rem malam uti, duplex malum eſt. Qui ferro utitur, noxio inſtrumento cruentus eſt, & quia per vim nocet, vitari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

poteſt, qui vitæ alimentum in venenum vertit, priùs naturam quàm hoſtem violat; & quoniam inſidiis patricida eſt, peragit ſcelus quod abſcondi poteſt. Itaque cavendum eſt: non ut omnino totus, ſed ne promiſcue periculo expoſitus ſis, ante omnes cibos Ovum faciet. Hoc utuntur ferculo Principes, & minùs tacitas occultasq; parricidarum molitiones timebunt. hactenus enim nemo, qui ovo perierit, inventus eſt, vino, aqua, lacte, ſale, boleto, pomo, & quocumq; cibo plures extincti. Poſt eſum nunc ad uſum, & hinc ad luſum orationem transferam, & hoc agam, quod præcipuè deſtinaveram. Vſus tam varius eſt, ut unde potiſſimum ordiar, ignorem. Seligere animus eſt, & ex antiquis obiter noſtrique ævi moribus proferre, quæ, ut ſic dicam, decumana ſint, & præcipuè argumentum illuſtrent. Ante omnia igitur ad Religionem antequam ſpectabat ovum. Sic Orgia celebrari, ſic Cerealia, partim dixi, partim adhuc dicam. Religionis verò magna pars, luſtratio ſive expiatio fuit, per aquam, ignem, aërem fieri ſolita, tanquam elementis ipſis opus eſſet, ut innocentia atque puritas haberetur, præcipuum hominis bonum. Iam verò non ſatis aqua, non ignis, non aër expiabat, niſi idipſum ovum faceret, ac velut elementum cenſeretur, quod februum eſſet. Ovum inquam tanta religio-

gione dignum erat, ovum expiabat; ovum purificabat; ovum aqua, igni, aëre præſtantius ſanctiuſque habebatur. Sic luſtrari torum lectulumque Ovidius in Arte indicat:

Et veniat quæ luſtret anus lectumque locumque
Præferat & tremulâ ſulphur & ova manu.

Lucius Apulejus, ut alios omittam ſcriptores, Ovidium, Iuvenalem, Plinium, non ſine ovo abſolutam metamorphoſin ſuam teſtatur, cùm navem Iſidi, elementorum dominæ, dedicatam à ſummo ſacerdote ſcribit; antè tamen *teda lucida, & ovo, & ſulphure puriſsime purificatam.* Sic ſine ovo totum exuere aſinum Lucius non potuit: & quemadmodum nihil majus erat, quam è bruto redire in hominum; ita nihil religioſius, quàm ovo expiationem inſtitui. Magnum igitur crimen, quod, ut eſt apud Iuvenalem, centum luſtrari ovis non potuit. Ad hunc ritum verba Luciani referenda: *Ovum ex catharſio.* Religioni proxima Medicina eſt: ſed hæc vim ſuam in ovo præcipuè oſtendit: imò tolle ovum, & vix medicina erit. De nucleo quid non ſtatuas? ipſum, ut naturæ tradunt myſtæ, putamen ſalutare eſt. Nam in cinerem redactum, & in vino potum, ſanguinis eruptionibus medetur. Comburi autem ſine membrana oportet, ſic fit & dentifricum: nec promptiore remedio aut mundiore pulviuſculo candeſcit oris ſeptum, illuvies ac labes remove-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

movetur. Ovum vide: hoc colore emaculabis dentes, nec pretium impendes.

Reſtrictis forte ſi labellis riſeris,

nitorem, munditiem, candorem, verbo dicam, ovum oſtendes. Idem cinis & mulierum menſes cum myrrha illitus ſiſtit. Quid de membrana dicam? detracta ſive crudo ſive cocto ovo labiorum fiſſuris medetur: etiam tibiarum vulnera, quę curatu difficilia ſunt, ac remediis exaſperantur, conſolidat. Sed nucleum contemplari malo, & paullisper auctoritatem Plinii ſequi. Candido quidem ovi facies illita, ſole non aduritur. Ament ova virgunculæ noſtræ. hac enim ceruſſa ſi utantur, larva opus non erit; oſtendent vultum, quæ ſpectari avidæ: urentem autem Phœbum non exhorrerent. Præterea ambuſta quæcumq; aquis, ſi ſtatim occupentur puſtulas non ſentiunt. Vlceribus verò ex ambuſto cum candido ovorum toſtum hordeum & ſuillo adipe mirè prodeſt. Eadem curatione ad ſedis vitia utuntur: ad pedum rimas ovorum candido decocto cum ceruſſæ denariorum duum pondere, pari ſpumæ argenti, myrrhæ, & exiguo deinde vino: ad ignem ſacrum candido ovorum trito cum amylo. Ajunt & vulnera candido glutinari, calculoſque pelli. Majores vero etiam lutei vires ſunt. Tuſſientibus devoratum liquidum per ſe prodeſt, ita ut dentibus non at-

tingatur:thoracis deſtillationibus,faucium ſcabritiæ. Coctum ut indureſcat, admiſto croco modice, item melle & lacte mulie-ris illitum,dolores oculorum mitigat.Pro-deſt & renibus,veſicæ roſionibus,exulcera-tionibuſque, & cruenta excreantibus. Sic dyſenterici, cœliaci,lienici, aliique à luteo morbis ſuis remedium petunt. Tota ova adjuvant partum,cum ruta & anetho & cu-mino pota ex vino Scabiem corporum ac pruritum, oleo & cedria miſtis, tollunt. Dantur & tuſſientibus cocta & trita cum melle,& cruda cum paſſo, oleiq; pari mo-do. Et quid opus omnia perſequi? *Nullus eſt alius cibus,qui in ægritudine alat,neque oneret*.Sed quia Æſculapio ovum jam con-ſecratum eſt, & medicamenti vim habet, præſtabit omnia, in omnem valebit uſum, quod ſalutem dare potuit.Cibum donat,& hoc parum erat,niſi & domicilium morta-libus præberet. Non hoc dico, in ovo ho-minem habitare poſſe,niſi quis græco mo-re cœnaculum ᾠὸν appellet;aut tantæ ma-gnitudinis inveniri, ut dolium ſive domus fiat, & ſapientiam,ſive ſupellectilem & fa-miliam capiat:hoc dico,homines eſſe,*quo-rum caſæ luto penniſque & ovorum puta-minibus conſtruuntur*. Tales enim Pyg-mæos nobis deſcribit Plinius:qui tamen aut nuſquam ſunt,aut certe parvi non ſunt,vel ideo magni, quia ſic habitant. Omittere

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

non poſſum, ſpatia olim curriculorum in Circo ovis notata. quemadmodum Livius, Diodorus, Caſſiodorus ſuggerunt, ut hinc quidem videri poſſint in Cereali pompa circumferri prima ſolita. Sed quod antiqui in Circo, quid ni in Sphæriſterio nos faciamus? tam pulchre notari pilæ termini ovis poſſint, quam quicquid in Circenſi pulvere ſignabatur. Fauſtum eſt quicquid candor notat: ut exiſtimem eos, qui gemino dies colore diſtinguebant, non alio calculo, quam ovo debuiſſe uti. Sed quia pilæ mentio facta eſt, de luſu ut inſtitueram pariter dicam. Quamcumque luſtrare gentem, Auditores, quamcumqur ætatem, fuiſſe ubique, & eſſe in delicijs atque amœnitatibus ovum reperietis. Sane tractare per oblectamenta paſſim mortales ſolent, pueri, ſenes, mares, feminæ: ſed quiſque ſuo ritu, modo, ingenio. Nemo eſt, qui voluptatem ignoret ovi. Olim non ſine ovo ludi Circenſes, non Cerealis pompa erat. De qua re Varro Ruſticans: *Non modo ovum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus noviſſimi curriculi finem facit quadrigis; ſed ne illud quidem ovum vidimus, quod in cereali pompa ferri ſolet eſſe primum.* In Italia hodie, ut carptim ludicra noſtri attingam ævi, ſic Bacchus tametſi ſobrius laſcivit. Myſteria ova ſunt, & putes hæc nunc quoq; Orgia, imo hæc nunc quoque Cerealia celebrari:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

lebrari: niſi tamen à frugum dea & Proſerpinæ matre ad vini auctorem & Semeles filium præpoſtero ceremoniæ ritu tranſlatæ ſint. Ova quidem, cum ſuavi furore in ſexu mendacium, in habitu peregrinitas placet, pompam voluptati faciunt. Sed his deliciis velut in exilium præſtantiſſimus mittitur cibus, ut ſanctius revocetur: his exſequiis parentatur ovis, quibus abſtinendum eſt. Ergo efflari medulla anguſtiſſimis foraminibus ſolet, florum ſuccus infundi; teſta vero nunc emblemate ornatur, nunc lineis obducitur, nunc ſtellis ſpargitur. Putes ovum in gemmam converſum, & ſic vacuum pretioſius eſſe pleno. Hæc munera in ſinum dominæ amator mittit, hæc miſſilia in populum ſparget. Alius blando jactu feneſtras petit, alius parietes flagellat, alius limina ſalutat: quamcumque formam quiſque dignam putat ovo. Suavis hæc, & interdum ſereno cælo tempeſtas eſt. Quid dicam? Iovis perſonam, ut & Dii jam larvati ſint, ipſe Bacchus ſumit: grandinem hiberna adhuc manu miſſurus, ova jaculatur, ac jam putares in ova grandinẽ ſuccreviſſe. Hic capite ille pectore, iſte manu ictum excipit, nemo tamen læditur: perluitur, & odorem amat. Honoris & Amoris ſignum ovũ eſt. Enarrare omnia, tœdioſum ſit. Paſchale autem ovum nemo ignorat: ubiq; celebratur. Sed lepidum illud, quod intelligo apud Ger-

manos

illud, quod intelligo apud Germanos alibi vigere. Cum poſt eſuriales ferias, ad ova & viſcerationem reditur, in prata exeunt, & curſu certaturi, ova ſportis efferunt. Centum ducenta, aut plura ordine & paſſus unius intervallo in longam lineam locata extenduntur. Hæc ſingula itu redituque in ſportam juxta poſitam properiter unus aliquis infert: meta antagoniſtæ conſtituta, quam interea currendo emetiatur. Certamen eſt, uter celerior ſit; hic currendo, an ille colligendo. Sed ſi ovum rumpit, jam collector priuſquam abſolvit, victus eſt. Iucundum ſane atq; honeſtum ſpectaculum, quod ut imitari luberet, libentius recenſui. Belgæ vero ovi tripudium quoddam habemus paſſim atque inſtituimus. Saltant ſinguli, ſeu pueri, ſeu puellæ, gyroſque lege quadam ducunt. Ovum circulo incluſum, & lignea ſcutella tectum jacet: hanc inter ſaltandum pedibus comprehendunt, & nudato ovo ad numeros circumferunt. Cum fecerunt omnia, eodem involucro rurſus ovum operiunt. Ruptum vero aut læſum velut in pœnam ſorbent. Plura ſunt, ſed brevius abſolvere non poſſum, quam ſi nuces puerorum, ova dicam eſſe omnium. Nunc ut magis etiam ludam, ad Somnia dilabi orationem patiar, ut dormientes quidem ova, at vigilantes inveniamus myſteria. Sed vos interea agite Auditores, quod agi-

tis:

tis:ſilentio velut ſomno opus eſt:hunc vero ſtrepitus omnis violat. Mehercle tam facile frangi oratio quam ovum poteſt. Medicos igitur & pictores primum alloquor. ſi qui adeſtis, favete dicenti: vobis enim peculiari interpretatione propitia ſunt ova, aut me Artemidorus fallit. Non jam dicam, edite, ſed ſomniare ova, quæ præſcribere & præbere decumbentibus conſueviſtis. Datis ſalutem, & ecce felicitatem recipitis: per ſõnium honores divitiæque obveniunt. Rem augebit Medicus, augebit pictor, ſi ovum ſomniabit. Medicus quidem, quia non alio ipſe pharmaco prodeſſe magis mortalibus poteſt; quia vitam vireſque donat. Pictor autem, quia admiranda quadam arta & velut mixtura lucis & umbræ colores animat, vitamque exprimit, quæ & in ovo eſt, & ovi potiſſimum imagine deſignatur. Sed & ovum ad colores facere Plinius alibi teſtatur: *Pingentes ſandyce ſubdita mox ovo inducentes purpuriſſum fulgorem minij faciunt.* Medicorũ Pictorumq; prærogativam pariter uſurpant, qui quæſtum ex ovis faciunt. Quid reliqui? quid vos omnes qui adeſtis & auditis? Si pauca ſomniabitis, fauſta evenient, διὰ τὸ τρόφιμον: ſi multa, curę, anguſtiæ, lites timendæ ſunt. Quemadmodũ enim pulli ex ovis nati ruſpari pedibus terram ſolent, & eruere quæ latebant: ita fortuna eſt, & ſæpe quæ ſepulta velles in lucem

protra-

protrahit, atque malignitate ſua quietem mortalium velut ex tranſverſo turbat. Nicephorus, qui interpretationes ſomniorum ordine alphabeti expoſuit, ova coquere aut tenere indicium vult eſſe mœroris, edere cocta, divitiarum. Idem fere Achemetes, ſed diſtinctius fuſiuſque. Ego tranſire ad exempla malo, & erudita voluptate mulcere aures, quibus jam longiori oratione fortaſſis moleſtus ſum. Somniavit ſervus quidam, ovum ſibi ab hero, ſed coctum tradi: quod ille ſic accepit, ut nucleo uteretur, putamen abjiceret. Quid factum? Prægnans hera erat, & mox filium enixa è puerperio periit. Servus igitur infanti nutricius datur, qui tum demum intellexit, mulieris gravidæ imaginem ovum eſſe, cocto maturitatem fœtus deſignari. maternum corpus vita deſtitutum pro putamine habitum. Sane educandus infans non poterat, niſi abſolutiſſimo nutrimenti ſimulacro, i. e. ovo repræſentari. Somniaverat alius, an apud Suidam Chryſippus teſtatur, è lecti faſcia ovum dependere. conjectorem conſulit: is reſpondet, defoſſum ſub lectica theſaurum latere. Fodit, vas invenit, in quo auri argentique velut nucleum ignota avaritia concluſerat. Lætus inſperato lucro communem eſſe Mercurium voluit, & fucum fecit. Conjectori de ſequiori metallo dedit, quantum eſt viſum. Tum ille venuſtiſſimo dicte-

dicterio ampliorem mercedem exigens, Nihilne, inquit, de vitello? Vas ſane ovum erat, nec poterat niſi luteo aurum, niſi candido argentum notari. Addam, quid amico cuidam meo & ſodali olim ſtudiorum contigerit. is cum Patavii ageret, & domo ſubſidia nummorum exſpectaret, viſus ſibi à tabellario ovum accipere, mox frangere, & nucleo toto corpus perungere. Verum profecto ſomnium fuit. Etenim paullopoſt tranſmiſſa pecunia eſt, quæ partim aureis, partim argenteis conſtabat nummis. atque hoc candidum luteumque ovi erat. Sed quid? vix nummos acceperat & in graviſſimum morbum incidit, quo omne illud aurum argentumq; conſumptum eſt. id enim erat corpus inungere. Nunc poſt ſomnia amœnus etiam ero, & laudibus hiſce velut pompam adjecturus, in tota rerum natura imaginem ovi oſtendam. Tanquam aliter aut pulchra omnia aut perfecta non eſſent, ſic aut fieri aut comparari debuerunt: formam inquam ovi, aut certe ſimilitudinem ſortiri. De cælo quidem, ſuo jam loco dictum eſt: & hoc tamen Deorum domicilium Pythagoras & Democritus ovi nomine appellarunt. Nemo poetarum ut maxime fingeret, veriori imagine ornare ſermonem potuit. quicumque ſic luſit, philoſophum egit. non deuinxit cælum, ſed expreſſit. Elementa ſi inſpicere grave non eſt,

non aliter aëris regiones diſtinctę ſunt, quarum infima gemino velut vertice in æquinoctialem circulum extenditur: media in ipſos polos putes in contrarium ova jacere ac librata eſſe, imminuente rigorem Sole, qua recti ſunt radii, & impuriore ſub axe utroque plaga. Qui Oceanum navigarunt, & audacia pluſquam Herculea orbem terrarum emenſi ſunt, hunc quem incolimus. globum ovi figura ſuſpenſum eſſe, & in Orientem Occidentemq; longiori ſui parte porrectum tradunt. Pleræq; urbes nonne ſic ſtructæ ſunt? nonne quæ in urbibus opera & ornamenta æternitati publica magnificentia dedicavit? Olim quidem Amphitheatrum ipſum tam ſpatio ſive arena quam cuneata mole in ovi formã circumſcriptum fuit. Circus etiam ſive hippodromus, qui Soli conſecratus, naturæ miniſteria, ut cum Tertulliano dicam, ſpectaculorum compoſita imaginatione luſit, in ovi lineam flexit aurigationem, ut toties ovum eſſet, quoties curreretur. In ipſa Circenſi pompa nonne ovum fuit? Oſtendi. Sed & factiones quadrigariorum gemino primum colore diſtinctæ & nominatæ erant, ut ſic velut ovi partes pingerentur. Colore inquam albo, ruſſeoque. Vnde Albati & Ruſſati qui aurigabant, non certamine tantum, ſed veſte, ut propriè dicam, factioſi. quos ſi componeres, ſignificare poſſes,

quic-

quicquid gallina parit. Circus ſeptumq; velut teſta erat, reliquum ovi utraque inſigni ſuo factio repræſentabat. Sed cum ovum dico, mundum, & hic & peculiariter annum intelliges, niſi ſuperſtitionis myſteria imperitè Tertullianus vexarit, De ſpectaculis: *Aurigis coloribus*, inquit, *idolatriam veſtierunt, & ab initio duo ſoli fuerunt, albus & ruſſeus: albus hiemi, ob nives candidas, ruſſeus æſtati, ob Solis ruborem voti erant. Sed poſtea* (lubet enim adjicere) *tam voluptate, quam ſuperſtitione provectâ, ruſſeum alii Marti, alii album Zephyris conſecraverunt: praſinum vero Terræ matri vel Verno: venetum cælo & mari, vel Autumno.* Ergo praſinus venuſque acceſſere.

De Praſino Conviva meus Venetoq; loquetur.

In qua re obiter tamen diſſentit Caſſiodorus, qui praſinum virenti verno, venetum nubilæ hiemi, roſeum æſtati flammeæ, album pruinoſo autumno dedicatum ſcribit. Sed hæc fortaſſis à ſtructuris abeunt: in quibus ovi potiſſimum imaginem, non colorem expendebam. Græci igitur veteres, ut eſt apud Athenæum, ſic ædificare cœnacula ſoliti ſunt, atque etiam nominare: quid niſi pulcherrimam aptiſſimamque humanis uſibus rati formam, quæ maxime naturam, id eſt, ovum ſequeretur? Quare ὤια erant, quæ poſtea ὑπερῶα dicta. nec alio errore audax fabula fuit, Helenamque ex ovo prognatam poeti-

poëtico prodigio divulgavit. Ædepol decepti fuere non minus qui id traderent, quam qui crediderunt: imo verò decepti non fuêre, niſi intereſſe dicas, & tantum non portento diſtingui, ex ovo, an in ovo quis naſcatur. Helena quia in ovo, id eſt cœnaculo nata eſt, ex ovo prodiiſſe credita; & pro Tyndaro Iovem invenit patrem: Quid? Cygnus fieri adulter debuit, & in deo turpiſſimum crimen excuſare. Relinquo nunc iſta, & hominem intueor, quem & corpore toto, & membris omnibus aut ovum eſſe, aut ex ovo fatearis. Etenim naſcendo quiſq; & ubiq; quemadmodum dixi, ᾠὸν ſive ὑπερῷον faciet. Et primum quidem præſtantiſſima ſenſuum inſtrumenta velut ſe ingerunt, oculi, lingua, aures. Etenim vides velut ovo, loqueris ovo, audis ovo. Scrutare oculum, hoc eſt quod dico: os & linguam, deprehendes ſimilitudinem: aurem deniq; pari ambitu deſcriptum capreolum orbiculumque invenies. Et quid mirum ſic partes eſſe? ipſum caput eſt, & à vertice velut planiore faſtigio in mentum ovi imagine acuitur. Sic quod natura egit, ſequi & ars ſolet. Pictor ut vultum hominis, ſive lineis ſive coloribus conſtituat, ab ovo orditur. Ipſa quoque pictura vultus ut fundum in tabula ſpatiumque habeat, venuſtius ovi, quam circuli, aut quadrati termino, velut horizonte claudi ſolet. tanquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

quam non aliam formam ornamentum amet, quàm ipſa jam imago adepta eſt. Etiam in homine eę partes ova dicuntur, ſine quibus vir nemo fuit. Galenus certè in libello Iſagogico didymos teſtes, appellavit. Didymon igitur tibicen, ut in Gręcorum eſt monumentis, non alienam ab hac imagine dignamque crimine ſuo pœnam ſuſtinuit. Etenim in adulterio deprehenſus, ἐκ τοῦ ὀνόματος ἐκρεμάσθη: *ex nomine ſuſpenſus eſt*. Quippe ἐκ τῶν διδύμων, i.e. è teſtibus. Hæc liberioris ſunt commatis: ad manus tranſeo, velut præcipuum, ut Iſidorus appellat, corporis munus. Has à carpo ad extremitates digitorũ circumſcribe, ovum habebis. Sic & ungues ſunt, & alia fere (ne orationem extendam) membra. Totum verò corpus ſi anſatum ſtatuas, ovi linea includet; quemadmodũ plenum propemodum circulum extenſa brachia dare ſolent. Iam & cranium hominis manifeſtum velut ovum eſt. Ac venuſtè quidem Nicias poëta, ut rideret effeminatum & calvum, ὠὸν, inquit, ἅπας γέγονεν: *Ovum totus factus eſt*. Molle in canitiem non ferens, fuco tingere capillos non deſinebat: ſed cum ſic continuum cum naturâ negotium eſſet, neque nives capitis vinceret, hoc egit, ut vitiata cute capilli deſluerent, Neſcio tamen an dignus, ut ovum fieret certè calvum eſſe, malum non eſt: ſic fieri, vitium puto. Recte ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

ĉte vero: non invenit laſcivia crines, quia tinxerat. Sic puniri debuit, qui formæ decus in florido capillitio collocaret. Hominem & partes ejus præcipuas vidiſtis: quæ infra hominem ſunt, & partim natura, partim induſtria conſtituta, ovi paſſim videntur imagine inſigniri. Qui in hortis & amœnitate eſtis, ruris & pomonæ delicias expendite. Nuces, glandes, pyra, pruna, corna, mora, & id genus, ovum referunt, aut imitantur: ut non fruſtra Empedocles arborum fructus ova appellarit. Folia quoque, ſi examinamus, ſic fere admirabili naturæ ingenio circumſcripta ſunt, non ſatis colore formoſa, niſi & forma commendentur. Quid margaritis pretioſus? laudantur tamen, quę & forma & magnitudine ad ovum proximè accedunt, candore niveo & longitudine faſtigata, elenchi Romanis vocitati, ut teſtatur Plinius. Quin & Vnionum nomen maxime grandibus margaritis Romani impoſuere bello Iugurthino. Sed inſanit mortalium luxuria circa benigniſſimam naturam. Ovum quærimus in margarita: cum in ovo margaritam habeamus. Placent ſuperbiæ inſtrumenta, corporiſque totius onera, quia per damna & pericula quæri debent: quicquid promptum, paratum, facile eſt, ſtultiſſima opinione evileſcit. Ovum ſi concha clauderetur, & ſuppliciis quoque munitum eſſet, placeret

luxuriæ: ſi ab Indico Oceano, aut ſinu Perſico petendum eſſet, pretio res omnes, & ipſam margaritam vinceret. Sed quid eſt? quod quiſque habet, nemo æſtimat? quo quiſque fruitur, id in deliciis non cenſetur. In ſupellectili quoque hæc imprimis forma placet. ſic pelves, lances, cochlearia fieri ſolent: & hæc quidem dimidiata velut ova ſunt, ut cibo ingerendo longe rotundis aptiora. Neque machinæ abeunt: Naves fere omnes quid niſi ovum repræſentant? inſtrumenta muſica quid niſi ovum? Teſtudinem potiſſimum reſpicio, ſive illam veterem, ſive illam noſtram. nam profecto ſi jugum excipias in noſtra, cornua ſive brachia in veteri, ſciſſum & dimidiatum vides ovũ. Sic ut ubique eſſet ovum, etiam organum fieri Muſarum debuit, & *laborum dulce*, ut ait Lyricus, *lenimen* in ovum commutari. De teſtudine parum eſt. Simmias Rhodius tam ingenioſus fuit, ut & carmen ovum faceret, & Dianæ offerret. Quod & alii deinde viri docti numeris potiſſimum dactylicis imitati ſunt. Carmen factum eſt ovum, ſed Luſciniæ, id eſt, avis *μουσικοδιδάκτης*, tanquam natales ipſius adumbrans Muſicæ, quæ altiori ſtare origine non poteſt, quam ſi ab ovo, id eſt ab ipſo principio deducatur. Hęc igitur omnia ſi magna, aut mira ſunt; miracula, ac pæne prodigia adjiciam, publico

velut ſtupore quodam encomium ſic nunc ſatis decumanum obſignaturus. Etenim qui naturæ occulta ſcrutati ſunt, tradunt, filum medio circumdatum ovo & prunis & flammæ reſiſtere, nec ardere. Sic igitur non fruſtra coronatur ovum: nam quod accepit diadema, in ipſo quoque igni illæſum ſervat ac tuetur. Dureſcere albumen, & prorſus in lapidem, ſi auræ exponatur, experientia docet: volunt & nonnulli luteum. Fortaſſis, quia aliquando ut homines fierent, lapides in ova converſi ſunt, cum magnæ parentis oſſa poſt tergum Deucalion jaceret. Etenim priuſquam rigore poſito formam humanam induerent, in ova emollita ſunt, ac deinceps in corpus ac membra. Sic quidem minus abſurda prima metamorphoſis, ſi non è ſaxo, ſed ex ovo terræ incola prodiret. Prorſus tanquam lapidem jaci ovum nec frangi, ſi in pratum, vel molliorem terram cadat, pueri ſciunt: ſed manu circumacta prius rotare ſolent, celerique motu concluſum liquorem confundere. An dico? Narrant quoque ſubtilitatis myſtæ; in ventriculo bovis inventum eſſe ovum, lapidi ſimile, magnitudine anſerino, colore ferrugineo, leviſſimum leniſſimumque. Quippe ita natura ludit, ut etiam quandoque boves ova pariant. Iam vero ſic emolliri, ut per annulum trahas, aut

urceo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

urceo includas, vis aceti docuit. Candidum calci vitæ admiſtum, glutinat vitri fragmenta. *Vis vero tanta eſt*, (cum Plinio hoc quoque dicam) *ut lignum perfuſum ovo non ardeat, ac ne veſtis quidem contacta aduratur*. Ergo ovo quondam ſi munitus fuiſſet Hercules viciſſet rogum, qui cuncta perdomuit, & centauri dolum, quo in ignē tracta fuit Herois omnia vincentis. Quid venenum poſſet? ovum antidotum eſt: Quid flamma? ovum gelu eſt: niſi tam admirandæ poteſtatis naturam puritati malimus adſcribere. Etenim vis indoleſq; ignis eſt purificare. Sic quicquid recipit, conſumere mavult, quam immundum relinquere. Illæſum vero manet integrumque, quicquid catharíſmo non indiget. Ejuſmodi ovum eſt, purum totum, ſerenum, perfectum, imo cætera purificare natum. Quid februis obnoxium eſſet? nulla hic excrementa, nullæ ſordes, nullæ faces ſunt: ſpiritus eſt, quicquid color diſtinguit, quicquid putamine clauditur, quicquid in cibum benigniſſima natura præbuit. Non mirum igitur, inventos olim eſſe homines, & nunc inveniri, qui ut pulcherrima, & propemodum divina haberent nomina, ab ovo, ejusque partibus appellari voluerunt. Ingenioſus quiſpiam, & Vitellios à Vitello, & Albinos Albutiosque ab albumine deri-

 vabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

vabit. Sed ſatis hæc jam multa : de ovo quodcumque dixeris , miraculum eſt; imo ovum eſſe,hoc ipſum miraculum eſt. Ego, quantum bona dictavit Suada, humanitati omnium veſtræ credidi : non quæcumque fortaſſis dici queunt, ſed quæ loci temporisque ratio paſſa eſt , deprompſi. Nullis laudibus ſatis extolli Ovum , maximum Encomium eſt,& tanquam omnem vincat eloquentię majeſtatem,à nemine hactenus, quod ſciam , celebratum eſt. An mirum? Edi non poteſt(& hinc paſſim ritus legem fecit)niſi ut errorem etiam delictorum peritus timeat:ſic nec fortaſſis laudari poteſt, niſi pariter Encomiaſtes delinquat. Religioſius nemo ſtruxit ferculum;ſepties peccari ſolet:nemo magis arduum argumentum explicuit: mera hæc myſteria ſunt. Si recte expendimus , difficilius etiam dicas ovum,quam comedas. Veſtrum erit, Auditores,hæc tanquam amœna, & ſimul tanquam ſeria amplecti. Qui iucundi eſtis,flores litterarum & amœnitates,habetis ; qui graves & ſeveri,habetis fructus. Ego quidẽ de Ovo quia dixi,nec ab elegantia,nec à ſapientia receſſiſſe videor : pulchrius nemo linguam,nemo ingeniũ occupavit. Etenim quicquid natura benigne protulit,quicquid ars induſtriaque in uſum atque voluptatem humanam imitata eſt,& excoluit, denique quicquid Orbis continet,in Ovo eſt. DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

VLYSSIS ALDROVANDI CYCNI ENCOMIUM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

VLYSSIS ALDROVANDI

CYCNI ENCOMIVM.

CVm de aquaticis modo ſit ſcribendum; à quibus & natare, & navigare homines didiciſſe videntur: Cycnus non ideo tantum, quod Veneris, & Apollinis, quos Iove natos Poetæ fabulantur, ales vulgo habeatur; ſed quod etiam non forte minoribus, quam Aquila, aut Pavo naturæ dotibus perornatus ſit. Eum etenim potius, quam aliam avem veteres Græci, atque Romani, cum & tauros, tragos, Crios, ſive Arietes naves quaſdam nuncuparent ab animalium figuris, quibus earum proræ adornabantur, omnium pulcherrimum ornamentum, aptiſſimumque judicarunt, navis fabricandæ perfectionem, & artem navigandi, ab hac inprimis ave, cæteriſque aquaticis homines æmulatos fuiſſe, atteſtantes. Etenim à collo, pectoreque proram, & carinam, à ventre, & cauda, puppem, & temonem, ab alis vela, à pe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

dibus remos formaverunt. Vnde ſervant adhuc roſtra vocabulum ſuum apud Latinos, navium partes illæ exporrectæ, & acuminatæ ex ære, ferrove in prora eminentes: & vela ſæpius alas nuncupant Poetæ: proinde Maro cecinit; *Velorum pandimus alas*, Heſiodum imitatus, qui olim etiam vela νηὸς πτερὰ, id eſt, navis alas nominavit: ubi & Proclus commentator ab avibus deſumptum hoc ait eſſe. prudentiſſima vero antiquitas, meo quidem judicio, frequentius Cycnum, quam alias aquaticas aves pro ornamento navibus addebat; non tam ob inſignem ejus in natando peritiam, (natat enim celerrime, ut ſuo poſt loco dicetur) quam quod inter eas aſpectu longe eſſet venuſtior, atque navigantibus fauſtus, felixque haberetur. Quippe propter pulchritudinem ſuam, qua contemplantes remoratur, in ſummo ſemper honore habitus fuit, atque etiamnum eſt apud magnates, virosque principes, præcipue in Belgio, Gallia, atque Anglia, ubi aquis perennibus, ac riuulis, qui domus, aut palatia alluunt, enutriuntur; acriterque in occiſores animaduertitur. Innumeri, referente Iohanne Bruverino Gallo, in agro Eugoliſmenſi in Tenurio fonte verſantur, atque educantur opera Regum maximi Franciſci Valeſii ejus no-

minis primi. Agrigentini piſcinam ſummis ſumptibus Geloni tyranno longe munificentiſſimam, atque pulcherrimam, maximamque conſtruxiſſe leguntur, in eamque fluvios, fonteſque deduxiſſe, ac Cycnorum tanquam avium nobiliſſimarum, pulchritudineque & ſpecie ſua ejuſmodi precioſa loca ſummopere adornantium, multitudinem conieciſſe. Eſt enim inter aquaticas omnes longe ſpecioſiſſimus Cycnus: indeque Olor, id eſt, totus pulcher nuncupatur: quam profecto formæ præſtantiam Lædæ fabula egregie innuit; quæ à Iove in candidum Olorem immutato, hoc eſt, candidiſſimam formam induto, compreſſa, filiam toto terrarum orbe formoſiſſimam, Helenam, inquam, illam, cujus amore totius Græciæ heroes, principeſque conflagarunt, ex ovo, quod ex eo congreſſu conceperat, excluſiſſe fertur; Cycneoque illo candore membra ejus perornaſſe: quo ſane ſenſu antiquiſſimus Euripides, Helenæ, ὄμμα κυκνόπτερον, id eſt, formam Cycneam appellat. Et apud Lucianum Paridi quærenti, qualis aſpectu eſſet eadem Helena, reſpondet Venus λευκὴ μὲν οἵαν εἰκὸς ἐκ κύκνου. ἁπαλὴ δὲ ὡς ἐν ᾠῷ τραφεῖσα, hoc eſt, *candida quidem, qualem, conſentaneum eſt, eſſe à Cycno prognatam: tenera autem ut quæ in ovo*

enu-

enutrita fuerit. Et alias apud eundem Lucianum Gallus de Helena loquens, *Vidi*, inquit, *quandam candida & procera cervice, ut hinc Cygno prognatam eſſe adſimularent.* Ita pariter Martialis de fratribus geminis.

Quæ nova tam faciles genuit tibi Læda miniſtros?
Quæ capta eſt Cycno nupta Lacena alio?

Et Pontanus de Eridano:

Candida fluminei mirantur brachia Cygni,
Miratur niveum populus alba decus.

Inter alias modo dotes, quæ in hac alite ſunt quam plurimæ, celebratur tantopere, & à Poetis, & à ſoluta oratione ſcribentibus cantus ſuavitas, à qua nimirum omne melos, omnis alia, etiamſi laudabilis harmonia, atque inprimis ipſa Muſica, Cycnea cantio nuncupari meruit: eoque ſane cæteris aquaticis præſtiterit Cycnus: quod ſolus, teſtante Alberto Magno, graviſſimo Philoſopho, inter magnas, & aquaticas aves muſicus exiſtat. Oppianus autor eſt canente Cygno, Scopulos, & valles reſpondere, omniumque avium muſicum ferri, eoque nomine Apollini conſecrari: canere autem non lugubri, ut Alcedines, ſed ſuavi, & mellito cantu, velut tibiis, aut citharis adhibitis. Verum non ob ſolam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Muſicam Apollini artis muſicæ inventori ſacri habiti ſunt Cycni, ſed quia etiam, ut Cicero, Socrates, aliique graviſſimi voluere Philoſophi, jamiam imminentem ſibi mortem vaticinentur; vaticiniumque ab eo Deo accepiſſe credantur. Quomodo vero futurum interitum præcinant; quamvis fabuloſum videatur, & fide minime dignum, ita prodidit Oppianus Poeta, & Philoſophus: Moriturus ſecedit aliquo, ubi nulla avis canentem audiat; nec Olores alii luctuoſe interpellent; ſi qui forte adeſſent, qui ſimilem vitæ exitum ſibi imminere intelligerent. Socrates quoque apud Platonem Cycnos affirmat, tum magis, dulciusque canere, cum ſe brevi præſentiunt morituros: quaſi lætantes Deo gratias agere videantur, quod ad eum, cujus miniſtri ſunt, migrationem, parent. Addit, homines quoſdam; cum ipſi mortem expaveſcant Cycnos quoque falſo criminari, cantuſque hujuſmodi dicere, doloris argumentum eſſe, quem ex adventante morte conceperint: ſicut ſenſiſſe videtur Lucretius, dum canit.

Cum tuba depreſſo graviter ſub murmure mugit,
Et gelida Cycni, nec torti ex antro Heliconis,
Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.

Sapientiſſimus vero Socrates hoc ideo maxime redarguit; quod ejuſmodi homines

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

nes non animadvertant: nullam eſſe avem, quæ cantet: cum eſuriat, aut rigeat, aut quovis alio afficiatur incommodo: non ita Philomelam nec Hirundinem, nec Epopem, quas ferunt per querimoniam cantare lugentes: Itaque ſibi neque has præ dolore videri canere. neque Cycnos: ſed quia Phæbo ſacri ſunt, divinatione præditos præſagire alterius vitæ bona: ideoque cantare alacrius, geſtireque ea die, quam ſuperiori tempore. Quinimo Pythagoras credidit, Cycnis animam eſſe immortalem: ac propterea lætari imminente morte.

Videntur ſane omnes antiquiores ea in opinione fuiſſe: quod nimirum Cycnus cantu ſuo ſeſe moriturum ſignificet: Nam & refert apud Athenæum Chryſippus, in libro de bono, & voluptate, quendam: quod dicteriorum, facetiarumque eſſet ſtudioſus, cum eſſet à carnifice jugulandus, dixiſſe: velle ſe velut Cycneum cantum, ubi ceciniſſet, mori. Scio multis non duntaxat illud fabuloſum videri, & anilia deliramenta ſapere: quod mortem ſuam præcinat, ejuſdemque incommoda cantus ſuavitate conſoletur: verum etiam, quod cætero vitæ tempore dulciter canat. Erant enim etiam hac in re ambigui, dubiique veteres; ac inprimis Ælianus, qui nempe

 id modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

id modo addubitare videtur, modo aſſerere. Ego ſuo poſtmodum loco veritatem rei indagabo, lectorique ni fallor ſatis faciam. Ælianus vero ſic inquit: Cycnus, (quem non ſolum Poetæ, ſed multi etiam ſolutæ orationis ſcriptores Apollinis miniſtrum faciunt) quid Muſica, vel cantu poſſit, non habeo quid affirmem. Veteres tamen perſuaſum habuerunt, Cycnea, (ut appellant) modulatione decantata, mox eum expirare. Quod ſi ita eſt, liberalior in hanc avem natura, quam in homines bonos, & honeſtos fuerit: nempe his laudem, ac luctum à morte tribuunt alii: Cycni vero ipſi ſeſe vel laude, vel luctu moribundi proſequuntur.

Alibi autem hominibus Cycnum ait præſtare: quia non modo novit, quando ipſe appropinquat, ut moriatur: ſed quod etiam placidiſſime, ac leniſſime mortem ferat, à natura eſſe placidiſſimum donum conſecutum. In morte enim, inquit, nullum acerbi doloris ſenſum ineſſe, ſe in optimam ſpem induxit. Homines autem quod neſciunt, id & exhorrent, & ſummum malum exiſtimant. At olori tanta animi eſt tranquillitas in extremo vitæ ſpiritu; ut ſibi tanquam næniam canat. Canit igitur Cycnus Epicedium, & funebre ſibi carmen; ſive Deorum hymnos decantat; ſive

ſive ſuas ipſe laudes, & ad mortem ſe præparat. Sunt præter ea in Cycno alia ornamenta præclariſſima. Quin ipſemet Philoſophorum coryphæus, & communis præceptor, Ariſtoteles, Cycnum autor eſt, nec probitate victus, morum, prolis, ſenectutiſque vacare. Animi corporiſque robur in hominibus laudatur plurimum: ſed in iis maxime, qui eo non abutuntur: hoc eſt, quidum poſſunt, alios neque opprimunt, neque opprimere ſtudent: ſed ſi ab aliis, quanquam fortioribus laceſſantur, aut ad pugnam provocentur, egregie ſe & defendant, & vindicent. Qua in re mirum eſt, quantum laudandus ſit Cycnus, quæ cum ales ſit, quæ plurimum viribus polleat, nulli ſuapte natura, aut vim, aut injuriam infert: unde tam eleganti, quam appoſito Epitheto Ovidius olores innocuos hoc in verſu appellavit:

Illic innocui late paſcuntur olores.

Cum aquila avium omnium, ac ipſarum etiam rapacium fortiſſima, ideoque regina nuncupata, bellum acerrimum quidem gerit: verumtamen nunquam niſi laceſſitus ab illa, & ad præliandum provocatus; nec æquali tantum Marte dimicat, ſed etiam vincit: quemadmodum perquam eleganter idem Aelianus, qui ſane in hujuſce alitis encomiis celebrandis, fuit plurimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

mus, hiſce verbis teſtatum reliquit. Neque vero, inquit, ad mortem, verum etiam ad pugnam fortis eſt Cycnus, injuria item non laceſſit: tanquam ſane moderatus, & vir prudens, ſic laceſſenti, ac moderanti de animi robore nihil concedit. Cæteræ quidem aves cum eo pacem habent, ac quaſi fœdere devinciuntur: ab aquila vero ſæpe hoſtiliter appetitur, ut Ariſtoteles refert: nunquam tamen vincitur, ſed eam provocantem animi non ſolum robore, ſed jure etiam optimo vincit. Quin & Scaliger autor eſt: ſi Cycni ala pulſetur Aquila, de hac actum eſſe. Non minori laude inſignis illa, quam prædicat Albertus Magnus, verecundia in Cycno animadvertenda eſt: eaque in coitu. Eum etenim perhibet, quotieſcunque inierit fæmellam, eouſque contriſtari; imo vero prorſus à cibo abſtinere; donec vivo ſeſe fonte abluerit: ac ſi in aqua occultum quid latere non ignoret, quo peccata abluuntur: quem admodum omnes nimirum ea maculæ, ſordeſque expurgantur: qua de re per otium conſule M. Antonium Marſilium Bonanienſem Archiepiſcopum Salernitanum. Poſſem modo pariter ingenium avis celebrare: ſed id ad propriam rubricam differo; de uſu ejus in menſis nonnihil hic allaturus. Arbitrari enim quiſpiam poſſit; Cycnum, quod nigram

gram

gram habeat carnem ; duramque, ac ventriculo inobedientem , Anſe[illegible]ujus caro fortaſſis laudabilior atque ſalubrior exiſtit, poſthabendum eſſe. Verum cum & Cycnus noſter carnis ſuæ habuerit optimos cultores , & non minori, quam ipſe Anſer apud veteres in pretio, & in honore habitus ſit, uti ex Plutarcho in primis colligere eſt, non immerito Cycnum prætuliſſe videmur , ipſi etiam Anſeri : quem innumeris aliis nominibus antecellit. Apud Athenæum etiam Dipnoſophiſtis apponuntur. Alexandrides apud eundem , poſteaquam carpſiſſet Thracum regis convivium; Cycnum inter aves lautas ſubinde numerat. Sed & apud recentiores ſæpe inter delicias hujuſmodi aves habentur. Nam Platina inter epulas lautiorum , & præcipue pullos ſpectari aſſerit. Moſcovitarum duces, quotieſcunque carne veſcuntur , hoſpitibus ſuis Cycnos aſſos apponunt, ut luculenter narrat Sigiſmundus Baro. Et revera Principes illi harum alitum eſum plurimi facere videntur. Etenim tres ex cæteris, quæ plurimæ apponuntur duci, cultro pungens, meliores, & cæteris præferendas explorat; quas dapiferi diſcerptas, ac in partes quamplurimas diviſas in quinque minoribus , quam erant primæ, patinis duci iterum apponunt; reliquas vero fratribus ejus, con-

ſilia-

ſiliariis, oratoribus, aliisque ordine di
buunt una mor m embammate ex ſale,
pere,& aceto.

Scribit quoque Ornithologus Cyc
ferum apud ſuos denariis, ſive drach
argenteis quinque cum triente venu
tum eſſe. Cæterum, quod apud mult
menſis improbetur; inde fortaſſis ev
rit: quod nimis annoſi ad nos perveni
Has itaque ob rationes Cycno inter a
ticas aves principem locum aſſignavi
quod pariter Petrus Bellonius in ſu
avibus hiſtoria facit; quem tamen, q
aquaticas terreſtribus præferat, lau
non poſſum. Sunt enim hæ aquaticis
præſtantiores, & ad edendum ſalubric

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10

18434

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 10